Scythæ aduerſus famem, ſitímque pugnare norunt 119
Scythis ſuaſit Alexander, vt mortuos humarent, non vt antè, comederent 347
Secreti celandi exempla 324
Secreta principum indagare, periculoſum 283
Secundis rebus homine fruente nihil petulantius, & ferocius 367
Seditionibus ciuitates conturbatæ, funditùs pereunt 406
Seditiones vnde naſcuntur 92
Semen quid ſit 201
Semen an fœminæ promittant 201
Semina hominum efficaciora, ſi amantes coëant 520

Semiramidis ſepulchri inſcriptio 117
Semiramidis facta præclara 354
Sempiternum, eſt eus verum 189
Senatus etymon 383
Senatus concilium omnibus ciuitatibus neceſſarium 33
Senectus auara 379
Senectutis fundamenta iaciuntur in pueritia 14
Senectuti aſſurgendum 147
Senectutis honor 145
Senex aliquid rei agens, præclarum ſpectaculum 382
Senes ex agro ad reip. clauum inuitos pertrahi 382
Senes dicendi libertate, & prudentia vti 386
Senes magis iracundi, quàm iuuenes 270
Senes faciliùs inebriari, quàm iuuenes 485.499
Sentiri eſſe ſubſtantiæ 418
Senibus an gerenda reſpublica 377
Senſus quid, quotuplex, ac de eo variæ philoſophorum ſententiæ 199
Senſuum quinque qualitates 187
Senſus abſque mẽte nihil præſtare poſſunt 86
Sepiarum piſcium naturalis hiſtoria



mirabilis 471
Sepulchra apud Lacones templis vicina 149
Sepultura Scythis quænam putabatur beata 235
Serphi ſcitum apophtegma 125
Sermo præmeditatus eſſe debet 10
Sermo vrgens non deponendus oneris in morem 334
Sermonis vſus 36
Sermonis vtilitas mirifica 101
Sermone & eruditione opus habemus omnes 539
Serui vt puniendi 273
Seruis mandauit Piſo orator, vt ad interrogata tantùm reſpõderent, & nihil præterea dicerent 331
Seruorum Chiorum erga dominas fides 151
Seueritas lenitate temperanda 20
Siccitas tenuem ſpiritum reddit 181
Sicilia frugum feraciſſima 479
Silentium, tutum ornamentum 37
Silentium noſtræ inſcitię remediũ 482
Silentium tempeſtiuum, eſt quauis oratione potior 17
Silentium ſapientibus reſpõſi loco 301
Silentij neminem pœnituit 98
Silentium multa habet bona 317

Silentium vbique impune 79
Silentium triſtitia ac dolore ſemper vacat 333
Silentium obſignare 350
Silentium inter pocula, res laudabilis 320
Silentij laus 330
Similacis vmbra homines necat 498
Simile à ſimili minùs afficitur 500
Similia ſimilibus gaudere ſolent 26
Simonides, poëta lyricus, quid Pauſaniæ regi iactabundo reſpondit 91
Simonides dicere erat ſolitus, ſe propter ſilentium nunquam, ſępe ob ſermonem pœnitẽtia fuiſſe correptum 98
Simonidis reſponſio ſcita 125
Simplicitatis vtilitas 275
Sitis ſumpto cibo cur fit vehementior & cur fames potu ſedatur 522
cur Sitiunt magis ieiuni, quàm eſuriũt 522
Smyrna patrem deperiens, quomodo cum eo rem habuit, & quid inde ſecutum 210
Smyrnæarum ancillarum ſtratagema in hoſtes, vrbem obſidentes 212
Sobrietas in feſtis diebus celebrandis Deo placet 167



Sobrietas Epaminundæ 228
Sobrietas Alexandri Magni 355
Socordia naturæ bonitatem corrumpit 3
Socordia corporis tabeſcit robur 4
Socrates, ciuis mundanus 425
Socrates vbique philoſophabatur 385
Socrates ex moroſa vxore Xantippa diſcebat, aliorum iniurias faciliùs ferre 79
Socrates vt ſitim reprimebat 333
Socrates calce àb adoleſcentulo cæſus impuro, quid reſpondit 17
Socratem aliter locutum eſſe, aliter vixiſſe 561
Socrati paupertatem fuiſſe gratã 570
Socratis cœna 276
Socratis genius 569
Sogdianis ſuaſit Alexander, vt alerent, non interficerent patres 347
Sol viuus, æternus, & interitus ſecurus 30
Sol ſi de medio tolleretur, perpetuam haberemus noctem 86
Sol quantam habeat magnitudinem 145
Solem eſſe fæcem aëris 196
Solis deliquium vt fit 243.244
Sol cur rariùs, quàm luna eclipſim pa-

tiatur 553.554
Sole quantùm vtendum 101
Solem orientem adorare plures, quàm occidentem 393
Sol & Apollo, vnus & idem Deus 181
Sol conſeruat viros, luna mulieres 33
Solem coniugalium legum conditor peritiſſimus 548
Solonis ad Crœſum admonitio 80
Solonis iam ſenis præclarè dictum 385
Somnia ſceleratorũ horrenda 254.255
Somniis autumnalibus cur non credendum 537
Somnus quid, & vt fit 205.247
Somnus ad quid à natura inuentus 15
Sonum edũt omnia, illapſo ſpiritu 532
Sophocles dicebat, ſe à re venerea profugere tãquã à rabioſo domino 383
Sotadi quantopere ſua nocuit nimia loquacitas 18
Spacium ante originem cœli fuiſſe 473
Spartani cur comam nutriant 128.130
Spectacula quænam fugienda 287
in Speculis curuis cur res appareant maiores, quàm ipſæ ſint 553
Speculorũ reflexio, & eius cauſa 552
Spes & metus, duo virtutis elemẽta 18

INDEX.

Spes ſimul cum diuitiis auget diuitiarum amorem 72
Spes hominum malorum qualis 256
Spiritus inæquales gignunt rupturas 101
Spurius Carbilius Romæ primus docuit litteras 169
Statuas cur erigi ſibi noluerit Ageſilaus 129
Stellas à ſole illuſtrari, & ab eo lumen accipere 195
Stellarum motus nõ poſſe fieri abſque muſica 443
Stilponis philoſophi ſomnium 70
Stoicos, quàm poëtas, abſurdiora dicere 215
Stoicorum virtus ibid.
Stoicorum repugnantiæ 456
Stratocles ac Damoclidas cur tribunal auream meſſem vocabant 387
Stulto nimis caſtigatio debetur 59
Stultorum feſtum, cur dicantur Quirinalia 171
Stupidus quauis ratione erudiri ſolet 38
Suauibus vtendum, non abutendum 97
Subſtantiam ſubſtantiæ repugnare 419
Subſtãtiã caducã bis ĩ eodẽ ſtatu nemo

attingere poteſt 188
Superbi eſt, omnes deſpicere 25
Superſtitioni nullus finis 115
Superſtitioſos eſſe magis impios, quã qui Deos eſſe negant 116
de Superſtitione libellus 114
Supplicij modus, & opportunitas conſideranda 252
Sus parmenionis 514
Suis lac generare lepram 242
Suum in cœno volutationes ventorũ & imbrium præſagia 100
Sues in Ægypto, loco ſunt agricolarum 512
Sybaritæ toto antè anno mulieres ad conuiuium inuitare ſolebant, vt eis per otium liceret ſe ipſas ornare 111
Sycophanta quis ſit, & vnde ſic vocetur 288
Syllæ in Pompeium facete dictum 393
Syluia Iulia Iunonis ſacerdos facta, Martis compreſſu Romulum & Remum concepit & peperit, & qua occaſione 214
Symbola Pythagoræ 19
Synorix homicida veneno necatus, & hiſtoria hac de re memorabilis 546. 547



T

TAcere non poſſe inter pocula, ſtultum 320
Tacuiſſe pœnituit neminem, dixiſſe permultos 17
Taciturnitatis argumentum 244.245
Tacitum quod fuit, facilè datur eloqui: quod dictum eſt, indictum fieri nullo modo poteſt 17.18
Taurus ferociſſimus, ficui alligatus, omnino ferociam deponit 524
Taurus mons aquilarum plenus 329
Telamon fratrem inter venandum interfecit, & cur 212
Tellus cur beatus à Salone vocatus 51
Temperantia quid 219
Temperantia eſt viaticum ſenectutis 14
Templum Herculis mulierum oſoris 557
Tempus quid ſit 164
Ternarius eſt perfectus, & numerorũ primus 539
Terram cœlo comparatam, puncti eſſe loco 425
Terra inferiorem, cœlum ſuperiorem locum occupat 29

Terra grauiſſimum elementum 193
Terram eſſe fæcem, ac ſubſedimentum aquæ 196
Terra, aqua, & ignis, muta ſuapte natura 531
Terræ motus, & locus 197
Terra abſque calore, ſterilis 160
Terræ motus qua cauſa fiunt 30
Teſtimonia non perhibenda 40
Teſtudines, viperis deuoratis, origanum edunt 221. 464
Thaleris ad matrem facetè dictum de vxore ducenda 504
Thelephus domeſtico deſtitutus remedio, vulnus hoſtili haſtæ ſanandum præbuit 78
Themis, ſeu carmenta, Euandri mater, cur ſic vocata 168
Themiſtocles quàm liberalis, & continens 396
Themiſtoclis iuſtitia 301
Theophraſtus in admiratione habitus ob diſcipulorum multitudinem 66
Theſpeſius ex mortuis ad vitam reuocatus, ac multum pòſt temporis vixit 259. 260
Theſſalus & Athenodorus, Alexandri tragœdi, de arte ſua diſſident 352
Theſſali ſtulti & rudes 21

Thucy-



Thucydides euidētiā ſemper enititur, vt auditorē tanquā ſpectatorem faciat 422
Thymus mel præbet apibus 290
Tibiam quis inuenit 441
Tibij populi qui, & vbi degant 517
Tonitrua vt fiūt, & cur hyeme rara 30. 479
Tonitrui metu mortui 509
Tonorum tria genera 440
Tōſor garrulitate ſua alligat⁹ rotę 328
Tonſores natura garruli ibid.
Tonſtrinæ, ſunt conuiuia vini expertia 515
Toredorigis in Mithridatem conſpiratio 156
Tribunal, aurea meſſis cur dictum 387
Troianum bellum ſtultè ſuſceptū 571
Turpia turpibus quadrant 23
Typhonis hiſtoria 243
Tyrannus eſt animalium moleſtiſſimum 52
Tyranni ſubditos, reges ſubditis timēt 370
Tyrannorum dona formidanda 120
Tyranni quam miſerrimè timeant 370
Tyranni quiſquis intrat in domum, fit ſeruus eius, licet liber venerit 136

k

V

VAcuum animo percipitur, vbi nullum corpus occurrit tactui 418
Valeria Tuſculanaria amore patris percita, quomodo cum eo cõcubuit, & quid inde ſecutum eſt 211
Valetudinis bonæ ſeruandæ præceptũ omnium optimum 265.266
Vanitatem in verbis, atque rebus verſari 334
Varietas in rebus omnibus delectat 12
Vbera cur bina mulieribus tribuerit natura 5
Venatio ferarum adoleſcentibus apta. 461
Venditio & emptio vnde initium cepit 166
Veni, vidi, vici, apophtegma Cæſaris 137
Venter omnium peccatorum cauſa 363
Venter auribus caret 136
Ventus quid, & ex quo fiat 193
Ventorum molliſſimi qui ſint 282
Venus, ſacietatis comes 480
Venus pedibus teſtudinẽ calcans, quid ſignificat 109
Venerea quæ mala hominibus inferre ſolet 527
Verbum, prædicatum appellatur: nomen, ſubiectum 416
Verbis humanioribus in obiurgando eſt vtendum 62
Verecundia quatenus decet ſenes 110
Verecundia ſenibus maximè neceſſaria 165
Veritas quid 44
Veritas, temporis filia 164
Veritatis lux, demonſtratio eius initiũ, oratio connexa 185
Veritatis cognitio quàm amabilis, ac deſiderabilis 224
Veritas mathematum 338
Veritatem ſoli libri dicunt 129
ſine Veritate ars nulla 145
Veritas non eſt curæ poëtis 22
Verruca in facie moleſtior, quàm reliquæ corporis maculæ, ac cicatrices 388
Verſus hexameter cur dicatur heroïcus 28
Verſus Homerici in ſeſamo inſculpti 568
Verſus Iliadis primus totidem cõſtat, quot primus Vlyſſeæ ſyllabis: quod extremis quoque eorum operũ contigit verſibus 539

Veſpillonum mos in cadaueribus vren dis 500
Veſtalium impudicarum pœna 171
Veſtes calorem non afferre 88
Victima humana 215
Victoria eſt in duce 145
Victus accuratiſſima ratio, inutilis 100
Vident noctu animalia quędam, & cur 489
Viduitas & caſtitas cornicum 219
Vincere ſeipſum, maius eſt, quàm populoſiſſimam hoſtiũ vrbẽ capere 140
Vincere ſcire non ſolùm eſt egregium, ſed etiam vinci 17
Vincti qui diu fuerunt, ſoluti, ambulare nequeunt 11
ad Vindictã minimè properandũ 273
Vinum à Baccho inuentũ, medicamentum validiſſimũ, & ſuauiſſimũ 497
Vinum, eſt potuum vtiliſſimus, & medicamentorum ſuauiſſimum 102
Vini vſus 33
Vinum vetus, oleum recens optimum 526
Vini medium, olei ſummum, mellis imum, eſt optimum 526
Vinũ lãguenti ſtomacho, fluxui vẽtris, & ſudoris eruptionibus medetur 501
Vinũ Romanis mulierib⁹ ĩterdictũ 162


Vino aliquando abſtinendum, & aqua vtendum 102
Vini epoti effecta 495
Vini epoti natura & vis 387.388
Vinum quæ damna adfert corpori 103
Vinum aqua purgat 22
Vini puri qui multum bibunt, ad coitũ ſegniores fiunt, nihílque validi, aut bene temperati gignunt 501
Vinum vnà cum animo calefacit corpus 529
Vinum, cùm natura ſit impetuoſum, partes irritat affectas 103
Vinum prudentes cantare cogit 319
Vinum ad iram præcipites reddit animos 58
Vinum laruam adimit 446
Vinum loquaces efficit 529
Vinum dilutum è veſtibus difficiliùs, eluitur 524
Vinum habendæ proli noxium 2
Vinum cum cicuta temperatum, immedicabile venenum 502
Vinorum diuerſorum vſus inebriat citò 507
Vini vſus largior imbecillem reddit animum 294
Vinum aëre læditur 526
Vino capti, ſe ſapiẽtes eſſe putãt 528

Vini apud Aegyptios modicus vſus 241
Vini dolia cur integi ſoleant 526
Vino admixta dulcia, ebrietatem cohibent 505
Vinum vino, crapulã crapula pelli 99
Vini quantum cuique in conuiuio dãdum 139
Vir perfectus quis ſit 190
Viri in vxorem imperium 107
Viri & mulieres quomodo reddantur ſteriles 203
Virgo inops interrogata, quid dotis eſſet allatura ſponſo: paternam, inquit, pudicitiam 151
Virgines cur priùs, quàm pueri ad rem veneream excitantur 500
Virgines cur diebus feſtis nubere non ſolent 172
Virginũ primæ diſcordiæ ferendæ 106
Virtus omnis non in mediocritate conſiſtit 374
Virtutis fons & radix, inſtitutio bona 6
Virtutis elemẽta duo, ſpes & metus 18
Virtus pro diuerſis actionibus diuerſa ſortitur nomina 371
Virtus bonorum omnium præſtantiſſima 8
Virtute nihil pulchrius 80
Virtutis officia quatuor 90



Virtutum differentia, & numerus 457
Virtutem diſcendo naſci 261
Virtutum multitudinem, ac differentias ſuſtulit Menedemus 371
Virtutem ſine vitio exiſtere non poſſe 566
Virtus otio, vt rubigine ferrum, abſumitur 378
Virtus manca 2
Virtutis effecta ex Stoicorum ſententia 216
Virtus an doceri poſſit 261
de Virtute morali commentarius 371
de Virtute & vitio libellus 88
Virtutis pictura 342
Viſus vt fit, & eius natura 182.200.517
Viſum & auditum hebetat humiditas 181
Vita ſine luxu degenda 17
Vita in metu miſera 121
Vita vitioſa opprobria ad ſe, vt cæcias ventus nubes, trahit 77
Vitæ menſura non eſt longitudo temporis, ſed honeſtum 93
Vita perfecta, lætitiæ ac tranquillitatis plena 297
Vitæ genus liberum ſectandum 19
Vitam hominum teſſerarum ludo comparabat Plato 289

Vita hominum breuiſſima 94
Vita longiſſima, non optima 93
Vitam cochleæ viuere 337
Vita Epicurea 222
Vita beata vbi conſiſtit 27
Vitis vnde Græcis aduecta 160
Vites apus Scythas non eſſe 112
Vites Lycurgus ob ebrietatem funditus eradicari curauit 21.22
Vitium an ad infœlicitatem ſufficiat 233
Vitiorum ex adiunctis diuiſio 321
Vitij proprium quod & quale 76
Vitia non tegenda 231
Vitiorum germana correctio 56
Vitia noſtra in aliis eſſe corrigenda 37
Vitia in alios iacere, quibus ipſi laboramus, ridiculum eſt 77
Vituperationes & laudationes alieno adhibitæ tempore, nocent 56
Viuere ſine crimine neminem 572
Viuere quomodo quiſque debeat 75
Viuendum eſſe latenter, an rectè dictũ ſit 231
Viuendi tria genera 13
bene Viuere quid ſit 560
Viuentium nequiter expectatio 233
Viuorum, quàm mortuorum deterior conditio 94



Vltio diuina cur tarda 247
Vlyſſis ſociorum fidelitas 323
Vlyſſi facundiſſimo ſummã Homerus adſcribit taciturnitatem ibid.
Vmbilicus animalis in vtero primus omnium naſcitur 238
Vmbra aſini 454
Vmbram metiri quid 46
Vmbræ coloribus exprimendæ rationem Apollodorus inuenit 421
Vmbræ conuiuij 527
Vnguentarios produxit luxus 411
Vngues vt, & vnde naſcuntur 241
Vnitas, numeri principium 164
Vnitas puncto prior 414
Vnitas quæuis, triangulus eſt ibid.
Vocales litteras iure optimo mutis, & ſemiuocalibus anteire 538
Vociferationes omnino vitandæ 101
Voluptas actionũ honeſtarum 227
Voluptas breuis, dolor maximus 99
Voluptatis ſtudiũ, res eſt varia, & proterua 225
Voluptatis recordatio qualis 223
Voluptatis via breuis 222
Voluptati coitus luce operã non dandam eſſe, & cur 504
Voluptates animi ob virtutem 380
voluptates magnę & vtiles corpori eſſe

runtur à frigore 418
Voluptates mathematicæ 225
Voluptate vtendum, non abutendum 97
Voluptates ratione vincere ſapientis eſt 13
Voraciores ſenibus cur ſint adoleſcentes 522
Voraciores cur autumno ſumus, quàm æſtate 493
Vox quid, quotuplex, & quomodo fiat 531.200.416.440
Vox, animi affectum ſignum 109
Voces animantium, quæ interficiuntur, deprecationes eſſe 361
Voces interdiu difficiliùs audiuntur 532
Vrbem opus habere incutientibus flagella 251
Vrbes non lapidibus & lignis, ſed inhabitantium virtute debere muniri 140
Vrbes quænam tutiſſimè habitari poſſunt 143
Vrbem illam fore beatam, in qua hæ voces, Meum, non Meum, rariſſimè audiuntur 108
Vrbium publicæ calamitates ob iras Deorum 257



Vrſarum mira naturalis hiſtoria 236
Vtilitas ex ſuſpectis etiam poëtarum locis capienda 26
Vulcanus, artium princeps 161
Vulcanus cur ſit vnicus, cũ plures ſint muſæ 539
Vulnera ſiccari debent 34
Vulpes ſi amygdalas amaras edant, citò moriuntur, niſi ſtatim aquam lambant 488
Vulpe vtuntur Thraces ad glaciei ſoliditatem explorandam 464
Vulpis marini hamo ſeſe explicando aſtutia ac dolus mirabilis 470.471
Vulpes & grus Æſopi mutua inter ſe conuiuia agitantes 483
Vulturum fabula in debitores 411
Vxoris ornamẽtum, mariti res præclarè geſtas 440
Vxores in arctum cogendæ 541
Vxores maritis parēre debent 109
in Vxorem quale mariti imperium eſſe debet 109
Vxores quales ducendæ 20
in Vxore ſtaturam eligendam eſſe 2
Vxorem virum imitari 108
Vxoris erga maritum amoris hiſtoria memorabilis 546
Vxori dixit Leonidas in bellum profi-

ciſcens, Bonis nubere, & bonos liberos parerete iubeo 572
Vxore quando vtendum 503
cum Vxore maritum coire ter quouis menſe iuſſit Solon 548

X

XAnthij non à patribus, ſed à matribus nomina ſumebant, & cur 155
Xantippa maritum Socratem docebat, faciliùs aliorũ iniurias ferre 79
Xenocrates cum ingenio tardior eſſet, vt philoſophiam didicit 42
Xenophõtis præclarè dictum de morte filij 95
Xenophontis dictum attentè conſiderandum 74
Xerxes ob filiorum diſcordiam periit 308
Xerxis apophtegmaticè dicta, & facta quædam 117

Z

ZElotypus vxori iraſcitur facilè 271
Zelotypiæ exitus 210
Zeno cũ omnia bona naufragio amiſiſſet, philoſophari cœpit 427



Zenonis dictum in fortunam 74
Zenonis dictum in Theophraſtũ 66
Zeno linguam ſuam expuit in tyranni faciem 563
Zeuxis dictum valde ſcitũ in eos, qui illum arguebant, quòd ipſe tardè pingeret 83
Zonæ terræ 196
Zopyrus, Darij regis amicus 116

FINIS.

Excudebat Claudius Bruneual
anno ab incarnatione
Chriſti 15. die Iunij
1577.

Hæc pro mendis, cætera non ingratus lector reponet.

*folio 51. linea 12. lege ſingulari ingenio. f. 63. lin. 13. laxatum. f. 80. lin. 14. cepas. f. 97. lin. 7. Medio. f. 113. lin. 17. pro vinum vini lege vinum vino. f. 122. lin. 21. lege Hephæſtione inſpiciente. f. 126. lin. 18. pro apparuit l. apparauit. f. 141. li. 3. aiebat. f. 144. lin. 1. cepiſſet. f. 246. lin. 21. oculos. f. 296. lin. vlt. ſaucìantem. f. 252. lin. 25. permiſſu. f. 380. lin. 1. inuncto f. 442. lin. 7. pro vt, lege in. f. 503. lin. 5. pro id. lege in.*

Curæ ſecundæ erunt ſapientiores.



# THESAVRVS

PLVTARCHI CHERONæi, grauiſſimi & philoſophi, & hiſtorici, ſuper moralia opera.

*Ex Plutarchi, de liberis educandis, commentario.*

*QVI parentes fieri cupiunt laude dignorum liberum, iis ego quidem hoc conſulerem, ne cum quibuſuis mulieribus rem haberent: quales, inquam, ſunt meretrices & pellices.* A meretricibus abſtinendũ.

*Quorum enim vel à patre vel à matre aliquid vitij habent natales, eos per omnem vitam opprobria comitantur, quæ elui nullo modo poſſunt: ſapienter enim Euripid.*

Niſi fundamenta ſtirpis iacta ſint probè, Hercule fure.
Miſeros neceſſe eſt eſſe deinceps poſteros.

*Ingenuitas theſaurus libertatis.*

Eſt itaque præclarus libertatis theſaurus, ingenuitas. Etenim eorum quibus genus eſt ſubdititium & adulterinum, animi ſpiritus ponere, humíque repere ſolent. Sicut contrà arrogãtia quadam animíque exultatione implentur illuſtribus nati parentibus.

*Staturam in vxore eligendã.*

Omnino autem laude digni ſunt Lacedæmonij ob altitudinem animi, qui Archidamum regem ſuum pecunia mulctauerunt, quòd puſillam vxorem ducere non fuiſſet veritus, cauſa expoſita, quòd is non reges ſed regunculos ipſis ſtatuiſſet generare.

*Dictum Diogenis de vinoſo adoleſcẽte.*

Quòd qui rem habere cum mulieribus prolis gignendæ cauſa volunt, aut omnino vini vacuos, aut certè mediocriter eo vſos hoc conuenit facere. Adſolent enim vinoſi & ebrioſi fieri, quos patres ebrij ſeuerunt. Quamobrem etiam Diogenes adoleſcentulum videns animo abalienatum, & mentis malè compotem, dixit: Adoleſcens pater te ebrius genuit.

Ad puerorum inſtitutionis perfectionem tria oportet concurrere: naturam nimirum, rationem, & aſſuefactionem: rationem verò intelligi volo doctrinam, & aſſuefactionis nomine, exercitationem.

*Virtus mãca.*

Initia hoc in genere debẽtur diſciplinæ, vſus exercitationi, perfectio omnibus, & vbi horum aliquid defecerit, ab ea parte mancam fieri virtutem neceſſe eſt.



*Natura abſque diſciplina cæca.*

Natura quippe abſque diſciplina ſi ſit, cæca eſt: diſciplina, ſi à natura deſtituatur, defecta: exercitatio his duobus demptis imperfecta eſt.

*Magiſter alter agricola.*

Et quemadmodum ad agriculturam primùm requiritur bonum ſolum, deinde peritus colonus, denique ſemina frugi: ita planè hîc natura ſolo, agricolæ magiſter, ſemini præcepta atque inſtituta reſpondent. Sanè beatus diiſque acceptus eſt, cui Deus iſta omnia tribuit.

*Facilia negligendo difficilia conſequimur.*

Si tamen aliquis ita putat, eos qui ingenio non ſunt fœlici, vbi ad virtutem rectè inſtituuntur atque exercentur, non poſſe naturæ defectum mediocriter exſarcire, ſcire debet in errore ſe non paruo, imò autem ſummo verſari. Naturæ enim bonitatem ſecordia corrumpit, vitium doctrina corrigit. Et cùm facilia nos negligentes fugiunt, tum difficilia conſequimur accuratione.

*Aquarum guttæ lapides cauant.*

Et verò multarum rerum contemplatione addiſcere poſſis, quantum efficacitatis atque ad perficiendas res virium habeat induſtria atque labor. Nam & aqua guttatim lapſa, lapidem cauat: & ferrum atque æs manuum contrectatione atteritur: & rotas curruum labore magno curuatas nullo poſſis conatu in priſtinam reſtituere rectitudinem.

Quod contra naturam labor effecit ipſa na-

*turali facultate fit validius.*

Quantò quid natura melius eſt, neglectu fit deterius.

*Solum telluris bonum fuit: cultura ceſſante ſterileſcit: quantòque melius fuit natura, tanto deterius fit neglectu. Alia contrà eſt, tellus dura atque aſperior æquo, ea tamen culta præclaros illicò edit fructus. Iam quæ arbores non tortuoſæ fiunt atque infrugiferæ, ſi per incuriam habeantur: quæ non frugiferæ fiunt atque fœcundæ, ſi rectè educantur? Aut quorum corporum robur non hebeſcit, atque diſſipatur ſocordia, luxu, prauáque habitudine? quis contrà ita fuit inualida natura, vt non exercitationibus & certaminum ſtudio maxima fecerit ad robur incrementa? Qui verò equi à prima ætate rectè domiti non parent ſeſſoribus? qui maturè non ſubacti, duri ceruices & feroces non extiterunt?*

Robur corporis ſocordia hebeſcit.

*Lycurgus, is qui Lacedæmoniis leges poſuit, duos catulos iiſdem prognatos canibus diuerſa omnino ratione educauit, alterum delicatum & luxurioſum, alterum indagini & venationibus aptum reddens. Quodam inde tempore cùm frequentes in concionem Lacedæmonij coiuiſſent: Magnum (inquit) Spartani, ad virtutem concipiendam momentum adferunt adſuefactio, educatio, doctrina atque condocefactio, quod ego vobis iam nunc commonſtrabo, ſimúlque duos catulos iſtos productos poſita in medio patina & lepore, dimi-*

Inſtitutio magnam vim habet.



*ſit: quorum cùm alter illicò leporem, alter patinam peteret, neque etiamnum aſſequerentur Lacedæmonij quid ſibi catulis illis oſtendendis vellet: hi, inquit, iiſdem nati parẽtibus diuerſa educati ratione, ventri alter deditus, alter venaticus euaſerunt.*

*Sed & ipſa natura docet ipſis matribus lactandam eſſe atque alendam ſuam prolem. Ideò enim cuiuis animali parienti alimentum lactis ſuppeditauit. Ac planè ſapiens eſt prouidentia, quæ bina mulieribus vbera dedit, vt etiam ſi gemellos partu edidiſſet, vterque haberet alimenti ſui fontem.*

Puerorũ nutritio.

Bina vbera natura mulieribꝰ ſuppeditauit.

*Maximè igitur, vt dixi, tentandum hoc eſt, vt ipſæ matres mammam ſuis præbeant infantibus.*

*Sicut enim membra corporis ſtatim ab ipſis natalibus infantis ſunt fingenda, vt recta adoleſcant, neque diſtorqueantur: ita & iam inde ab initio indoles eius informanda eſt. Eſt namque pueritia ob molliciem effictu facilis, animiſque puerorum teneris etiamnum facilè inſidet quod diſcunt, ſicut cõtrà, quæ dura ſunt ea difficulter molliuntur.*

Pueros iã ab initio formandos.

Dura difficulter molliri.

*Et ſicut ſigilla mollibus imprimuntur ceris, ſic diſciplinæ puerilibus adhuc animis infiguntur.*

*Ac mihi quidem videtur diuinus Plato nutricibus prudenter præcepiſſe, ne quaſuis fa-*

ad finẽ 2. de Repu.

*bulas pueris recitent, ne horum animi à principio ſtoliditate ac prauitate occupentur.*

*Et rectè Phocylides,*

Inſtituenda bonis eſt ipſa pueritia rebus.

Si cũ claudo habitaueris & ipſe claudicare diſces.

*Prouerbio enim iactatur ſententia minimè abſurda, ſi cũ claudo habites, fore vt ſubclaudicare diſcas.*

*Poſtquam autem eò ætatis puer peruenit, vt iam ſit pædagogo ſubdendus, ibi tum adhibenda eſt accuratio, ne filios noſtros per imprudentiam mancipijs, aut barbaris, aut leuibus hominibus, tradamus. Oportet autem bonum pædagogum eo eſſe ingenio, quo fuit Phœnix Achillis pædagogus.*

Phœnix Achillis pædagogus.

*Quærendi ſunt liberis magiſtri, quorum & inculpata ſit vita, & mores iuſtæ reprehenſioni non obnoxij, & peritia minimè vulgaris. Fons enim & radix virtutis atque honeſtatis vitæ, eſt inſtitutio proba.*

Virtutis fons & radix inſtitutio bona.

*Vtque agricolæ ſtirpibus pedamenta apponunt: ſic probi magiſtri accuratis præceptis admonitionibúſque adoleſcentes ſuffulciunt, vt mores recti inde germinent.*

*Nunc verò etiam deſpuas in contumeliam quorundam parentum, qui priuſquam futuri magiſtri vllum fecerint periculum, ignoratione aliquando aut etiam imperitia decepti, non ſpectatis, adeóque etiam malæ notæ hominibus filios ſuos committunt.*



*Prò deum atque hominum fidem patris nomẽ gerit aliquis, & maiorem habet rationem gratiæ petentium, quàm liberûm inſtitutionis!*

*Nonne cõſentaneum eſt, quod antiquus ille Crates dixit? ſe, ſi fieri poſſet, altiſſimo vrbis loco conſenſo proclamaturum: Quò tenditis homines? qui rei faciundæ omne impenditis ſtudium, filijs, quibus opes veſtras relinquetis, curam perparuam? Quibus ego adderem, tales patres perinde agere, ac ſi quis de calceo ſit ſolicitus, pedem nihil curet.*

Dictum Cratetis de cura patrũ in liberos.

*Multi etiam parẽtes eò progrediuntur & auariciæ & in liberos ſuos odij, vt ne maiorẽ opus habeant mercedem pendere, magiſtros filijs conducant homines nullius precij: inſcitiam ſectantes vilem.*

Parentũ auaritia & odium in liberos

*Quamobrem Ariſtippus patrem excordem neque inelegante & perurbano ſermone pupugit, à quo interrogatus quantum mercedis pro filij ſui inſtitutione poſceret, mille denarios reſpondit. Eóque exclamante, Hercules, vt valdè nimiùm exigis, cùm poſſim mille denariis ſeruum emere. Proinde, dixit, duo habebis mancipia, filium ſcilicet tuum, & id quod emeris. Denique qui non ſit abſurdũ, cùm adſuefacias puerum vt alimentum dextra ſumat manu, increpéſque ſi leuam porrigat:*

Reſponſio Ariſtippi pro mercede inſtitutionis vnius pueri.

nullam interim te curam adhibere, vt dextros probéſque is ſermones audiat?

Iam quid eueniat mirificis iſtis parentibus, poſtquã liberos malè enutritos, malè inſtituerunt, audi. Poſtquam hi ſumpta iam virili toga, cõtempto ſano & compoſito vitæ ductu, in incompoſitas atque ſeruiles voluptates ſeſe præcipitauerunt: tum demum eos pœnitet neglectæ liberorum inſtitutionis, mœrorem ex eorum ſceleribus percipientes, quem nulla ſubſequitur vtilitas.

Præceptũ Diogenis

Qui ſi verſati cum philoſopho aliquo fuiſſent, nunquam profectò talibus ſeſe emancipaſſent rebus: ſed Diogenis ſaltem præceptum didiciſſent, qui verbis quidem inſolentibus, verè tamen quod ad res ipſas attinet, monuit: Ingredere lupanar aliquando, vt diſcas nihilne res honeſtæ ab indignis differant. Vnum eſt primum, idémque & medium & vltimum & in hac re caput, educatio recta legitimáque inſtitutio.

Eruditio bonorũ omnium optima.

Nam reliqua bona, præter virtutem & fœlicitatem, equidem humana ſunt, exigua, neque digna in quæ operam impendas.

Puerorũ ſplẽdor.

Natalium ſplendor, res eſt præclara ſanè, ſed bonum à maioribus profectum.

Fortuna.

Diuitiæ in precio ſunt: verùm earum poſſeſsio à fortuna pendet: quæ eas ſæpenumero adimit habentibus, & non ſperantibus ob-



tulit.

Magnæ opes tanquam ſcopus propoſitæ ſunt ijs qui cupiunt loculos exhaurire, ſeruis maleficis, ac calumniatoribus, &, quod maximum eſt, etiam peſsimis adſunt diuitiæ.

Gloria. pulchritudo citò euaneſcit

Gloria res eſt vt venerabilis, ita inſtabilis. pulchritudo optabilis, ſed paruo durans tempore.

Sanitas facilè corrũpitur.

Sanitas precioſa res eſt, eadémque facilè mutatur.

Robur digna res eſt laude ac voto, ſed morbo ac ſenectute facilè aboletur, quanquam, vt vno verbo dicam, qui ob vires corporis ſibi plaudit, ſcire debet ſe à vero aberrare.

Doctrina rerũ omniũ vna, immortalis.

Doctrina omniũ quæ nobis adſunt bonorum ſola immortalis eſt & diuina. Sunt enim duo in hominis natura principatum facilè obtinẽtia, Mens & Ratio. Quorum mens rationi præeſt, Ratio mentis imperia exequutur. Hæc fortunæ non obnoxia, nulla calumnia auferri, nullo morbo corrumpi, ſenectute lædi non poſſunt.

Mentem ſeneſcentem iuueneſcere.

Sola enim mens ſeneſcens iuueneſcit, & tempus cùm adimat talia, ſenectuti apponit ſcientiam. Et bellum cùm torrentis in morem omnia proruat, ſolam doctrinam auferre nequit.

Bellũ virtutẽ inter ſpolia nõ

Ac mihi quidem videtur dignum memoratu Stilponis Megarenſis philoſophi dictum, qui à Demetrio, quo is tempore Megaram ci-

uibus in ſeruitutem abductis ſolo æquauit, interrogatus ecquid rerum ſuarum amiſiſſet, nihil ſe amiſiſſe reſpondit: neque enim bellum virtutem inter ſpolia capere. Socrates interrogatus quid ſentiret de Perſarum rege, & an eum fœlicem eſſe putaret, ignorare ſe reſpōdit, quod neſciret virtute & doctrina præditus eſſet nec ne.

posse capere.

Vulgo placere quid.

*Vulgo enim placere, eſt ſapientibus diſplicere. Teſtimonium mihi perhibet Euripides his verbis:*

Ad turbam ego verba facere ſum imperitior,
Inter ſed æquales paucóſque doctior.
Habet hoc locum: nam qui inter doctos nil valent,
Gratior apud vulgum eſt eorum oratio.

Omnia difficilia pulchra.

*Pulchrum eſt profectò nihil fruſtrà neque dici, neque agi: & in prouerbio eſt, difficilia eſſe ea, quæ ſint pulchra.*

*Verùm orationes ex tempore habitæ, plenæ ſunt multæ leuitatis atque vanitatis, neque initium habentes aptum, neque finem.*

*Ac præter alia delicta, qui ſubitò dicunt, in periculoſam incidunt verborum redundantiam atque loquacitatem, cùm meditatio nō ſinat orationem modi proportionem fineſque*



*tranſilire. Narrant* Periclem *ſæpenumero vocatum à populo, non obtemperaſſe, quod ſe negaret eſſe præmeditatū. Eodémque modo Demoſthenes æmulus eius in repub. gerēda rationis, cùm ab Athenienſibus ad conſilium dandum vocaretur, recuſauit, ſe non eſſe commentatum ſecum rem inquiens. In oratione* Midiana *euidenter commendat meditationis vtilitatē ſunt enim hæc eius verba. Ego verò (viri* Athenienſes*) meditatū me eſſe profiteor, neque inficiabor me quantum omninò in me fuit, ſtudioſè commentatum eſſe orationem.*

*Interim tamen ego promptitudinem diſſerendi neque improbandam prorſus, neque rebus non dignis adhibendam aio: ſed inſtar medicamenti vſurpandam cenſeo. Tamen ante virilem ætatem non permitto ad ſubitò oblatum argumentum orare: vbi facultas diſſerendi radices egerit, tunc inuitante occaſione liberè vti oratione licebit. Nam quemadmodum qui diu fuerunt vincti, poſtmodò ſoluti, ob diuturnam vinculorum conſuetudinē ambulare neſcientes titubant: ita qui orationem multo à tempore conſtrictam tenuerunt, ij etiamſi aliquando oporteat ſubitò dicere, nihilominus eandem tamen interpretationis formam retinent.*

Qui diu fuerunt vincti, ſoluti, ambulare neſciunt.

*Adhuc pueritiam agentibus verò permittere vt ex tempore dicant, cauſam præbet*

Apellis reſpõſio in quẽdam pictorem inexpertum.

*extremæ vaniloquentiæ. Ferunt quendam inexpertũ pictorem Apelli imaginem oſtẽdiſſe, quam ſubitò à ſe pictam diceret, tuliſſéque id ab Apelle reſponſi: video te vel tacente eam feſtinanter pictam, ſed id miror, quòd non plures tales eo ſpacio temporis pinxeris.*

Admirantur quæ ſunt cum periculo cõiũcta.

*Tuta enim laudantur duntaxat, quæ etiam cum periculo ſunt coniuncta, porrò & in admiratione ſunt.*

*Eadémque eſt mea de animi affectione ſententia, quem neque ferocem, neque in audacem deiectúmque eſſe conuenit: quorum illud impudentiæ, hoc ſeruili cuidam ſubmiſſioni mentis anſam præbet: artificioſum verò eſt atque accuratum, in omnibus Medium tenere.*

*Vbique enim vnius tenoris cantilena ſacietatem adfert & offendit: varietas delectat, & hic & vbique, vt in auditionibus & ſpectaculis.*

*In omnibus perfectionem conſequi nemo poteſt.*

Philoſophia caput diſciplinæ.

*Pulchrum quidem eſt circa multas vrbes nauigare, vtile autem præſtantiſsimam inhabitare.*

*Itaque reliquorum ſtudiorum quaſi caput & ſumma, conſtituenda eſt philoſophia.*

*Etenim ad corporis curationem duæ inuen-*



*tæ ſunt ab hominibus ſcientiæ, Medicina & Gymnaſtice: quarum altera ſanitatem, altera firmam ſani corporis conſtitutionem conciliet.*

Philoſophiæ fructꝰ & præſtantia.

*Animi autẽ ægritudinibus atq; motibus ſola medetur philoſophia. Hac duce & comite cognoſcere datur quid honeſtum ſit, quid turpe, quid iuſtum, quid iniuſtum, quid ad ſummam expetendum, quid fugiendum, quomodo erga Deos, erga parentes, ſeniores, leges, alienos, magiſtratus, amicos, vxores, liberos, ſeruos gerere debeamus, ſcilicet vt veneremur Deos, parentes honore afficiamus, ſeniores reuereamur, legibus obtemperemus, amicos diligamus, vxores caſtè amemus, liberos animi interno quodam amore complectamur, ſeruos iniurioſè non tractemus. Et, quod ſummum eſt, neque rebus ſecundis efferamur gaudio, neque aduerſis nimio luctu deiiciamur.*

Quomodo ſit vtẽdum proſpera fortuna.

*Fortuna enim proſpera ingenuè vti, viri eſt officium: citra inuidiam, hominis moderati: ratione vincere voluptates, ſapientis: iram compeſcere, non cuiuſuis viri.*

*Perfectos autem viros eos cenſeo, qui norunt facultatem ciuilem: permiſcere & contemperare cum philoſophia.*

Tria viuẽdi genera.

*Cùm autem tria ſint viuendi genera, vnum in agendo, alterum in contemplando,*

Homo volupta-tibus ſer-uiens ſi-milis eſt bellua-rum.

*tertium in perfruendis voluptatibus occupatum: qui tertium hoc ſequitur diſſolutus & voluptatum ſeruus, belluarum ſimilis abiectúſque eſt.*

*Inſtrumentum doctrinæ eſt vſus librorum, & à fontibus conſeruare ſcientiam vſu venit. Verùm nec corporum quidem exercitatio eſt prætermittenda, ſed mittendi in ludum eius rei pueri, vt in eo genere quantum eſt ſatis elaborent.*

Fundamenta ſe-nectutis iaciũtur in pueri-tia.

*Nam bonæ ſenectuti fundamentum in pueritia iacitur, firma nimirum corporis ad ſanitatem conſtitutio. Quemadmodum igitur tranquillo cœlo adornanda ſunt quæ aduerſus tempeſtates faciunt: ita in adoleſcentia moderationem & temperantiam ad viaticũ ſenectuti parandum adhiberi par eſt.*

*Nam, vt ait Plato, ſomni & defatigationes, diſciplinarum ſunt hoſtes.*

Ingenui pueri nõ verberã-di.

*Sic itaque dico, ad liberalia ſtudia adducendos eſſe liberos verbis, adhortationibúſque, non me herclè verberibus, aut contumelioſa tractatione, hæc enim ſeruis magis quàm liberis conuenire videntur: torpéntque & abhorrent ſic tractati à laboribus, partim ob dolores plagarum, partim ob contumelias.*

*Laudationes autem & vituperationes quauis contumelioſa tractatione plus valent apud ingenuos, illæ ad pulchra incitantes, hæ*



*à turpibus arcentes. Alternis porrò vicibus increpationes & collaudationes ſunt adhibẽdæ, vt & cùm exultant animi, reprehenſionibus ad pudorem redigantur: & cùm deiecti ſunt, rurſus laudibus erigantur.*

*Quo enim modo ſtirpes mediocribus aquis aluntur, abundantibus ſuffocantur, eodem animus etiam moderatis creſcit laboribus, nimiis obruitur. Danda eſt ergo pueris à continentibus laboribus reſpiratio: ídque in animo habendum, totam noſtram vitam in remiſſionem eſſe, ſeriúmque ſtudium diuiſam, quam ob cauſam non vigilia modò, ſed & ſomnus inuentus eſt, neque bellum duntaxat ſed & pax, neque ſine ſerenitate tempeſtas, neque ſeria negocia tantùm, ſed & feriæ, vtque vnam in ſummam contrahamus: Requies laborum eſt cõdimentum. Neque in animalibus ſolis, ſed & rebus anima carentibus, id depræhendas, nam & arcus & lyras remittimus, vt intendere poſſimus, atque in vniuerſum ſeruatur corpus impletione atque vacuatione, animus autem remiſſione et labore.*

Requies laboris condimẽtum.

*Culpandi autem ſunt parentes nonnulli, qui poſtquàm filios ſuos pædagogis magiſtriſque commendarunt, ipſi quid diſcatur neque inſpiciunt vnquam, neque inaudiunt: magno ſanè cum errore, oportebat enim ipſos interuallo paucorum dierum ſubindè explorare*

*puerorum profectus, neque in mercenarij voluntate omnem ſpem collocare, qui & ipſe maiorem diligentiam pueris inſtituendis erat impenſurus, ſi itidem ſui ſibi muneris rationem reddendam fore ſentiret. Atque huic loco eleganter conuenit Equiſonis illius dictum, qui aiebat nihil eſſe, quod perinde ſaginaret equum, atque oculus regis.*

Elegans dictum Equiſonis.

*Imprimis porro puerorum memoria eſt exercenda atque aſſuefactione roboranda, ea enim eſt veluti penus eruditionis, eámque ob cauſam μνημοσύνην, hoc eſt memoriam, fabulati ſunt eſſe Muſarum matrem. Quapropter veróque modo exercenda ea eſt, ſiue naturæ beneficio valeant memoria pueri, ſiue obliuioſi ſint. Sic enim & copiam naturalem confirmabimus, & quod ei deeſt implebimus, vt præclarè Heſiodus.*

Memoria puerorum exercenda.

Memoria mater Muſarũ.

Nam ſi vel paruum pergas ſuperaddere paruo,
Idque frequens peragas magnus cumulatur aceruus.

*Præterea abducendi ſunt filii à turpitudine ſermonis: cùm, authore* Democrito, *ſermo actionis ſit vmbra. Deinde opera eſt dãda vt affabiles fiant, inque colloquio comes, nihil enim ita dignum eſt odio, vt eorum mores, qui compellantibus ſe difficiles præbent. Iam in colloquiis pueri inuiſi aliis non fient,*

ſi non



*ſi non omnino in diſputationibus victoriam ſemper obtinere laborent.* Non *enim tantùm egregium eſt ſcire vincere, ſed etiam poſſe vinci pulchrum eſt, Euripides.*

Dicentibus duobus, irato altero,
Qui non repugnat dictis, eſt ſapientior.

*Vita degenda eſt ſine luxu, lingua coërcenda, ira ſuperanda, manus continendæ.*

*Ira autem ſuperiorem eſſe ſapientis eſt.*

*Socrates calce cæſus ab adoleſcentulo admodum feroce, & impuro, cùm ſuos videret indignè id ferre ac fremere, adeò vt illum in ius quoque trahere cogitarẽt: Quid ergo inquit? an ſi me aſinus calce feriiſſet, iuſſuri eratis vt contrà calcem ei impingerem?*

Ira reprimenda.

*Architas Tarentinus cùm à bello, in quo exercitum duxerat, reuerſus agrum offendiſſet, ob incuriam vitium contraxiſſe, accerſito colono, Malè, inquit, tecum ageretur, niſi ego admodum ira exarſiſſem.*

Architæ Tarantini moderatio.

*Plato ſeruo guloſo & impuro iratus, vocato filio ſororis ſuæ Speuſippo, hunc tu, inquit, verbera, ego enim animo ſum valde commotus.*

Platonis modeſtia

*Tempeſtiuum enim ſilentium res eſt ſapiens, ac quauis oratione potior. Et quidem tacuiſſe neminem pœnituit, dixiſſe permultos, ac quod tacitum fuit, facilè datur eloqui quod dictum*

Lingua cohibenda.

*eſt indictum fieri nullo pacto poteſt.*

*Cùm Ptolemæus Philadelphus ſororem ſuã Arſinoen in vxorem duxiſſet, Sotades, quòd ei dixiſſet ipſum in nequaquam licitum foramen intrudere aculeum, in carcere per longum tempus contabuit: pœnámque dedit importunæ loquacitatis non indignam, qui vt alijs riſum moueret, multùm ipſe temporis fleuit.* Loquacitas.

*Præter hæc omnia, aſſuefaciendi ſunt liberi vt vera dicant, quæ in re ſumma eſt ſanctimonia: mentiri enim ſeruile eſt, dignúmque apud omnes homines odio, ac ne mediocribus quidem ſeruis ignoſcendum.* Pueri aſſuefaciẽdi vera dicere.

*Ergo cordatis parentibus ſub id temporis maximè vigilandum eſt, vt cuſtodiant adoleſcentes, ac intra modeſtiæ fines contineant, docendo, minando, rogando, conſulendo, pollicendo, exempla demonſtrãdo cùm eorum, quos voluptatum ſtudium in miſeriam coniecit, tum qui abſtinentia laudem ſibi gloriámque parauerunt.*

*Hæc enim duo quaſi elementa ſunt virtutis, Spes honoris, & Metus pœnæ, quorum illa incitatiores ad pulcherrima ſtudia, hic ſegniores ad vitia reddit.* Duo elemẽta virtutis, Spes, & Metus.

*In vniuerſum verò malorum conſuetudine hominum prohibendi ſunt pueri, nam affricatur illis aliquid inde vitij. Non guſta quibus nigra eſt cauda. Stateram ne tranſgrediaris.*



*Non cuiuis inijce dextram.* Anguſtum annulum *ne geſta, id eſt, vitæ genus liberum ſectare. Ignem gladio ne fodito, id eſt, irati non ſunt irritãdi. Fabis abſtine, hoc eſt* Reip. *adminiſt. vita. Ad fines vbi perueneris, ne reuertito.* Pythagoræ ſymbola.

*Sunt itaque pueri ab omnibus, vt dixi, malis hominibus abſtinendi: maximè autem ab adulatoribus.*

*Genus hominum adulatoribus peſtilentius nullum eſt, neque quod magis ac celerius iuuenes in perniciem præcipitet. Adulatores & parentes & natos radicitus perdunt: atque horum iuuentutem, illorum triſtem reddunt ſenectutem. Diuitibus liberis parentes ſobrietatem commendant, adulatores ebrietatem, illi continentiam, hi libidinem, illi parcimoniam, hi prodigalitatem, punctum, aiunt aſſentatores, temporis eſt tota noſtra vita, frui ea non abuti ad alias res conuenit, quid attinet nos patris minas curare? Delirus eſt pater, & alterum pedem iam in ſepulchro habet: mox illum ſublimem arreptũ efferemus. Quare ſi quis eſt pater ſolicitus de benè educandis liberis, fœdus hoc pecus domo eijciat.* Adulatores. Aſſentatores liberis omnia contraria commãdare.

*At quemadmodum medici amara medicamenta dulcibus ſuccis permiſcentes, oblectatione ad vtilitatem ſibi acceſſum aperiunt: ita conuenit parentes repræhenſionum* Adulatores fœdũ pecus.

ſeueritatem lenitate temperare: & interdum habenas cupiditatibus filiorum laxare.

Præſtat enim patris iras ſubitas eſſe, quã graues, quia infenſus & implacabilis animus patris, non leue eſt argumentum odij erga liberos.

Amicorum delicta toleramus: quid mirum, ſi etiam filiorum?

Coniugium tutiſſimum eſt iuuentutis vinculum. Vxores autem filiis deſpondebunt quæ neque nobilitate generis, neque diuitiis multùm eos ſuperent, ſapienter enim dictum eſt: Tibi congruentem ſume. Et qui multò ſe præſtantiores ducunt vxores, non mariti earum, ſed dotis ſerui ſua imprudentia fiunt.

Coniugium iuuentutis vinculũ.

Vxores quales ducendæ.

Etenim qui peccata filiorum increpantes, ipſi in eadem prolabuntur vitia, in ſe non ſentiunt ſub illorũ nomine ſemetipſos accuſare.

Qui verò ſemel diſſolutè viuunt, hi ne ſeruos quidem libertatem habent obiurgandi, nedum liberos.

## Ex commentario Plutar. de audiendis poëtis.

QVare non id modò curandum eſt, vt circa voluptates quæ ex cibo & potu



percipiuntur, modeſtiam ſeruent: ſed magis etiam ad hoc ſunt aſſuefaciendi adoleſcentes, vt in lectionibus et auditionibus delectatione tanquam obſonio fruantur, vtiliáque & ſalubria ex iis captent.

Nam neque vrbi cæteræ portæ clauſæ id præſtabunt, vt non capiatur, ſi per vnam aliquã hoſtes recipiantur: Sic neque continentia in cæteris delicijs tuetur iuuenem, ſi imprudens ſemetipſum prodat per auditum.

Peraccuratè obſeruandi ſunt liberi in lectionibus, quippè in legendo magis quàm in ambulando ductoribus egent.

Pueri in lectionibus poti⁹ quàm in itinere ductorẽ deſiderant.

Polypodis capiti malum ineſt vnum, atque bonum vnum, quòd eius ſit blandiſſimus cibus, graue cæterùm pariat ſomnũ, hæc de poëſi.

Illam noxia multa, & multa ſalubria ferre.
Cultori medicamenta. Etenim
Hîc amor, hîc deſiderium latet, hîc quoque blandum
Alloquium, quamuis ſapiẽtem fallere callens.

Reſpondit Simonides quærẽti, quid ſolis Theſſalis non imponeret? Nempe tardiores & rudiores ſunt, quàm vt à me capiantur.

Theſſali ſtulti & rudes.

Lycurgus non fuit ſana mente: quòd multis vino ſe mergẽtibus vites paſſim exſcidit, cùm debuiſſet potius fontes propius adducere.

Lycurgus ob ebrietatẽ vites

curauit funditus eradicandas.

*Nam id quod noxium eſt, de vino aufert aqua admixta, vtili relicto.*

Aqua vinum purgat.

Permulta canunt mendacia vates.

*Quod enim re vera ſit, id tametſi exitum habet triſtem, non mutatur. Quod autem fabuloſum & commentum eſt, id facilimè cedit, & de triſti in iucundum mutatur.*

Poëſis nõ eſt niſi adſit mẽdacium.

*Itaque Socrates poëſim eam non exiſtimauit à qua abeſſet mendacium.*

*Etenim ſacrificia quædam nouimus choris & tibijs carentia poëſim fabularũ & figmentorum expertem non nouimus.*

*Proinde vbi abſurdum aliquid dicitur in poëmatibus ab aliquo præſtanti viro, de dijs, dæmonibus, aut virtute: is qui eum vt verum amplectitur ſermonem, in errorem incidit, falſáque opinione animum corrumpit.*

Vt venenum cibis miſcetur ita mẽdacium fabulis.

*Quemadmodum in alimentis venenum, ita in fabulis mendacium admixtum eſt.* Nemóque penè neſcit, *neque Homerum, neque Pindarum, neque Sophoclem, pro certo habuiſſe id quod ſcribebant.*

Veritas non curæ eſt poëtis

*Aduerſum hæc ergo rurſus promptè id aures noſtras perſonet, poëſi non admodum curæ eſſe veritatem.*

Poëſis loquens pictura eſt,

*Ars poëtica imitatrix, pingendíque arti quaſi ex altera parte reſpondet.*

*Neque id modo auditum habeat omnium ſermone tritum, quo loquentis pictura nomine poëſis, pictura tacentis poëſis afficitur.*



pictura vero poëſis tacita.

*In his adoleſcens maximè eſt aſſuefaciẽdus, vt diſcat rem quæ imitatione eſt expreſſa, nõ laudari: ſed artem quæ id quod propoſitum erat, rectè repreſentauerit.*

*Adoleſcẽtis eſt, id quod in poëtis præclarè eſt elaboratum, neque probare vt verum, neque amplecti vt pulchrum: ſed eatenus laudare, quatenus argumento congruit.*

Turpia turpibus quadrãt.

*Non enim idem eſt, rem aliquam eſſe pulchram, & eam imitari pulchrè.* Recta *enim rectis, & turpia turpibus conueniunt.*

*Quippe Demonidis claudi illius, quas eius qui furto eas ſubtraxiſſet pedibus congruere optauit, crepidæ, erãt quidem eæ paruæ, ſed Demonidi aptæ & congruæ.*

*Vbi ergo iuxta ſe poſita contraria dicta apud illos euidenter ſunt, meliori parti adſtipulandum eſt.*

Homer. Illiad. *ι*.

Rectius hoc aliquid poteras ſermone poëta
Sentire, & multò melioribus edere verbis.

*Fine voluptas accerbiſſimo iniuſta clauditur.*

*Suaue eſt lucrum, profectum etiam à mendacio.*

Mendacium.

*Mendacibus verbis fructus haud ſuccedit.*

*Socrates dixit malos viuere edendi & bibendi cauſa, bonos verò vitæ gratia tolerandæ edere & bibere.*

*Aduerſus eum qui ſcripſit contra malum eſſe maliciā non inutile armorū genus, cùm is iubeat nos quodammodo aſsimilari malis: Diogenis illud obijciendum eſt, qui interrogatus, qua quis ratione vlciſci inimicum poſſet, reſpondit, Si ipſe quàm optimus fiat.*

*Sed quemadmodum medici pedes ac alas cantharidis, cùm quidem ipſa ſit mortifera, prodeſſe, & diſſoluendi vim habere putant: ſic in poëmatibus quoque ſi quod eſt nomē aut verbum adpoſitum, quod efficiat quominus ad deteriorem ſententiam abducamur, arripiendum eſt, & ad explicationem adhibendū.*

Hom. odyſſ. δ. — Non equidem gaudens ego poſſideo bona tanta.

Menāder. — Amplæ facultates mihi ſunt, & ab omnibus.
Diues vocor: nemo beatum me vocat.

*Qui verò omnia admiratur, omniáque familiariter amplectitur iudicio heroïcorum nominum exiſtimatione mancipato, is imprudens, multis ſe vitijs facilè obnoxium præbet.*

*Expedit etiam vbique cauſam eorum quæ dicuntur quærere.*

*Ac Cato quidem puer etiamnum, facere*



*quod iuſsiſſet pædagogus ſolebat: mandati tamen cauſam & rationem poſtulabat. Cæterùm poëtis non ita vt pædagogis aut legiſlatoribus parēdum eſt, rationem niſi habeāt quod proponunt.*

Fortunæ reluctandum. — *Cur abiecto animo eſſe debet qui paſſus eſt infortunium? cur non potius reluctari fortunæ ſéque ipſum erigere & non deiectum præſtare?*

Mollis homo. — Mollis homo ſemper dicto ſe accōmodat omni.

*Iam ſicut inter vitis folia ac palmites copioſas, ſæpe fructus occultantur, ſúbque vmbra latent: Sic in dictionē quaque poëtica & fabulis circunfuſis multa vtilia adoleſcentis conſpectui ſubtrahuntur.*

*Seruile enim eſt, omnibus ſe velle purgare: omnes autem deſpicere, ſuperbi eſt & imprudentis.*

*Cato rubentes ſibi pallidioribus chariores eſſe dicebat.*

*Sua eſt etiam promiſsionibus nota.*

Prudētia imitāda: audacia fugiēda. — *Græcanicum proinde eſt & ſcitum, prudentia: barbaricum verò & vitioſum, audacia, & imitandum illud eſt, hoc aſpernandum.*

*Cæterùm ſicut inter paſcendum apis florē, capra germen, ſus radicem, aliæ beſtiæ ſemē fructúmue captant: ita in legendis poëtis, a-*

*lius hiſtoriam decerpit, alius elegātiæ & apparatui verborum inhæret, alius verò ea, quæ de moribus vtiliter dicta ſunt, conſectatur.*

Moralia obſeruāda præcipuè.

Gauiſa eſt ſapiente viro, iuſtóque Minerua.

Minerua.

Siquidem ſimilia ſimilibus gaudere ſolent.

*Porro cùm & videatur & ſit magnum, iræ poſſe moderari: maius eſt cauere prudenter, ne ad iram delabamur.*

*Quomodo & Ageſilaus non paſſus eſt oſculum ſibi dari à formoſo ad ſe accedente. Et Cyrus, ne videre quidem Pātheam ſuſtinuit.*

*Ne nomina quidem negligenter ſunt adoleſcenti inaudienda.*

*Iam quemadmodum apis à natura hoc habet, vt ex acerrimis floribus, ſpiniſque aſperrimis leniſſimum mel optimúmque eliciat: Sic pueri in poëtis rectè inſtituti, etiam ab his quæ abſurditatis & prauitatis ſuſpecta ſunt, commodi aliquid & vtilitatis trahere diſcēt.*

Vtilitas ex ſuſpectis locis captāda.

*Quod turpe, turpe eſt: ſeu putes, ſeu non putes.*

*Oportet enim bona excellentiſſima ſectari, inque primis rebus primum, & in magnis maximum eſſe. Gloria verò à paruis rebus & vilibus parta, ignobilis eſt & non magni facienda.*

Gloria ex paruis rebus parta, ignobilis.

Iniuria

*Iucundius nihil eſt, neque muſicum magis,*



*quàm poſſe hominum maledicta æquo animo perpeti.*

æquo animo ferēda.

*Epicurus hoc tritum ſemper habuit, magnos dolores celeriter præterire, diuturnos autem magnitudine carere.*

*Fœlicitas & vita beata non in multitudine pecuniæ, aut opū mole, aut principatu, potentiáque conſiſtunt: ſed in vacuitate doloris, affectuum animi moderatione, animiq; affectione naturæ finibus res omnes circūſcribēte.*

*Itaque cùm propter hæc, tùm prædictorum cauſa omnium, adoleſcenti in lectione poëtarum bona opus eſt gubernatione, ne ſiniſtra ſuſpicione occupatus, ſed præcedente potius inſtitutione formatus, placidus ita familiariſque & amicus à poëſi ad philoſophiam deducatur.*

## Ex libro de Homero.

*NEmo autem ignorat, noua & non in promptu poſita admirationem ſui excitare, auditorémque allicere.*

*Omnis poëſis vocibus certo ordine quodā compoſitis numero & menſura terminatur.*

*Homeri verò poëſis perfectiſſimo conſtat carminis genere: nimirū ſenario, quod & heroï-*

Quibus & quot pedibus conſtet ſenarium carmen.

Quare verſus hexameter dicatur heroicus.

cum dicitur. Senarium, (id enim hexametrũ dico) quòd quiuis verſus ſex pedibus abſoluitur, qui vel duabus longis ſyllabis conſtant, ac ſpondei dicuntur, vel vna longa, & duabus quæ ſequuntur breuibus, dactylum vocant, atque hi pedes inter ſe compoſiti, hexametrum verſum perficiunt. Heroicum autem dicitur, quod eò res heroum geſtas percenſet.

Attica præcipuè vſus eſt Homerus dyalecto quæ reliquis permiſcebatur.

Enimuerò quoniam artificio omni adornata oratio, aliquid à communi conſuetudine requirit alienum, quod ei vel euidentiæ, vel maieſtatis, vel omnino delectationis amplius afferat.

Iam cùm tria ſint genera orationis, quas effictiones vocant, grande, tenue, ac medium. Grande eſt, in quo & dictionum & ſententiarum apparatus vim in ſe quandam magnam habet. Tenue, quod & materiam dicendi ſumpſit exilem & dictione gracili comprehenditur. Medium quod vtrique interiectũ, hoc grandius, illo humilius eſt.

Oratio hiſtorica.

Cæterùm quoniam omnis ſermo, qui inter homines vſurpatur aut hiſtoricus eſt, aut ciuilis. Hiſtorica oratio eſt, quæ rerum præteritarum continet narrationem. Omni narrationi occaſionem præbent hæc, perſona, cauſa, locus, tempus, inſtrumentum, actio, affectio, modus,



neque extra hæc quicquam vlla in hiſtorica narratione ineſt.

Partes philoſophię.

Partes philoſophiæ habentur, Phiſica, Ethica, ac Dialectica.

Cælũ ſuperiorẽ, terra inferiorẽ locum occupat.

Cùm mundus ſit globoſus rectè quidem ſuperiorem locum cælo, quod complectitur omnia, tribueris. Terra autem in medio prorſus conſtituta, inferior continente eam cælo eſt.

Aër.

Iuno Iouis vxor.

Partem enim aëris puriſſimam, quæ ſummo loco eſt, longiſſiméque à terra & eius exhalationibus remota. Olympum aiunt dici quaſi ὅλον λαμπρὸν, id eſt, totum ſplendidum. Quod autem Iuno Iouis vxor dicitur, cuius eſt ſoror, videtur eo ſenſu dictum, quod Iuno intelligatur eſſe aër, quæ eſt humida ſubſtantia.

Iupiter.

Eòdem pertinet, quòd Iupiter dicit, ſe ſuſpẽdiſſe Iunonem, id eſt aërem, appenſis ad pedes eius duabus incudibus, nimirum aqua & terra.

Elementorum natura.

Porrò cùm elementorum natura ex contrarijs conſtet, ſiccitate, humido, caliditate, & frigiditate: eadémque ob mutuam proportionem atque temperamentum vniuerſas res producãt cùmque partes vniuerſi ſint mutationibus obnoxiæ, interim tamen ipſum nequaquam diſſoluatur.

Apparet porrò ex prædictis, id quoque Homerum innuiſſe, vnicum eſſe mundum, eúm-

que finitum. Nam ſi infinitus eſſet non diuideretur in partes finito numero comprehenſas.

Finis. Vbi eſt ſummitas aut extremum, ibi etiam finis.

Sol viuus & ætern⁹. Sol in orbem fertur viuus eſt, æternus, & interitus ſecurus.

Elementorum quoque accidẽtia, quæ ſunt & motus terræ, & luminum defectus.

Quod autem ſpiritus intra terram concluditur, mari adſcribitur, eius rei cauſa, quod aliquando exitus obthuret: quo etiam aliquando cedente, aliquæ partes terræ corruant.

Terræ motus.

Vnde liquet, quòd quæ ab aquis terreſtribus ſurſum efferuntur humida aquiſque permixta, eadem ſimiliter decidunt.

Vt autem exhalationes humidæ pluuias gignunt, ita ſiccæ ventos. At cum in nube ventus includitur, eámque vi perrumpit, tonitrua fiunt & fulgura, & ſimul fulmen emittitur.

Et quia nullum corpus, excepto humano, ſermone ac ſcientia præditum eſſe poteſt, itaque ſingulos Deos hominibus aſſimilauit Homerus.

Prouidẽtia & fatum. Ad cogitationes Dei pertinent etiam prouidentia & fatum. Ac de prouidentia quidem quid dicamus? cùm per totam poëſim dij non tantùm ipſi inter ſe de hominibus collo-



quantur, ſed etiam in terram deſcendant, atque cum illis verſentur. In vniuerſum autem arbitratur Deos ſemper hominibus adeſſe, Homerus ſic enim ait:

Dij in terra cũ hominibus verſãtur. Odiſſ. ρ.

Nanque peregrini ſub forma ſæpe vagíque
Hoſpitis occultè ſuperi plerumque latentes
Ter luſtrant vrbes, hominúmque immitia facta,
Iuſtitiámque vident coram.

Proinde vnum eſſe mundum, in quo cum Diis homines verſentur tanquam in republica iuſtitiæ communicatione coniuncti, docet.

Apertiſſimè autem hoc pronunciauit, ſe hominem nihil aliud exiſtimare, quàm animam. Hinc philoſophis id quoque videtur, corpus eſſe quodammodo carcerem animæ

Anima eſt homo & corpus eſt carcer animæ.

Ipſam porro animam Stoici definiunt ſpiritum cognatum, & exhalationem ſenſibus præditam, quæ ex humore corporis accẽdatur.

Cùm autem animæ, etiam philoſophorum iudicio, pars ratione prædita, in capite ſit collocata: Altera ratione carens, cuius ea vis, qua iraſcimur, in corde ſedem habet.

Ira ab iniuria excitatur, & eſt ſanguinis efferueſcentis & eius ſpiritus qui huic ineſt.

Peripatetici verò primas partes bonis animi deferunt, prudentiæ ſcilicet, fortitudini,

Bonorum diuiſio.

*temperantiæ, iuſtitiæ: ſecundas, bonis corporis: vt ſunt bona valetudo, robur, pulchritudo, celeritas.* Externa bona, *tertiæ ſunt ijs claßis: vt gloria, vt natalium nobilitas vt diuitiæ.*

*Vnitatis natura ſi aëri inſit, bonam temperiem: ſi animo, virtutem, ſi corpori, ſanitatem: ſi ciuitatibus & familijs, pacem & concordiam præſtat. Proinde etiam Homerus vnitatis naturam in bono, & binarij in malo poſuit non rarò.*

Numerus impar.

*Sẽper autẽ impari numero vt præſtãtiori vtitur. Itaque etiam Ariſtoteles quinque elemẽta eſſe ſenſit: quaſi impari & perfecto numero in omnibus plurimam vim obtinente.*

*Non eſt autem ignotum, duplex eſſe genus canendi: vnum vocis, inſtrumentorum alterũ, quæ vel inflantur vel tenduntur: tum ſonorum alium grauem, alium acutum.*

*Nam pueris, mulieribus & ſenibus acutam vocem attribuit ob tenuitatem ſpiritus, viris autem grauem.*

Mors terminus vitæ.

*Omnibus hominibus vitæ terminus eſt mors etiamſi quis eam in domuncula concluſam aſſeruaret. Itaq; præclari viri eſt, omnia honeſta quouis tempore aggredi ac quod deus iniũxerit, ferre forti animo.*

Honeſta ſemper agenda.

*Si enim eſt Rhetorica, ad perſuadendum appoſitè, dicendi facultas. Primum in arte locum*



*cum obtinet diſpoſitio.*

Iuuenes.

*Iuuenes concilij expertes.*

Bonũ eſt atque honeſtum recõciliari præcãri.

*Honeſtum eſt reconciliari deprecanti, & dona mittenti, & præterea legatos, viros præſtantißimos, & maximè apud omnes honoratos.*

Senatus.

*Iam quòd in ciuitatibus omnibus leges iubent ſenatus eſſe quoddam concilium, quòd de rebus conſultet, antequam populus coëat: id liquet ex his* Homericis *eſſe petitum.*

Cogere magnanimũ ſed regi cura ſenatum
Prima fuit.

Reipub. ſpecies.

*Cùm autem tres ſint formæ reipublicæ ad iuſtitiam & leges aptæ: regum, optimatum adminiſtratio, ac popularis poteſtas: hiſque totidem opponuntur.*

Sol conſeruat viros, Luna verò mulieres.

Námque vir eſt multis medicus præſtantior vnus.

*Et in vniuerſum adeò ſalutem ac auxilium virorum Appolini, mulierum Dianæ, hoc eſt, lunæ harum, ſoli illorum adſcribit.*

Vini vſus.

*Vini diuerſi ſunt vſus, nimium enim damnoſum eſt; mediocre autẽ vtile. Itaque priùs ita deſcribit,*

Odiſſ. φ.

Temetum tibi dulce nocet, quòd pluribus antè
Obfuit immodicè vinoſis faucibus hauſtum.

Illiad. ξ.

Auget enim membris quæ langue[t] fracta labore
Ægregias vinum vires.

Quæ medicamẽta apta ſint ad ſiccandum.

*Nouit autem hoc quoque, quòd amara medicamenta ad ſiccandum ſunt apta: vulnera autem ſiccari debent.*

Sternutatio.

*Sternutatio quoq; inter fœlicia ſigna ponitur.*

Poëmata Homeri fabulæ.

*In ſumma, nihil aliud ſunt* Homeri *poëmata, quàm fabulæ quæ in ſcena aguntur.*

Epigramma.

*Elegans etiam eſt genus orationis epigramma, ſiue inſcriptio: quòd inuentum eſt imaginum & monumentorum gratia, compendio indicans qualis ſit cui honoris cauſa aliquid tale obtigit.*

Poëſis pictura loquens: Picturaautẽ poëſis tacens.

*Dixit ſanè quidam ſapientum, poëſim eſſe picturam loquentem, et picturam poëſim tacentem.*

*Cæterùm hîc finem orationi imponere, tẽpeſtiuum eſt: quam tanquam ex prato multis floribus variegato coronam cùm texuerimus, Muſis conſecramus.*

# Ex Plutarchi libello de auditione.

L. 1. in Gygis hiſtoria.

*ET quomodo Herodotus ait ſimul cum tunica mulierem etiam verecundiã exuere: ita adoleſcentum quidam ſimul, cum puerili veſte pudorem ac metum deponentes ſoluto qui eos condecorabat amictu ſtatim contumacia obruuntur. Tu verò Nicander, qui ſæpenumero audiuiſti idem eſſe* Deum *ſequi, & parêre rationi, exiſtimare debes eos qui ſana ſunt mente ita iudicare, ſe quando à pueritia ad virilem euadunt ætatem, non abijcere imperium, ſed mutare imperatorem, dum loco mercede conducti aut ære empti magiſtri diuinum vitæ ductorem accipiunt rationem & doctrinam. quam qui ſequuntur, & cui qui parent ſoli digni ſunt qui pro liberis habeantur.*

Deum ſequi & rationi parêre idem eſſe.

*Soli enim hi viuunt vt volunt, qui quid velle debeant didicerunt, ineruditæ autem & rationis expertes animi incitationes atque actiones exilem quandam ignobilémque voluntatis libertatem multa cum pœnitentia coniunctam habent.*

*Philoſophia ſola virilem & reuera perfectum iuuenibus apponit ornatum.*

*Auditus omnium ſenſuum maximè ad motus animi ciendos facit.*

*Vitijs enim multæ partes corporis multáque loca aditum ſpaciúmque ad animam penetrandi præbent. Vnica virtuti qua adoleſcentes arripiat anſa aures ſunt, ſi modo puræ ſint & iam inde ab initio adulatoriarum corruptelarum vacuæ, intactáque à prauis ſer-*

*monibus ſeruentur. Itaque Xenocrates auriũ muniměta pueris potiùs quàm athletis applicari iubebat: quòd horum aures verberibus, illorum mores verbis peruerterentur.*

Lingua optima & peſſima victimæ caro.

*Ac Bias quidem ab Amaſide iuſſus ſimul & optimam & peſſimam victimæ carnem mittere, linguam ei exſectam miſit: nimirũ quia ſermo & vtilitatis & damni plurimum affert.*

Maximè amandi qui per aures proſũt

*Et vulgo paruulos qui deoſculantur, cùm ipſi aures eorum tangunt, tum eos idem iubẽt facere: per iocum innuentes, maximè amãdos eſſe eos qui per aures proſunt.*

*Quapropter cùm magnopere vtile, non minùs tamen periculoſum ſit adoleſcentibus audire, opereprecium eſſe exiſtimo, vt quiſque & ſecum ſemper, & cum aliis de ratione audiendi colloquatur.*

*At verò qui pilæ ludum tractant, ſimul & iacere & accipere pilam diſcunt: In vſu vero ſermonis prius eſt rectè accipere quàm emittere: ſicut conceptio & retentio fœtus, partum antecedit.*

*Qui autem audire neſciunt adoleſcentes, neque vtilitatem ex auditione capere condocefacti ſunt, eorum ſermo verè inanis ac ſubuentaneus excidens,*

Irritus, ignotus, ſub nubibus euaneſcit.

*Cæterùm ſicut equos, qui rectè inſtituunt,*



*eos docent fræno facilè parere: ita qui pueros, ad audiendum promptos faciunt, docéntque audire multa, loqui pauca. Ac naturam aiunt propterea vnicuique noſtrum duas dediſſe aures, vnam linguam, quòd pauciora, loqui debeamus quàm audire: Proinde ſilentium vbique adoleſcenti tutum eſt ornamentũ.*

Audire multa, loqui pauca, præclarum.

Quare natura hominibus duas aures, vnã verò tantũ linguam dederit.

Silẽtium tutum ornamentũ

*Qui verò ſtatim interrumpunt, & neque audiunt, neque audiuntur, ſed aduerſus dicentes dicunt: ij contra decorum agunt.*

*Porrò inuidia cum liuore quodam & maleuolentia nullam ad rem vtiliter adhibetur, ſed omnibus bonis impedimento eſt.*

*Et verò quem diuitiæ gloria aut pulchritudo aliorum vrit, is tantum inuidus eſt: moleſtè enim fert res aliorum ſecundas.*

*Vilitas enim ſententiæ vanitas vocabuli, figura importuna, eruptio cũ inexperto gaudio ad laudem, & alia id genus, magis audiendo alios deprehenduntur, quàm dicendo.*

*Itaque culpa à dicente nobis eſt in nos transferẽda, videndúmque an noſtrum nos aliquod tale fallat vitium. Nihil enim eſt facilius quàm reprehendere alium, quod inutiliter fit, & vanum eſt, niſi ad emendandos aut vitandos ſimiles lapſus referatur.*

Vitia noſtra in alijs eſſe corrigenda.

*Itaque aliorum peccata cõſideranti in promptu ſit ſibi Platonicum illud occinere, nunquid & ego fortaſſe talis ſum?*

*Vtilis eſt etiam hac in re comparatio, vt cùm ſoli ſumus poſt auditionem, eorum aliquid, quæ nõ rectè aut ſufficiẽter dicta putamus reſumentes, conemur idem tractare argumentum, aggrediamúrque vel implere, vel corrigere, vel aliter dicere, vel prorſus noua oratione perſequi.*

Facilè eſt improbare, ſed imitari difficillimũ.

*Non enim difficile eſt orationem alterius improbare, ſed oppidò procliue factu: meliorem autem eius loco reponere, id verò perquã magni eſt laboris.*

*Stupidus homo quauis ratione erudiri ſolet.*

*Oportet verò laudem candidè tribuere dicenti: orationi fidem cautè adhibere, ac dictionem quidem & actionem æquo animo & ſimpliciter ſpectare: vtilitatem autem & veritatem eorum quæ dicuntur, accuratò acrique iudicio perpendere, vt & qui audiunt, odio vacent, & qui dicunt, nihil damni afferant. Vt enim in bello, ita etiam in auditione multa ſunt inania.*

*Proinde oportet, copia & vanitate dictionis remota, ipſum perſequi fructum, imitarique non eas quæ ſerta plectunt mulierculas, ſed apes. Illæ enim florida & odorata ſectantes folia, conſerũt atque contexunt opus iucundum quidem, ſed in diem duntaxat durans atque infrugiferum. Hæ ſæpenumerò*



*prata volitãtes violarum, roſarũ, hyacinthorúmque copia conſita, in thymum aſperrimum atque guſtus acerrimos deferuntur, eique aſſident mel meditantes flauum: perceptóque vtili ſucco ad ſuum reuolant opus.*

*Cùm enim è tonſtrina abituri ſpeculo adſiſtamus, capútque contrectemus, vt tonſuram & præſciſionem crinium examinemus: quanto magis è ſchola atque ab auditione diſcedentes ſtatim debemus animum noſtrum intueri, an ille moleſtis ocioſiſq; depoſitis aliquibus cogitationibus factus ſit tranquilior. Nam vt aiebat Ariſtot. neque balnei neque orationis non purgantis vllus eſt vſus.*

Delectationis quæ habẽda ratio.

*Qui autem ſtatim ab initio nõ rebus ipſis inhæret, ſed orationem requirit Atticam atque ſubtilem, perinde facit, ac ſi quis antidotum nolit bibere, niſi teſta ſit in Attica Colia deficta, aut hyeme veſtem ſumere recuſet, ſi non ſit ex Attica lana texta: eodẽ enim modo in lacerna orationis Lyſiacæ deſidebit tenui ac vili, iners atque immobilis.*

In cœna appoſitis vti decet, & nõ alia poſcere.

*Nam eum, qui ad cœnam venit, vti appoſitis decet, neque vel alia poſcere, vel culpare appoſita.*

*Nimirum enim, vt aiebat Heraclitus, nõ conducit occultare inſcitiam: ſed in medium proferenda, eique facienda eſt medicina.*

*Porrò qui iudicis officio fungitur, is &*

Iudicis officium in auditione.

Amor.

*odio & beneuolentia vacuus audire debet integro animo quid iuris ſit.* Nam *amor hederæ inſtar valet ſe quauis arrepta anſa applicare,*

*Sunt interim qui putent, ſuas eſſe dicentis partes, auditoris nullas, atque illum volunt venire præmeditatum atque paratum: ipſi meditationis curarúmque vacui & non doctis ſui officij rationibus in auditorium ſe conijciunt, ſedéntque veluti ad cœnam ſi veniſſent, aliorum labore partam voluptatem percepturi.*

*Sed quemadmodum in pilæ ludo qui excipit iacienti ſe motibus corporibus concinnè ſolet accommodare: ita inter dicentem quoque & auditorem, ſi vterque officium ſuum tueatur, quædam eſt proportio.*

*Porrò in laudando nõ eſt temerè quibuſuis vtendum vocibus.*

Teſtimonia dicentibus nõ perhibẽda.

*Vehementer etiam moleſti ſunt, qui iureiurando adhibito, veluti in foro, teſtimonia dicentibus perhibent.*

*Euripides ſanè poëta: cùm quidam riſiſſet dictante ipſo chori perſonis carmen quoddam ad harmoniam compoſitum: Niſi, inquit, ſtupidus eſſes indoctúſque homo, non vtique riſiſſes me Mixolydie cantante.*

Obiurgationes vt audiẽdæ.

*Cæterùm admonitiones & obiurgationes non ſunt ſine doloris ſenſu, neque effeminatè etiam audiendæ.*



*Salſè enim in ſe iactum aliquod dictum, citra tamen iniuriam & cum facetia, ferre ſine dolore & hilarè non eſt indignum ingenuo & diſciplinam experto, ſed omnino liberale ac Laconicum.*

Caſtigationes generoſè recipiẽdæ.

*Diuerſo autem modo ſunt affecti, qui cùm ſemel malè audierunt fugiunt ita vt nunquã retrò ſe conuertant, omninòque philoſophiam transfugæ relinquũt: ij cùm à natura habeãt verecundiam, bonum ad ſalutem parandam principium, perdunt illud ob luxum & molliciem non tolerant reprehenſiones, neque fortiter correctiones non ſuſtinent, ſed ad blandas atque delicatas auditiones ſe conuertunt, vbi adulatores aliqui, aut ſophiſtæ vocibus dulcibus quidem, ſed vtilitatis omnis vacuis demulceant.*

Elegans comparatio medici ad ægrotũ, & auditoris ad philoſophiã

*Sicut ergo qui poſt ſectionem fugit medicũ, neque ligari factum vulnus ſinit, eam is medici operis partem quæ dolorem affert pertulit, eam quæ ſanat aſpernatus: ita qui orationem, qua ſtultitia ipſius lancinata ac ſauciata fuit, non patitur etiam perſanare vlcus & ad cicatricem perducere: is morſus & dolore affectus, nullo percepto commodo, à philoſophia receſſit.*

Principia difficilia.

*Præterea ſicut in litteris, lyra, palæſtra ea quæ initio diſcenda ſunt multum habẽt tumultus, laboris ac obſcuritatis: inde paulatim factis*

*progreſſibus conſuetudo tanquam cum hominibus & notitia plenior parta, omnia amica, manſueta & faciliora dictu actúque facit: ita cum philoſophia quoque in primis vocibus & rebus habeat omnino quippiam ieiunum, non conuenit quenquam ipſis initiis perterritum (quod eſt hominis inaudacis & timentis quēuis ſtrepitum) rē totam deſerere.*

Cur nihil diſcant plerique.

*Quidam enim verecundia quadam ducti & parcere doctori volentes, metuunt interrogare & confirmare doctrinam, vt re percepta aſſentiri poſſint. Aliј intempeſtiua ambitione & inani cum aliјs certandi ſtudio vt acumen ingeniј ac facultatem diſcendi oſtentent, priuſquam acceperint habere ſe profitentes, nihil percipiunt.*

*Repudiata itaque omni id generis ſtupiditate atque arrogantia, in id incumbamus vt diſcamus animóque cōprehendamus quidquid vtiliter dicitur, patiamúrque nos rideri ab ijs qui ſibi ingenioſi videntur, ſicut fecerūt Cleantes & Xenocrates, qui cū viderentur tardiores eſſe quàm qui vnà ſcholam frequētabant reliqui, non profugerunt à diſcendo, neque animos deſponderunt: ſed vltrò in ſeipſos dicteria iecerunt, vaſis anguſti orificiј, & æreis tabulis ſe ſimiles dicentes, vt qui ægrè doctrinam perciperent, perceptā firmiter cōſtantérque tenerent, iuxta illud Phocylidis,*



Qui vult eſſe probus, falli hunc perſæpe neceſſe eſt.

*Non enim vt vas, ita mens quoque impleri opus habet: ſed fomitem tantùm & alimētum (ſicut materia effectoris eget) requirit qua incitetur ad inueniendum & ad veritatis indagationem feratur.*

Nō ſemper magiſtris aſſidēdum.

*Sicut ergo fatuus ſit qui à vicino ignem petens, inuento ſibi ſplendido foco perpetuò aſſideat & ſe calefaciat: ita ſi quis ad alium accedens diſcendi cauſa, non exiſtimet ſuum ſe peculiare ſibi lumē debere accēdere in ſua mēte, ſed gaudeat auditione, eóque ſe oblectans magiſtro ſemper aſſideat: is ruborem quidem nitorémque opinionis quendam audiendo ſibi parat, ſed internam animi ruginem flaminis non excoxerit, neque caliginem luce philoſophia diſpulerit.*

## Ex Plutarchi commētario, quomodo poſſit adulator ab amico internoſci.

Lib. 5. de leg.

Amor ſui.

A*Pud* Platonem *eſt, veniam omnes dare ei, qui ſui ſeſe maximo teneri amore profiteatur: verùm præter alia hoc ſummū ex amore tali vitium in animo hominis exiſtere, quod iuſtus ſui ipſius incorruptúſq; eſſe iudex nequit. Cæcus enim eſt rei amatæ cognitor qui*

*amat: niſi quis aſſueuerit pulchra potius in precio habere ac ſectari, quàm cognata quæ ſint & domeſtica.*

*Cui enim obijcitur quòd adulatoribus delectetur, is ſeipſum valde amat, atque ob beneuolentiam omnia ſibi vult adeſſe, omnia putat ea, quæ velle quidem habere non eſt abſurdum, opinari autem ſe iis eſſe præditum, periculoſum eſt, multámque requirit cautionẽ.*

Veritas res diuina.

*Quod ſi veritas res eſt, vt ait Plato, diuina omniúmque bonorum & Dijs & hominibus principium, apparet Dijs inimicum eſſe adulatorem, Pythio præ cæteris Apollini, impugnat enim ſemper adulator hanc vocem, Noſce teipſum, animum vniuſcuiuſque decipiens ignorationémque ingenerans bonorũ ac malorum quæ ei adſunt, propter quam neceſſe eſt & bona mutila imperfectáque & mala prorſus inemendata relinqui.*

Adulator diis odioſus.

*Nunc, quemadmodum teredines lignis innaſcuntur potiſſimum teneris atque dulcibus: Ita ferè generoſa ingenia, & frugi atque placida adulatorem recipiunt alúntque adhæreſcentem. Atque, vt ait Simonides, equos alẽdi ſtudium non lecytho comitari, ſed agris frugiferis: ita videmus adulatores non pauperibus ſe adiungere, aut ingloriis & plebeiis, ſed magnarum familiarum rerúmque amplarum ruinam hanc morbúmque eſſe, qui ſæpe etiam*



*regna imperiaque ſubuertit. Quare non paruum eſt negotium, neque prouidentia indigẽs exigua, ita adulationem conſiderare, ne cum adeò ſit agilis, amicitiam lædat aut criminibus obnoxiam reddat.*

Adulatores imperia & amplas familias euertunt.

*Sed ſicut numiſma, ita amicum oportet habere antè quàm vſus poſtulet probatum nõ ipſo vſu reprahenſum, neque damno accepto ſentire debemus, ſed peritiam cognoſcendi adulatoris habere, ne lædamur. Alioqui idem nobis vſu veniet quod iis qui guſtato demum veneno ſentiunt id eſſe lethale, indiciúmque ipſis hoc ſuo conſtat exitio.*

*Nam neque hos probamus, neque eos qui amicitiam honeſtate ac vtilitate metientes, putant adulatores ipſo facto ſe deprehendiſſe eos, qui blandè ac gratioſè conuerſantur. Nõ enim inſuauis eſſe debet amicus aut incõditus, neque grauitas, auſteritáſque amicitiæ morũ acerbitate conſtat: ſed ipſa illa eius pulchritudo atque grauitas, ſuauis eſt atque deſiderabilis: iuxta illud Euripidis.*

Faciẽ intueri dulcẽ hominis eſt beneuoli.

*Atque vt Euenus dixit omnium condimentorum optimum eſſe ignem: ita Deus amicitiam vitæ admiſcens, omnia læta, dulcia ac grata vt eſſent amico præſente vnáque fruente fecit.*

Amico præſente omnia læta.

*Sed ſicut vaſa quæ aurum mentiuntur &*

*adulterina ſunt, fulgorem tantùm auri atque nitorem imitantur: ſic adulator ſuauitatem venuſtatémque amici imitans, ſemper hilarem ſe ac reuidentem præbet nunquam reſiſtẽs, nunquam repugnans. Itaque non ſtatim debemus adulationis ſuſpectos habere quicumque laudant, non minùs enim ſuo tẽpore laus amicum, quã obiurgatio decet. Quinimò moroſitas ac ad quæuis reprehendendũ procliuitas, ab amicitia eſt & à cõſuetudine res aliena.*

*Quem igitur oportet cauere? Eum qui neque videtur neque profitetur ſe adulari, quem non deprahẽdes circa culinam oberrare, aut vmbram metiri vt cœnæ tempus exploret, aut ebrium quouiſmodo ſeſe proſternere: ſed plerúmque ſobrius eſt curioſe agit, & actionum vult eſſe ſocius, arcanorúmque particeps: & in ſumma tragicus eſt, non ſatyricus aut comicus hiſtrio, amici perſonam gerens.*

Vmbrã metiri.

*Sicut enim Plato ait extremæ eſſe iniuſtitiæ, iuſtum videri neque eſſe: ita & hæc periculoſa eſt exiſtimanda aſſentatio quæ fallit, non quæ aperta eſt, & quæ ſeriò, non quæ iocò agit.*

Occulta aſſentatio pernicioſiſſima.

*Nos autem, quando minimè gentium dictum illud, pereat cum inimico amicus, probamus.*

*Sicut enim agreſtia ſemina quæ tritico permixta eiuſdem cum eo ſunt figuræ ac magnitudinis, difficulter ſecernuntur, cùm aut non excidant per anguſtiora crebri foramina, aut per ampliora vnà cum tritico excidant: ita adulatio amicitiæ ſeſe admiſcens ſimilitudine omnis affectus, motus, vſus atque conſuetudinis, difficulter deprahenditur.*



Adulatio difficulter digno ſcitur.

*Enimverò quia omnium rerũ ſuauiſſima eſt amicitia, nihílque plus adfert lætitiæ, ideò adulator etiam voluptatibus delinit; in iiſq; adminiſtrandus eſt. Et quia gratia vſúſque amicitiam conſequitur, quam ob rem dicimus igne magis & aqua neceſſarium eſſe amicum: idcirco adulator miniſteriis ſeſe vltrò offert, conatúrque ſummo ſtudio officioſus, impiger promptúſque, videri.*

Amicitia rerũ omniũ ſuauiſſima.

*Sed ſicut periti coqui dulces ſuccos, ne ij ſatietatem gignant, amaris auſteriſque condiunt: ſic & adulatores non genuinam, neque vtilem, ſed veluti ſuperciliis adnictantẽ, ac titilantem temerè libertatem adhibent.*

*Diximus autem principium amicitiæ eſſe pleriſque animi indoliſque affectionem ſimilẽ quà eoſdem mores, eaſdem conſuetudines amplectimur, iiſdem rebus, ſtudiis, occupationibúſque capimur, in quam ſententiam etiam hæc dicta ſunt:*

Seni ſenilis vox eſt iucundiſſima,
Puero puer, mulieri mulier cõgruit,
Ægrotus ægrotanti: cui res aſperæ

Pares cũ paribus.

Sunt,is experto calamitatẽ concinit.

*Ergo adulator ſciens à natura inſitum eſſe
earundem rerum ſtudium, hic primùm ap-
propinquare & contubernio eodem vti aggre-
ditur, veluti in paſcuis animali cuidam ſeſe
adiungens, ſenſim iiſdem inſtitutis, earum-
démque tractatione rerum, iiſdémque ſtudiis
& viuendi eadem ratione ſeſe applicando,
conformémque exhibendo: donec tandem is,
quem petit, anſam præbeat, palpantíque ci-
curem ſe & tractabilem exhibeat: itaque &
vituperat eas res, mores atque homines, quibus
illum offendi intelligit, & quæ placere ei ſen-
tit, ea non mediocribus ſed nimiis fert laudi-
bus, ita vt cum ſtupore quodam ſe ea admira-
ri ſimulet, cõfirmétque ſe iudicio magis quã a-
nimi ſubito motu alia amare, alia improbare.*

Amicus qualis eſſe debeat.

*Principiò intuendum eſt in ſimilitudinem
inſtituti atque continuationem, perpetuòue
iiſdem gaudeat, eadémque laudet, vitámque
ſuam ad vnum dirigat atque exigat exẽplar,
ſicuti decet ingenuum amicitiæ iiſdem moribus
firmatæ conſuetudiniſque amatorem, talis e-
nim eſt amicus. At verò adulator ſtabilem
nullam cùm habeat ſuorum morum ſedem, ne-
que certum aliquod viuendi delegerit genus
ſibi quod placeat, ſed quod alteri, cúmque al-
teri ſeſe effingat atque accõmodet, non ſimplex
eſt aut vnius modi, ſed varius ac multiplex,
ex alia*



*ex alia in aliam ſubinde formam tranſiens:
quomodo aqua defluens ſubinde mutatur ad
formam eorum in quæ incidit, Simias aiunt
capi, dum homines imitari conentes, eorum
motus & ſaltationes adſectantur.* Adulator
*autem alios imitando decipit atque illicit, non
eodem omnes modo.*

Adulator turpium imitator.

*Eſt enim natura propenſus ad deteriora adu-
lator: ac præterea quàm longiſſimè à reprehẽ-
dendo videtur abeſſe ſi turpia imitetur. Suſ-
pecti enim ſunt qui meliora quærunt,* viden-
*túrque iniquè amicorum ferre peccata, quæ
res & Dionem Dionyſio, & Samium Phi-
lippo, & Ptholemæo Cleomenem inuiſum fe-
cit atque perdidit.*

Amico vxorẽ ſuã eiiciente, adulator quoque ſuam repudiat.

*Ego verò noui qui amico ſuam vxorem eii-
ciente, ſuam quoque ipſe repudiauit. Sed ta-
men amici vxor deprehendit eum clàm iſtam
inuiſere, ac per internuncios cum ea agere. Id
verò commentum adulatoris in imitationi-
bus non prætereamus, quod etiam ſi quid boni
imitatur, tamen ei cui aſſentatur palmam re-
linquit,*

*Qui enim veri ſunt amici, apud eos nulla eſt
obtrectatio, nulla inuidia: ſed ſiue vincant re-
ctè agendo, ſiue ſuperentur, citra moleſtiam
ſuſ déque ferunt.*

*Adulator autem memor ſe vbique ſecun-*

das agere partes, ſimilitudinem ita affectat vt ſemper inferior ſit, primámque laudem & palmã alteri relinquat, exceptis prauis rebus.

Ineſt in vnguento gratus odor, ineſt etiam in medicamento. Sed hoc intereſt, quòd illic tantùm ad voluptatem refertur, neque vllius præterea rei gratia ineſt: hîc autem ei, quod purgandi corpus, aut calefaciendi, aut carnem reparandi facultatem habet, accedit.

Oportet enim bene merendo amicum offendere, non lædendo amicitiam abolere: ſed eo quod mordet vti tanquam medicamento, quo ſeruetur & ſanetur qui curatur.

Quemadmodum igitur Xenophon Ageſilaum ait eorum habuiſſe collaudationes gratas, qui culpare per occaſionẽ vellent: ita eũ amicè delectare ac gratificari cenſeamus, qui aliquãdo etiã moleſtia afficere & aduerſari poſſit, eã verò conſuetudinẽ, quæ cõtinentibus blãdiciis vſa omni morſu caret, vitii ſuſpectã habeamus. Sitque nobis in promptu illud Laconis dictum, qui cùm Rex Charilaus laudaretur: Quî, inquit, iſte probus ſit, qui ne malis quidem acerbus eſt? Quapropter maximè vbi laudat cauendum eſt ab adulatore. Modò enim aliorũ quorumdã de ipſo pronunciatas laudes refert, rhetorum exemplo aliena vſus perſona: periucundum,

Conſuetudo acrimonia carẽs ſuſpecta habẽda.



inquiens, mihi fuit in foro cum peregrinis, vel ſenioribus colloquium, qui de te multa in bonã partem non ſine admiratione tui dixerunt. Ea verò eſt ſumma malitia, quod ne ſibi ipſis quidem parcunt adulatores. Sicut enim luctatores corpora ſua demittunt, vt alios proſternant: ſic ſeipſos illi vituperando obrepunt ad alios laudandos. Ego inquiunt, in mari timidum ſum mancipium, ad labores animum deſpondeo, inſanio, præ ira maledictis impetitus, verùm iſte nullo terretur periculo, omni caret vitio, homo eſt ſingulari omnia fert æquo animo ac citra moleſtiam.

Et Solon Crœſo de fœlicitate perquirente, Tellum quendam obſcurum Athenis hominem, Bitonémque & Cleobin ipſo pronunciauit fœliciores.

Fœlices Solonis.

Carneades dicebat diuitum ac Regum filios, nihil aliud benè ac rectè diſcere, quàm equitare, quippe magiſtri in ludis iis aſſentatur, & qui colluctatur, vltrò ſe inclinat, equus nulla habita ratione, priuatus an princeps, pauper, an diues inſideat, eum qui regere non didiſcit, præcipitem excutit.

Stultè itaque Bio, qui agrum laudando putabat ſe redditurum fertilẽ ac frugiferũ potiùs quàm fodiendo. Atque ager quidem laudando non fit deterior: hominem inflant ac perdunt, qui immeritò laudant.

*Denique adulatores ſuam libertatem iis duntaxat adhibentes, quæ neque lædunt, neque dolent, perinde faciunt ac ſi quis hominis à tuberculis ac fiſtulis laborantis crines vnguéſque cultro medico deſecet. Sunt alij his etiam aſtutiores, qui libertatem vituperationéſque ad voluptatem conciliandam accommodant.*

Libertas ob voluptatem.

Reges & principes adulatoribus vti.

*Sic Agis* Argiuus *cùm Alexander cuidam ſcurræ magna daret dona, præ inuidia ac dolore exclamauit.* Proh *rem abſurdiſſimam, cúmque iratus rex ſe ad eum conuertiſſet, & Quid ais dixiſſet: Fateor, inquit, indignari me, ac moleſtè ferre quod vos Ioue genitos omnes video hominibus adulantibus ac ridiculis vti: nam & Hercules Cecropibus quibuſdam, &* Bacchus *Silenis ſeſe oblectauit, & tales apud te in precio eſſe manifeſtum eſt.*

*Quapropter ne Biantis quidem dictum vitio planè caret: qui interrogatus quodnam animalium eſſet moleſtiſſimum, reſpondit ferorum quidem tyrannum, cicurum autem adulatorem.*

*Etenim amici mores, ſicut veritatis apud Euripidem oratio ſimplices ſunt, ſinceríque & nihil habent ficititium.* Adulatoris *autem reuera praui & morbidi.*

*Veruntamen eſt primum in promiſſionibus conſiderandum diſcrimen.*



*Rectè enim maiores quoque noſtri dixerũt, amici hanc eſſe promiſſionem.*

Si poſſum præſtare, & ſi fieri res poteſt.

*Adulatoris autem hanc:*

Dic quodcunque velis.

Regis aut diuitis deſiderium quale eſſe debeat.

*Non enim temerè inuenias diuitem aut regẽ qui hoc vſurpet:*

Vtinam mihi ſit pauper, aut (ſi res ferat)
Paupere miſerior, qui benè cupiens mihi,
Timore miſſo dicat id quod ſenſerit.

*Ab amico enim quod præſtatur officium, veluti animal quoddam intus præcipuam habet vim, ad oſtentationem & pompam nihil, ſed ſepenumerò ſicut medicus occultè ſanat, ita & amicus ſua præſentia aut abſentia amico prodeſt ignoranti pro ſe curam geri.*

Charitas & liberalitas Arceſilai.

*Talis fuit* Arceſilaus *qui ægrotantis* Apellis *Chij paupertate cognita, reuerſus ad eum dragmas vnà viginti attulit, aſſidénſque ægroto,* Hîc *quidem (aiebat) nihil eſt præterquam Empedoclis illa elementa.*

*Ignis, aqua, & tellus, atque ætheris ambitus almi: ſed tu etiam incommodè cubas, ſimúlque mouens puluinar eius, clàm pecuniam ſubiecit, quam cum vetula quæ ægroto*

*miniſtrabat, reperiſſet, Apelliquè cùm admiratione renunciaſſet, ſubridens hic: Arceſilai, inquit, hoc eſt ſurtum.*

Naſcitur proles parentum ſimilis.

*Et verò in philoſophia locum habet illud, naſci prolem parentum ſimilem.*

*Sic etiam Deos puto plerumque occultè benefacere, cùm ea ſint natura, vt ipſa ſua beneficentia delectentur.*

Exprobratum beneficium odioſum & ingratum.

*Adulatoris autem facta nihil habent iuſti, nihil veri, nihil ſimplex, nihil liberale.*

*Etenim omnis quidē quæ exprobratur gratia, moleſta eſt & ingrata atque intolerabilis. Sed adulatorum non poſtmodò, ſed etiam dum adhuc exhibentur officia, exprobrationem ſecum trahunt & pudefaciunt.*

*Non enim verum eſt quod Gorgias dixit amicum ab amico tantùm in rebus iuſtis operam poſtulaturum, ipſi autem in multis etiam non iuſtis rebus operam daturum. Amicus enim*

Officij finis.

Vnà agere rectè, non peccare vnà ſolet,

*Itaque amicū aut ab ijs quæ non decent auertet potius: aut ſi non perſuadeat, eo vtetur, quod Phocion ad Antipatrum dixit, non potes me & amico vti & adulatore, id eſt, & amico & non amico.*



*Adiuuandus eſt enim amicus in factis, non flagitiis: in conſultando, non in parandis inſidijs: teſtimonio non fraude. Denique ſocius etiam aduerſæ amico fortunæ eſſe, non autem maleficij debes, vt enim aliquando conſcij amicis turpitudinis alicuius ſimus, non tamen conſortes facti turpis eſſe velle debemus.*

Adulator fidus miniſter amoris.

*Adulator ad ea quæ ſub axilla geruntur, id eſt fœda & clandeſtina, impigrum ſeſe offert, miniſter amoris eſt fidus, in meretrice adducenda accuratus, non indiligens ad diluendam de ſumptu conuiuij curam, induſtrius in cœnis adornandis, pellicibus obſequens, iuſſus ferociter aduerſum curatores, aut vxorem heri exemplo exturbare, abſque miſericordia verecundiáue obtemperat.*

*Amico enim nihil iucundius eſt quàm cum multis amare atque amari, in idque perpetuò dat operam, vt amicus à quamplurimis diligatur atque collatur, amicorum enim communia eſſe omnia cenſens, nihil magis commune putat debere eſſe atque ipſos amicos.*

Loca ſublimia inſidiantibus aditu difficilia.

*Etenim ſublimia loca difficilia aditu ſunt inſidiantibus: ſed animi ratione nō inſtructi altitudo atque elatio à fortuna aut natalium bonitate profecta, paruis & humilibus aditum facillimum præbet.*

Deum ſequi.

*Si verò Deum ſecuti tenentéſque ſummam vnicuique in eo poſitam eſſe ſalutis vt Norit ſeipſum, naturam, educationem, inſtitutionémque noſtram examinauerimus, quibus innumeri defectus pulchritudinis, plurimum vanitatis ac vitij admixtum eſt in actionibus, in verbis, in animi motibus: non ita facilè calcari nos ab adulatoribus patiemur.*

Noſſe ſeipſum.

*Pauci enim de multis ſunt, qui liberè potiùs cum amicis loqui audeant, quàm gratificari, ac in illis ipſis paucis non facilè inueneris qui libertate vti ſciat: ſed ferè putant ſe liberè dixiſſe ſi vituperauerint & conuiciati ſint. Enimuerò vt alia medicamenta, ita & libertas dicẽdi intempeſtiuè vſurpata, abſque vtilitate moleſtiam adfert ac perturbat: facitque idem quodammodo cum dolore, quod adulatio cum voluptate. Non enim laudationes modò ſed & vituperationes nocẽt, ſi alieno adhibentur tempore, atque hoc maximè adulatoribus obiicit homines cũ à nimiis arduis atque aduerſis veluti in morem aquæ ad mollia & humilia delabuntur.*

Libertatis in dicendo verus vſus.

Vitiorũ germina correctio.

*Omne enim vitium, virtute, non aduerſo vitio eſt corrigendum, in quo errant nonnulli, à nimia verecundia ad impudentiam, à ruſticitate ad ſcurrilitatem confugientes, ac tum ſe longiſſimè abeſſe à timiditate & mol-*



*liciæ putantes, cùm proximi videntur proteruitati eſſe & ferociæ, quidam etiam impietate ſuperſtitionem, ſtoliditatem improba aſtutia amoliuntur, mores inſtar ligni ab vna parte in alteram incuruantes, dum rectitudinis reſtituendæ ſunt ignari.*

*Eſt enim libertas amica res & grauitatem habet: reprehenſio & amorem ſui, & animi illiberalitatem aliquam arguit. Vnde fit, vt reuereamur admiremúrque liberè nos increpantes, vituperatoribus autẽ par pari referamus, eóſque contemnamus, ſicut Agamemno Achillem, qui tamen non vltra modum prouehi liberè dicendo videbatur, non ferens, Vlyſſi acerbè increpanti, ac dicenti,*

Perdite, cui que vtinã non iſte exercitus eſſet
Subditus. --- *concedit, ac perfert oratione cordata & profecta ab animo de republica ſolicito correptus.*

Primo Illiad.

Occaſionis neglectio damnoſa.

*Occaſionis autem neglectio cum aliis omnibus in rebus eſt damnoſa, tum vtilitatẽ præcipuè libertatis perdit.*

Vbi abſtinendũ libertate oris.

*Satis verò liquet inter pocula & apud æbrios libertate abſtinendum eſſe.*

*Nubem quippe ſerenitati inducit, qui inter iocos & hilaritates orationem mouet quæ ſupercilium atollat, & ſeueritatem vultus inducat, quaſi aduerſans Lydio Deo qui, vt*

*ait Pindarus, finem moleſtarum ſoluit curarum.*

Animi ob vinum ad iram præcipites.

*Sunt enim animi ob vinum ad iram præcipites, & ſæpè ebrietas libertatem in inimicitiam conuertit. Omnino autem neque generoſi neque audacis, ſed timidi eſt libertate apud ſobrios abſtinere, in menſa latrare, ſicut ſolent ignaui canes.*

*Euripidi dicenti,*

Cùm res ſunt ſecundæ, quid amicis eſt opus?

*Reſpondendum, maximè amicis libero ore loquentibus opus eſſe ei cui fortuna eſt proſpera, qui nimios redũdant ſpiritus. Pauci enim ſunt qui non ſucceſſibus lætis inſoleſcant: plerique indigent aliorum externis conſilijs, rationibúſque foris eos deprimẽtibus à fortuna inflatos & æſtuantes, vbi fortuna in aduerſum mutata faſtu exuit, ipſæ calamitates in ſe habent quòd pœnitentiam inducat & caſtiget. Itaque afflictis rebus nullus eſt vſus liberarũ amici vocum, aut moleſti ac mordacis ſermonis: ſed re vera in his mutationibus.*

Homo beneuolus quid vultus benignus effecerit.

*Faciem intueri dulce eſt hominis beneuoli. Conſolantis atque animum addentis: quomodo Xenophon ait præliantes aut alijs in periculis conſtitutos milites viſo Clearchi placido ac benigno vultu animoſiores fuiſſe redditos.*



*Nam & nutrices puerulis cadentibus, non accurrunt vt maledictis inceſſant, ſed erigunt, abluunt, ſedant: poſteà tandem obiurgant atque caſtigant.*

*Demetrium ferunt Phalereum, cùm patria exulans apud Thebas obſcuram humilémque vitam ageret, accedente Cratete nonnihil cepiſſe moleſtiæ, Cynica eum erga ſe libertate aſperíſque vſurum ſermonibus opinantem. Sed cùm Crates comiter ipſum allocutus de exſulio diſſeruiſſet, docuiſſétque illi nihil mali, aut quod deberet ferre iniquiùs accidiſſe, negotiis liberato periculoſis atque lubricis: hortatúſque eſſe vt in ſeipſo animique affectione ſui omnem collocaret fiduciam, ibi tum Demetrium moleſtia abiecta animóque recepto amicis dixiſſe: Piget verò me actionum iſtarum atque occupationum, quarum culpa tantum virum non licuit videre.*

Amicorũ vox.

Quippe ægrũ animum vox comis amicorum iuuat.
Stulto nimis debetur caſtigatio.

Liberæ voces vbi vſurpãdæ.

*Vbi ergo, dices, vehemens debet eſſe amicus, & libera increpationis vigore vti? vbi, inquam, inhibendus eſt ad voluptatem, iram, contumeliámue factus impetus*

*aut auaritiæ excutiẽda habitúſue animi alius ſtultus oppugnandus. Sic liberè Solon Crœſum monuit, inſtabili rerum proſperitate corruptum ac luxuriantem, finem reſpicere iubens. Ita Socrates Alcibiadem repreſsit, conuictóque vitij veras extorſit lachrimas, ac cor inuertit.*

Monitio Solonis ad Crœſum.

*Hoc modo* Demaratus *Corintho in Macedoniam cùm veniſſet ſub id tempus, quo cum vxore & filio* Philippus *diſsidebat, amicè à Philippo exceptus interrogatúſque quomodo Græcis inter ſe conueniret, dicitur (vt erat ei beneuolus atque familiaris) reſpondiſſe: ſcilicet verò* Philippe*, rectum eſt te inquirere de concordia* Athenienſium *&* Peloponeſiorũ*, qui familiam tuam pateris tanta ſeditione & diſſenſione laborare?*

*Rectè etiam Diogenes, qui in caſtra Philippi in bellum contra Græcos proficiſcentis cùm veniſſet, eſsétque ad regem adductus, & non agnitus interrogaretur ab eo numnã explorator eſſet: Omnino, inquit, ſum tuæ, Philippe, ſtultitiæ atque amentiæ explorator, qui nulla neceſsitate vrgente de regno & corpore tuo venis vna hora fortunæ aleam ſubiturus.*

*Adhæc cauendum eſt, ne coram multis libertate aduerſus amicum vtamur, tenendúmque illud Platonis, cùm enim Socrates in co-*



*uiuio diſputans quendam familiarium acriùs inceſſeret, Platoni dicenti, Nónne præſtabat hæc priuatim loqui? reſpondit: Et tu nónne rectiùs de hoc ipſo ſeorſim me monuiſſes?*

Obiurgationes priuatim fieri debere.

*Ferunt adoleſcentulum quendam à Pithagora, cui operam dabat, multis præſentibus compellatum aſperiùs, ſuſpendio vitam finiſſe, atque ab eo tempore Pythagoram nunquam alio præſente quemquam corripuiſſe. Oportet tanquam morbi turpis, ita peccati etiam detectionem & ſanationem occultam eſſe, nihil pompæ, nihil oſtentationis habentem, neque teſtes ſpectatoréſque adducentem.*

Adoleſcens laqueo vitã finiuit quia coràm arguiſſet eius præceptor Pythagoras

*Non enim quod eſt apud Euripidem, amor duntaxat caſtigatus magis premit, ſed quoduis omnino vitium ſi quis coram multis liberius reprehendat, impudentiam induit.*

*Quare percommodè vſurpatur illud.*

Admoto capite, vt reliqui exaudire nequirent.

Signum capitis caſtigat.

*Minimè autem conuenit vxore audiente maritum, patrem coram liberis ſuis, amatorem præſente amaſio, aut apud diſcipulos magiſtrum obiurgare, nam præ ira ac dolore tranſuerſi aguntur, qui coram ijs reprehenduntur, apud quos volunt in precio & exiſtimatione proba eſſe.*

Nõ cõuenit magiſtrũ apud diſcipulos obiurgare.

Nam Plato ſuæ ſe vitæ exemplo dicebat corrigere Speuſippum, ſicut & Polemonem Xenocrates conſpectus tantummodò in ſchola, & ipſum intuitus, ad aliud vitæ genus traduxit.

Homini autem qui leuis ſit, & moribus prauis, ſi liberè obloqui alij conetur, licebit ſemper occinere illud,

Aliis medetur, ipſis vulneribus
ſcatens.

Beneuolentiam enim authoritatémque ſibi parãt, qui cũ eadẽ in culpa eſſe, tũ amicos eodẽ quo ſeipſos modo corrigere videntur.

Non ergo abs re Phenix ſua ipſius delictã protulit, qui per iram interficere patrẽ voluerit, móxque mutauerit ſententiam,

Ne patris, inquit, occiſor Græcos
ego dicier inter
Perferrem.---- ne Achillem obiurgans arrogare ſibi videretur, nihil ſe per iniuriam peccaſſe. Penetrant autem huiuſmodi admonitiones blandè, faciliúſque conſedimus ijs qui eodẽ modo lapſi, quã qui deſpicere nos videtur.

Laus obiurgationi cõmiſcenda.

Quoniam autem neque lumen clarum inflammato oculo debet obijci, neque affectu cõcitatus animus libertatem admittit obiurgationémque meram, inter vtiliſſima adiumenta eſt admixtio laudis modicæ.

Porrò ſicut Thucydides ait qui ob rem maximam ſubit inuidiam, cum rectum ſequi



conſilium: ita & amicus debet moleſtiam caſtigandi in magnis modò rebus, & in quibus plurimum eſt ſitum momenti, in ſe recipere.

Philotimus medicus cùm quidam purè circa iecur laborans ei digitum exulceratum commonſtraſſet: heus, inquit, nõ tibi cũ rediuiæ eſt negotium.

Cæterùm quoniam neque ſenectuti, vt eſt apud Euripidem, neque amicorum ſtultitiæ omnia adſunt mala, debemus non delicta modò amicorum, ſed & rectè facta obſeruare, ac ſanè initio acriter collaudare, & ſicut ferrum priùs, vi ignis coxatum atque emollitum, deinde frigidæ immiſſum aquæ denſatur ac duriciem conſequitur: ita amicis, poſtquam laus eorum animos calefecit atque relaxauit, paulatim quaſi tincturæ loco adhibenda eſt libertas reprehenſionum.

Correctio qualis.

Offeret enim ſe occaſio, vbi dicere poteris: hæcine cum illis comparari dignũ eſt? viden' quos fructus honeſtum referas? Hæc abs te poſcimus amice, hæc ſunt conuenientia, ad hæc te natura formauit: illa verò alia repudianda ſunt & amandanda.

Vt enim humanus medicus ſomno aut victu mallet morbũ depellere, quàm caſtorio aut ſcãmonio: ita & amicus verus & benignus pater & magiſter, laude magis quã vituperatione vti gaudet ad morum emẽdationem, neque

*quicquam facit vt liberæ correctiones tam & parum moleſtiæ, & multum vtilitatis ſecũ trahant, quàm cum ea ſine ira placidè & animo beneuolo peccantibus accommodantur.*

Humanioribus verbis vtendum.

*Humanius enim hoc dictum eſt, quàm iniuriam feciſti, inhoneſtè egiſti, & lenius eſt, non percepiſti, quàm ignoraſti:* Noli certare *cum fratre, quàm noli inuidere fratri, & fuge mulierem quæ te corrumpit, quàm deſine mulierem corrumpere.*

*Et Diogenes dicebat eũ qui ſaluus eſſe debe- ret, amicos bonis, aut infeſtiſſimis inimicis opus habere: illi enim docent, hi reprehendunt.*

Amici nõ caſtigãdi verbis moleſtiam parietibus.

*Quare hoc inter præcipua obſeruandum eſt, ne verbis amicum caſtigantes, colloquium verbis moleſtiam afferentibus & irritantibus abrumpentes diſcedamus.*

*Quia igitur, vt docuimus, libertas dicendi ſæpenumero moleſta eſt ei, ad quem ſanandũ adhibetur, imitari debemus medicos. Neque enim illi vbi ſectionem adhibuerunt, partem affectam in dolore relinqunt, ſed hunc placidè rigando ac perfundendo amoliuntur: nec qui ciuiliter verbis obiurgant, acerbitate & morſu orationis defuncti aufugiant: ſed aliis colloquiis, ſermonibúſque leuibus demulceant ac recreent, quemadmodum lapicidæ ſtatuas aſperè excisas leuigant atque poliunt.*

Ex



# Ex libello qui inſcribitur, quomodo quis ſuos in virtute paranda ſentire poſſit profectus.

Celeritas mutationis.

QVÒD *ſi celeritas & magnitudo mutationis tanta eſſet, vt qui manè fuerat teterrimus, veſperi redderetur optimus: aut ea ſic alicui accideret, vt cùm obdormiuiſſet vitioſus, expergiſceretur ſapiens, dimiſſáſque ex animo heſternas fatuitates & impoſturas ita compelleret.*

Inſomnia vana valete, nihil eratis.

Paruum paruo additum.

Nam ſi vel paruum pergas ſuperaddere paruo,
Idque frequenter agas, magnum citò habebis aceruum.

*Non enim vt vnguento, ſic doctrina præſentes delectari debemus, abſentes non eam requirere, neque cum moleſtia carere: ſed verè proficientis in Philoſophia eſt, ſimile aliquid fami ac ſiti ſentire ſi auellatur, ſiue nuptiæ, ſiue diuitiæ, ſiue amicitia, ſiue expeditio incidens eum à philoſophiæ ſtudio ſeiungat, quan-*

E

*to enim plus ex philoſophia perceptum eſt, tãto maiorem animo moleſtiam exhibent quæ relinquuntur.*

*Et Diogenem memorant Synopenſem cùm philoſophari cœpiſſet, ac fortè Athenienſes feſtos agerent dies, epularenturque ſplendidè, ſpectaculáque eſſent, & conuiuia ac commeſſationes per totam noctem ducerentur, in quodam fori angulo pannis inuolutum ſomni capiendi cauſa iacentem, in cogitationes incidiſſe animum ipſius non leuiter ab inſtituto auertentes atque frangentes, reputantem ſe nulla neceſsitate vitæ genus laborioſum, atque à communi vſu alienum iniuiſſe, ac ſeipſum omnibus bonis priuaſſe, ut verò murem arrepere, & circa micas mazæ & offæ eius obuerſari vidit, animum rurſus erexiſſe ac ſeipſum increpaſſe damnauiſſéque quid ais, inquientem, Diogenes? mus hic reliquiis tuis lætus veſcitur, tu verò præclarus ſcilicet homo teipſum deploras, quod non iſthic in ſtragulis teneris atque floridis inebriare?*

Dictum Zenonis in Theophraſtum

*Ac Zeno videns Theophraſtum in admiratione haberi ob diſcipulorum multitudinem: chorus eius, inquit, maior eſt, meus meliùs concinit.*

*Animaduerte igitur, non tantùm philoſophorum ſcripta legendo, aut orationibus eorum audiendis, ne ſis verbis magis quàm*



*rebus attentus, neque maiori impetu feraris ad ea in quibus ſubtilitas aliqua & curioſa compoſitio, quàm ad ea in quibus medulla rerum & vtilitas ineſt.*

Apium ſimilitudo.

*Sicut enim in floribus verſari Simonides ait apem, flauum mel meditantem, cùm alÿ colorem eorum vel odorem, nihil aliud quærant aut percipiant, ita aliÿs poëmata voluptatis iocique cauſa verſantibus, tu aliquid inueniens ac colligens ſerium, videberis iam conſuetudine & amore pulchritudinis & eorum quæ philoſophi ſunt propria, horum cognoſcendi facultatem tibi paraſſe.*

*Iam qui magis etiam profecerunt, non ex orationibus ſolum, ſed è ſpectaculis quoque & rebus quibuſcunq; norunt vtilitatẽ capere, idq; colligere, quod ipſorum inſtitutio commodet.*

Nihil eſt tam paruũ quòd ſe tueri non nitatur.

*Braſidas murem inter aridas ficus deprehenſum, morſus ab eo dimiſit, tum ſic ſecum: Hercules, quàm nihil ita paruum aut infirmũ, vt non poſsit vitam tueri, ſi audeat ſe defendere?*

*Diogenes è vola quendam bibere conſpicatus, poculum pera eiecit.*

*Æſchylus Iſthmici certaminis ſpectator, cùm vnus pugillum plagam accepiſſet, theatrumq; clamorem ſuſtuliſſet: látere Ionis Chÿ foſſo, vt is animaduerteret: Viden' inquit, exercitatio quid poſsit? tacet ictus, ſpectatores vociferantur.*

*Adeò ad ſentiendum & percipiendum ea quæ vndecunque ad virtutem conducant attentio & aßidua exercitatio facit idoneos.*

*Oſtendit hoc* Ariſtippus, *qui quodam in cõgreſſu ſophiſtica fraude circumuentus ab audace homine, alioqui ſtulto & furioſo, cùm videret eum exſultare atque faſtu tumere: Ego quidem, inquit, abeo ſuauiùs te qui me refelleris dormiturus.*

Actionũ examen.

*Non orationem autem ſolùm, ſed & actiones quiſque ſuas conſideret, plura ne ea ad veritatem conducentia, quàm ad pompam oſtentationémque comparata in ſeſe habeant.*

Præclarè facta non eſſe aliis commemorãda.

*Sicut ergo ille qui domi ancillam vocans clámabat, Cerne Dionyſia, depoſui factum: ita & is qui pulchrum aliquod atque ſcitum facinus ſuum paßim narrat ac circunfert, ſatis apertè oſtendit ſe adhuc foras reſpicere & ad gloriam trahi.*

Beneficia non eſſe narrãda.

*Proficientis ergo in virtutis ſtudio eſt, non modò ſi quid amico donauit, aut noto benefecit, id aliis non narrare: ſed etiam ſi inter multos iniuſtos ſententiam iuſtam ipſe dixerit, aut diuitis principiſque alicuius petitionem inhoneſtam obnixè repudiauerit, aut munera ſpreuerit, aut etiam noctu ſitiens potu abſtinuerit, oſculúmue formoſi aut formoſæ auerſatus fuerit, vt fecit Ageſilaus, ſecum id ſeruare & reticere, ſic enim ipſe ſibi placens, neque ſeipſum contemnens, ſed gaudens ſeipſo atque contẽtus vt ſatis idoneo teſte ac ſpectatore pulchrorum, oſtendit rationem iam intra ſe conuerſam iam radices agere, & (quod iubet Democritus) ex ſeipſo ſui oblectandi materiam petere condocefactum ſe eſſe.*



Faſtus diminutio.

*Agricolæ quidem, ſpicas libentiùs vident, quæ inclinatæ verſus terram vergunt: quæ enim ob leuitatem ſurſum attolluntur, eas inanes putant eſſe & caſſas. Ita & adoleſcentum philoſophiæ operam dare volentium, qui maximè vani ſunt & grauitatis expertes, audaciam ij habent, ſpeciménque & inceſſum vultúmque plenum ſuperbiæ ac contemptus nemini parcentis: vbi verò impleri incipiunt fructúmque è doctrina colligere, tum ferocia iſta & vanitas deponitur.*

Qui ſibi videntur ſapientes tandẽ rudes fiunt & plebeij

*In hos videtur etiam iocus Menedemi congruere. Aiebat enim eorum qui ad ſcholam Athenas nauigarent, pleroſque primum ſapientes ſibi eſſe, deinde philoſophos fieri, poſtea oratores, tandem progreſſu temporis rudes ac plebeios: quo enim magis doctrinæ ſe præberent, eo magis eos faſtum arrogantiámque deponere.*

*Quemadmodum qui in deliria inciderunt, aut phrenitidam, aliquando ne venientem quidem ad ipſos medicũ ſuſtinent, ſed eijciunt aut fugiunt vehementia morbi. Sic & eorũ*

*qui peccant, inſanabiles ſunt qui hoſtili animo affecti ſunt ſæuiúntque aduerſum reprehenſores ac caſtigatores: qui verò ſuſtinent admittúntque diſciplinam, manſuetiores ſunt.*

Diogenis dictũ ad quẽdam puerum in cauponam fugientem.

*Scitum eſt enim* Diogenis *illud ad quendam dictum adoleſcentem, qui viſus in caupona, intrò in eam fugiebat, quantò, dicebat, magis intrò fugies tantò magis in caupona eris, ita quiuis vitioſus quãtò magis inficiatur ſuum vitium, tantò magis in ipſum penetrat, ac ſeſe includit morbum. Quomodo nimirum pauperes dum ſe diuites eſſe ſimulant, ob ipſam arrogantiam ſunt pauperiores.*

*Pyrrhonem ferunt, cùm nauigans orta tempeſtate periclitaretur, porcellum oſtendiſſe qui hordeo affuſo hilariter veſceretur, ac dixiſſe ſociis, talem affectuum vacuitatem doctrina & ſapientiæ ſtudio parandam eſſe, ei qui nulla obtingente re perturbari vellet.*

*Stilponem philoſophum ſomniaſſe perhibẽt videre ſe Neptunum expoſtulantem ſecum, quòd non bouem ipſi immolaſſet, qui mos erat ſacerdotum, ſe verò nihil territum. Quid ais Neptune, dixiſſe? pueri inſtar venis conqueſturus mecum, quod non ſumpta in fœnus pecunia vrbem nidore impleui, ſed rem tibi ſacram è mea re familiari pro meis facultatibus feci? viſúmque ſibi fuiſſe Neptunum*



*dextra porrecta ſubridentem polliceri ipſius gratia magnum ſe aquarum prouentum Megarenſibus largiturum.*

Bonum ſanitatis ſignum.

*Sicut enim bonum recuperandæ ſanitatis ſignũ eſt morbi in partes corporis nõ præcipuas auerſio: ita vitia proficientium, dum intolerabiliores mutantur affectiones, videntur paulatim extingui.*

*Equidem probabile eſt ab omnibus Athenienſibus laudatam fuiſſe Miltiadis audacẽ fortitudinem, ſed Themiſtocles ſomnum ſibi Miltiadis trophæo adimi, eóque ſe excitari è lecto fatus ſtatim oſtendit ſe non laudatorem modò & admiratorem, verumetiam æmulũ eius immitatorémque eſſe.* Veri *enim profectus hoc proprium eſt, vt quorum æmulamur facta, eorum inſtitutum amemus atque diligamus, & cũ beneuolentia honorem iis aſſiduum deferentes, collaudationibúſque lætis proſequentes eorum ſimiles fieri conemur.*

Exempla proponẽda.

*Conſequens horum eſt, vt cùm rem aliquam aggredimur, aut magiſtratum occipimus, aut fortuitum aliquid nobis offertur, ante oculos nobis proponamus exempla bonorum virorum, ſiue ij ſunt ſiue fuerunt, cogitemúſque quid facturus hoc loco cõſtitutus* Plato, *quid dicturus Epaminõdas, qualẽ ſe geſturus Lycurgus aut* Ageſilaus, *vt veluti in ſpeculũ intuentes, ornemus atq; cõponamus, vel*

*vocem aliquam degenerem corrigentes noſtrã, vel animi motum aliquem reprimentes.*

Bonorũ virorum memoriam atque conſiderationẽ in ſtudio virtutis non obſeruari.

*Sed bonorum virorum memoria & conſideratio celeriter adhibita, in omnibus motibus animi aut difficultatibus oblatis, proficientes in ſtudio virtutis integros conſeruat atque erectos, itaque hoc quoque ipſum indicium eſt profectus. Adhæc, non iam vt antè vehementer perturbari, aut rubore perfundi, aut occultare vel transformare aliquid ſuorũ, viro illuſtri gloria & virtute ſubitò interueniente, ſed conſtanti animo ei obuiam ire, cõſcientiæ quandam habet confirmationem.*

*Alexandrum ferunt, cùm videret nuncium gaudio plenũ ad ſe adcurrere, dextrámque porrigere, dixiſſe, quid mihi nunciaturus es, niſi Homerum reuixiſſe? putabat enim ſuis rebus nihil deeſſe præter famæ ad poſteritatem propagationem.*

Spes ſimul cum diuitiis auget diuitiarum amorẽ.

*Sicut enim qui diuites ſe fore deſperant, paruos ſumptus, facere pro nihilo habẽt, quòd nihil magni futurum putant ſi paruum paruo adiiciatur: ſpes autem ad finem propiùs accedens ſimul cum diuitiis auget diuitiarum amorem, ita & in rebus ad virtutem pertinentibus, qui non multa concedit, neque dicit. Quid tum poſteà, modo ſic aliàs meliùs: ſed ſingulis intentus, vbi vel minimo peccati vitium ſeſe inſinuans veniæ locum dare videtur, ægrè fert & indignatur, manifeſtum facit ſe purum aliquid ſibi iam cõparaſſe, quod inquinari nullo modo velit, faciles enim & negligentes facit, vt Aeſchylus ait, opinio concepta nihil eorum quæ habemus magnum eſſe.*



Difficultas & maior rei perfectio in fine cõſiſtit.

*At qui in virtute exercenda proficiunt, quibus vitæ, veluti ſacri ac regij ædificij, iactum iam eſt aureum fundamentum, nihil eorum quæ aguntur temerè admittunt: ſed veluti amuſſi rationis aptant ſingula atque concinnant, quo de ædificio vſurpari poteſt Polycleti dictum qui difficillimum opus tractare eo pronunciauit, quibus lutum eſt ad vnguem exigendum.*

## Ex Plutarchi libello, de capienda ex hoſtibus vtilitate.

E*Nimuero regionem aliquam inuenire licet, quæ feris careat, quod de Creta narratur. Reſpublica autem nulla adhuc extitit, quæ nullam inuidiam, nullam æmulationem aut ſtudium contendendi, qui ſunt affectus*

*inimicitiis generandis fœcundiſſimi protuliſſe. Quòd ſi nulla alia res, ipſæ ſaltem nos inimicitiis implicarent amicitiæ, quòd & Chilo ille ſapiens ſenſit, cùm è dicente neminem ſe habere inimicum, interrogauit nullúmne etiam amicum haberet.*

Chilo ſapiens.

*Itaque viro in republica verſanti cùm alias de inimicis diſquiſitio non videtur negligenda, tum Xenophontis dictum attentè conſiderandũ, qui cordati hominis pronunciat eſſe etiam ex inimicis vtilitatem capere.*

Ex inimicis vtilitas capiẽda.

*Nõ poteſt quãuis arborẽ colonus exuere ſyl-ueſtri natura, neq; venator omnia cicurare animalia, inuẽta tamen eſt ratio, qua ille & ex ſterilibus, & hic ex feris emolumentũ aliquod caperet. Aqua marina neque potui eſt, & vitioſa, piſces tamẽ alit, hominibúſq; in diuerſiſſimas regiones proficiſcẽtibus loco vehiculi eſt.*

*Cùm Satyrus ignem primò ſibi viſum oſculari vellet & amplecti, monet eum Prometheus,*

Barbã caper tuam deflebis protinus,
Tangentem adurit ignis.—— *Interim lumen præbet & calorem, & vſus gnaris inſtrumentum eſt omnium artium.*

Ignis omniũ artiũ inſtrumẽtum.

*Et Zeno cùm nuntiaretur nauim ipſius qua negociabatur fractam eſſe: Bene facis, inquit, fortuna quæ nos intra palliolum compellis.*

*Quidnam illud eſt, inquies? inimicus perpetuò vigilans res tuas infenſus obſeruat, circuitque vitam tuam vndequaque anſam nocendi captans, neque tantùm per quercum viſu vt Lynceus penetrat, aut per lapides vel teſtas, ſed & per amicos, famulos, familiares quoſcunque, quid rei geras pro virili explorans, & quid conſilij capias per cuniculos inquirens ac perſcrutans.*



*Maximè autem peccatis inhæret inimicus, eáque inueſtigat, & ſicut vultures ad odorem corruptorum putredine cadauerum feruntur, pura & ſana non ſentientes, ita inimicum vitia vitæ maleque affectiones mouent, ad hæc aſſiliunt maleuoli, eáque arripiunt & laniant.*

Vt vultures ad cadauera, ita inimici ad vitia feruntur.

*Vtile igitur eſt vt vſquequaque cautus tibique attentus viuas, & neque vel dicas vel agas quicquam temerè aut inconſideratè, ſed vitam tanquam in exacta victus ratione conſerues omnis repræhenſionis ſecuram, hæc enim cautio ſic reprimens animi motus, rationémque in officio cohibens, ſtudium ingenerat, atque inſtitutum rectè inculpatéque viuendi.*

Quomodo quiſque viuere debeat

*Ac quemadmodum cõtinentibus, vicinorum bellis atque expeditionibus ciuitates edoctæ bonas leges reipub. ſanam formã ſeruare volunt: ita qui ob inimicitias coacti ſunt ſobriè viuere & negligentia ſibi iniuriáq; cauere,*

nihilque niſi ſubductis vtilitatis rationibus agere, eos conſuetudo etiam non ſentientes ad vitæ rationem errorum vacuam adducit, moréſque componit & ornat, vel paululum adiuuante doctrina. Quibus enim in promptu eſt illud ſemper,

Proh, quàm gauderet Priamus,
Priamóque creati:

eos id monet, dehortatúrque & deducit ab iis agendis, quæ inimicis materiam gaudendi deridendique eſſent præbitura.

Equidem hiſtriones atque cantores ſcenicos videmus ſæpenumerò in theatris pro ſeſe remiſſè, ac nulla cum alacritate aut ſolertia agere: orta autem concertatione aduerſus alios, non ſeipſos modò, ſed & inſtrumenta ſua maiore cum diligentia ad certamen aptare, fides explorare, accuratiúſque concentum inſtruere & tibiis canere.

Ita & qui aduerſarium ſibi vitæ exiſtimationíſque ſuæ paratum nouit eſſe inimicum, attentiùs ſeipſum obſeruabit, res ſuas circumſpiciet, vitámque ſuam conſtituet.

Proprietas vitij.

Nam & hoc vitij proprium eſt, quòd cùm peccamus, inimicos magis reueremur quàm amicos.

Res valdè periculoſæ, nullis exiſtẽtibus inimicis,

Itaque Naſica nonnullis putantibus atque affirmantibus rem Romanam in tuto eſſe ſtatu collocatam, deletis Carthaginenſibus,



& in ſeruitutem redactis Achæis: nunc verò, dixit, periculoſè res noſtræ ſe habent, qui neque quos metuamus, neque quos reuereamur, nobis reliquos fecimus.

Adde his Diogenis effatum, oppidò philoſophicum & ciuile, interroganti cuidam, quo pacto vlciſcar inimicum? reſpondit, ſi ipſe probus honeſtúſque fias.

Quod ſi ad maledicendum prouehere, cura vt quàm longiſſimè abſis ab iis, quæ alteri obiicis, excute animum tuum, vide vbi ſis mendoſus: ne tuum tibi vitium occinat illud tragœdi,

Aliis mederi vis, ipſe vlceribus ſcatens.

Cõſuetudo Platonis inter homines cõtra decorum agentes.

Sicut enim Cæcias nubes, ita vitioſa vita opprobria ad ſe trahit. Plato ſanè quoties interfuiſſet hominibus contra decorum agentibus, digreſſus ſeipſum ſolebat alloqui: numnam ipſe quoque fortaſſis tali vitio laboro?

Stultũ eſt conuicia in alios iacere quibus ipſi laboramus.

Vulgo rident, ſi quis caluus aut giboſus ipſe, aliis ea vitia exprobret. In vniuerſum verò ridiculum eſt iacere conuicium in alium, cùm viciſſim tibi conuicium ab eo reponi poſſit: Vt Domitius Craſſo, nónne tu ob mortẽ murenæ quæ in viuario tuo alebatur ploraſti? viciſſim Craſſus, nónne tu abſque vlla lachryma tres tuas vxores extuliſti?

Quare eſt quod Leo Byzantius giboſo

*cuidam oculorum ipſi imbecillitatem exprobranti reſpondit:* Humanum *mihi infortuniũ vitio vertis, ipſe in dorſo Nemeſin geſtans.*

Sophocles.

Inuitus audit, qui volens dixit malè.

*Sicut enim Thelephus domeſtico deſtitutus remedio, vulnus hoſtili haſtæ ſanandum præbuit: ita quos defecit beneuolus caſtigator, ij vt inimici ſermonẽ audiant neceſſe eſt reprehendentis & punientis culpam: non animum maledicentis, ſed rem ipſam conſiderantes.*

*Iaſonem Theſſalium qui volebat interficere, gladio vomicam eius apperuit, eáque rupta ſalutem homini attulit, ſic ſæpè conuicium ab irato aut inimico nobis inflictum, animi morbum latentem neglectúmue ſanauit.*

*Poſtumia quòd promptius rideret, & cum viris liberius colloqueretur, in ſuſpicionem nõ ſeruatæ pudicitiæ venit, ita quidem vt cauſam in iudicio cogeretur dicere, & inſontem criminis compertam Sp. Minutius pontifex maximus cùm abſolueret, monuit ne verbis vitæ caſtimoniam non æquantibus vteretur.*

*Hiero, cùm ei quidam inimicus oris fœtorem exprobraſſet, domum ſe ad vxorem recipiens: Qꝛid hoc, inquit, rei eſt? cur tu mihi hoc non indicauiſti? illa verò, vt erat pudica & ſimplex, Exiſtimabam, ait, omnes viros ſic olere.*

Linguæ moderatio.

*Iam linguæ continentiam, quæ pars eſt vir-*



*tutis non exigua, obtemperantem rectæ rationi ſemper habere non poteſt, niſi qui exercitatione, accuratione, laboriſque contentione peſſimos affectus qualis eſt, ira, edomuerit.*

Cõtinẽtia linguæ, magna pars virtutis.

*Cæterùm orationi, leuiſsimæ rei, grauiſsima (vt eſt apud diuinum Platonem) & apud deos & apud homines pœna eſt propoſita.*

Cõuiciorum audiẽdorũ vtilis ratio.

*Sed non minus vtilitatis eſt in maledictis inimicorum audiendis, Vnde ab Antiſthene dictum eſt rectè eum qui ſaluus eſſe debeat, opus habere, vel probis amicis, vel inimicis vehementiſsimis, quod illi admonendo peccãtes, hi criminando à vitiis auertant.*

Silentiũ vbique impune.

*Silentiũ vbique eſt impune, neque tantùm, quod ait Hipocrates, contra ſitim valet, maximè autem adhibitum vbi maledictis impetimur, grauitatem habet, éſtque Socraticum quippiam aut potius* Herculeum.

Socratis patiẽtia.

*Etenim Socrates Xantippã ferebat iracundam moroſámque mulierem, quòd facilius cũ alijs ſe verſaturum putabat, ſi iſtam ſufferre aſſueuiſſet.*

*Multò etiam præſtat inimicorum & alienorum dicteria & conuicia, iras, & obſcœnas inſectationes exercitatione præparatũ poſſe animo quieto & æquo tolerare.*

Laudando inimicum ipſi laudamur.

*Cæſari cùm ſtatuas Pompeij deiectas erigi iuſsiſſet, Cicero dixit, Pompeij ſtatuis reſtituendis tuas defixiſti.*

*Sed quoniam vt dixit Simonides, omnibus caßitis caßidem oportet eſſe innatam, ita etiam omnis natura humana profert ſtudium rixandi, obtrectationem, & inuidiam vanorum aſſeclam (vt ait Pindarus) hominum.*

Inuidia vanorum hominũ aſſecla.

*Neceſſe enim non eſt vt figulus figulo inuideat, & cantor cantori, ſicut Heſiodus cecinit, neque æmulatio maleuola inter vicinos, cognatos aut fratres neceſſaria eſt, altero ad opes properante, & ſucceßibus vtente proſperis.*

*Sicut enim ſciti agricolæ roſas & violas putant ſe facere meliores, ſi halia & ſepes iuxtà plantent: quod in ea excernitur quicquid alimento acerbum ineſt aut fœtidũ, ita inimicus quoque excipiens inuidiæ & malignitatis tuæ ictus, beneuolentiorem te amicis ſecunda vtentibus fortuna reddet atque commodiorem.*

Virtute nihil pulchrius.

*Quidquid enim ſupra & infra terram eſt auri, comparari cum virtute non meretur.*

Ex



# Ex Plutarchi libello de amicorum multitudine.

*ATqui maiorem in modum laudamus adoleſcentem illum Menandri, qui ſe valdè admirari ait vnumquenque bonorum cui amici vel vmbra obtigerit.*

*Iam inter multas alias hæc non eſt minima cauſa cur nullos amicos paremus, quod multitudinem amicorum appetimus, cùm inſtar impudicarum mulierum ſæpe & cum multis coëuntes, primos quoſque neglectos & dilabẽtes retinere non poſſumus, aut potiùs quemadmodum Hypſipylæ alumnus ille in prato ſedens carpebat alium poſt alium florem conſectatus læto animo, vt eſt apud poëtam, infantia inutilem reddente delectum: ita quiuis noſtrum ſtudio quodam nouitatis & præſentium faſtidio recenti ſemper & quaſi virente capitur amico, ac ſubinde mutatur multas ſimul imperfectáſque ordiens amicitias ac familiaritates.*

Hypſipylę alũnus

*Inuenimus autem binos ſemper amicos memoriæ perhibitos, Theſeum & Pirithoũ, Achillem & Patroclum, Oreſtem & Pyladẽ,*

Amicorũ paria.

*Pythiam & Damonem, Epaminondam & Pelopidam.*

Amicus eſt animal, vnà viuens, ſed non cateruatim.

*Eſt enim amicus animal vnà quidem degens, ſed non vt in armento aut Graculorum caterua, & quòd amicus dicitur alter ipſe, id nihil aliud ſignificat, quàm binarium eſſe amiciciæ menſuram. Iam neque ſeruos, neque amicos multos exiguo nomiſmate emere licet. Quod autem eſt nomiſma quo amici comparantur? beneuolentia & gratia cum virtute coniuncta, quibus rebus nihil rarius fert natura, itaque valde amare & amari inter multos locum non habet.*

*Sed ſicuti amnes in multos diuiſi alueos imbecilli fluunt ac tenues: ſic vehemens amor in animo ſi diſſipetur in multos, eneruatur: vnde fit vt ea etiam animalia prolem ſuam magis ament, quæ vitam tantùm gignunt: & Homerus carum filium appellat,*

Filius carus.

Solùm, atque in ſenio natum. —

*ſcilicet cùm alium parentes neque habent, neque ſperant.*

Amicus quomodo deligendus.

*Nos amicum quidem eſſe vnicum non volumus, ſed inter reliquos ſit, tardè comparatus, ac qui prouerbio vulgatum illum ſalis modiũ nobiſcum ederit, non ita aſcitus, vt hodie qui ſemel vnà potauerint; aut pila luſerint vel alea, aut ex caupona, palæſtra, foróue vnà diſceſſerint, amici leguntur.*



*Porro cùm in domibus diuitum aut procerum magnam vident turbam hominum ſalutantium, prenſantium, ſtipantium, vulgo eorum laudant fortunas tot amicos habentium, atqui in culinis eorum plures muſcas videre poſſint: neque tamen vel hæ eſca, vel illi vtilitate ſublata manent.*

*Enimuerò ad genuinam amicitiam tria requiruntur potiſſimùm, virtus vt pulchrum, conſuetudo vt iucundum, vſus vt neceſſarium.*

*Non itaque facilè recipere debemus, neque temerè coniungi cum quibuſvis nos cõpellantibus, neque amare eos qui nos ſectantur: ſed potius ſectari dignos amicitia.*

Nõ quilibet amãdi ſed qui digni ſunt amicitia.

*Sicut enim Zeuxis quibuſdam culpantibus quòd tardè pingeret, reſpondit, fateri ſe, multũ temporis ſe inſumere pingendo, quia in multũ tempus vellet ea durare, quæ pinxiſſet: ita multo tempore probata amicitia, perdurabit.*

Multo tẽpore probata amicitia perdurabit.

*Atqui conſuetudo id eſt, qua fruimur amicitia: neque dulcius in ſe quicquam ea habet præſentia & vitæ ſocietate.*

*Quod ſi omnes amici eadem opera aliquando indigeant, ſufficere omnibus difficile eſt conſultantibus, Rempub. gerentibus, ambientibus, aut hoſpites excipientibus. Sin eodẽ temporis articulo diuerſis negotijs & ſtudijs dediti ſimul poſtulent, alius vt nauiganti*

Difficile eſt multis ſimul auxiliari.

comitem te præbeas, alius vt ei cauſam dicenti ſuam adſis, alius vt eum in reo aliquo accuſando adiunes, alius vt ementi vendentíve operam naues, alius vt nuptiali eius ſacrificio interſis, alius vt funus vnà deducas: ibi verò in iſta amicorum multitudine, neque omnibus præſtare officiũ poſſis, & nulli abſurdũ eſt, & multos offendere dum vni te das, durũ.

Quiſquis moleſtè fert ſe negligi.

Non enim æquo fert animo quiſquam negligi ſe, qui amat, immò negligentiæ amicorum minus ſuccenſent, & abſque ira huiuſmodi excuſationibus placantur, quibus obliuio præſcribitur.

Sicut igitur Briareus centum manibus cibũ in quinquaginta inferens vẽtres, nihil eorum aliquo amplius habuit, qui duabus manibus vni ventri ſufficiunt: ita amicitiarum vtilitatibus etiam hoc adeſt, quòd iis qui fruitur, multis opus habet inſeruire, & occupationum, certaminum, laborúmque multorum partem ſuſtinere.

qui inimicos nullos, neq; amicos, habet.

Verum autem eſt illud Chilonis Sophiſtæ, qui dicenti nullum ſe habere inimicum, reſpõdit: videris tu mihi amicum etiam nullum habere.

Oraculum Timeſiæ de colonia ducenda quærenti, reſponſum fuit,

Quære examina apũ, veſparũ & habebis abundè:



ita qui amicorum gregem quærunt, incauti in examina inimicorũ incidunt.

Amicitiæ origo.

Cùm enim bruta cum diſparibus miſceantur non niſi inuita, ſubſidántque & ſubterfugiant, cùm ſui autem generibus libenter mutua quadam affectione ſociata coëant: quî poſſit exiſtere amicitia vbi mores ſunt diuerſi, affectus diſſimiles, vitæq; inſtituta diſcrepentia?

Amicitiæ eſt mores, affectus ſermonem ſtudia, & animi ſenſum exæquare.

Amicus conſtans rarus.

Cæterùm amicitia ſtabile requirit quippiam & immutabile ingenium, quod eandem retineat conſuetudinem, ideo rarus eſt & inuentu difficilis conſtans amicus.

## Ex Plutarchi libello, de fortuna.

VItam regit fortuna, nõ ſapientia. dixit quidam, res humanas non conſilij dexteritate, ſed fortuitò diſpenſari ſentiens. Quid ergo? neque iuſtitia, neque æqualitas, neque temperantia, neque modeſtia res humanas dirigunt? ſed à fortuna & propter fortunam factum eſt vt in ſua perſeueraret Ariſtides paupertate, cùm parare diuitias ſibi poſſet? & Scipio Carthagine capta nihil

prede neque videret neque acciperet? & Philocrates accepta à Philippo pecunia meretrices ac piſces emeret? Alexander Philippi F. captiuis mulieribus cùm ipſe abſtineret, tũ vim facientes puniret: hæc enim ſi fortunæ aſcribuntur, quid impedit quo minus feles, hircos, ſimias dicamus fortuito eſſe guloſos, libidinoſos, ſcurriles?

Iam conſilij dexteritate ſublata, par eſt neque conſiderationem vllam rerum relinqui, neque inueſtigationem vtilitatis.

Atqui, viſum, auditum, guſtatum, olfactum, reliquas item corporis facultates atque partes natura nobis dedit, vt earum miniſterio prudentia vteretur.

Vis mentis.

Mens enim videt, mens audit, reliqua
cæca ſunt & ſurda.

Et ſic vt ſole ſublato, quod ad reliqua ſydera attinet, perpetuam haberemus noctem, vt Heracletus dixit: ita præſtare reliqui ſenſus non poſſent abſque mens eſſet & ratio, vt reliquis animalibus anteiret homo.

Hominis induſtria.

Vires exiguæ ſunt mortalium.
Sed calliditate multiplici,
Belluas maris, & terreſtria,
Et ſub cælo volitantia
Omnia homo domat.

Homini omnia ſeruire.

Nihil agilius equo, nihil velocius: ſed hominibus currũt, ferox eſt animal canis, & iracundum: ſed homines cuſtodit, multũ carnis habet porcus, eſu ſuauiſſimus eſt piſcis, alimentũ & obſoniũ homini ſunt. Quid maius elephãto, quid adſpectu terribilius? verum & hic ludicrũ hominis factum eſt, & ſpectaculũ in ſolemnibus conuentibus, diſcitque ſaltationes ſuas & choreas ac ingeniculare.



Fortunæ op⁹ vnũ.

Ferunt quendã, cũ equum cæteras ad partes quod attinebat lineis & coloribus probè expreſſiſſet, ſpumam tantum quæ fræno concuſſo cùm anhelitu efflabatur, non ita pinxiſſe vt ſibi ſatisfaceret, itaque ſæpius deleuiſſet & denuo conatus eſſet perficere, ad extremũ præ ira ſpongiam vt erat plena pigmentorũ in tabulam conieciſſe: eamq; non ſine miraculo operi id quod deſiderabatur addidiſſe, hoc vnum fortunæ artificioſum facinus narratur.

Prudẽtia quid.

Prudentia neque aurum eſt, neque argentum, neque gloria, neque valetudo, neque diuitiæ, neque robur, neque pulchritudo, quid ergo ea eſt? id quod rectè vti his omnibus poteſt, ac ſingula horum iucunda facit, laudabilia, vtilia, cùm ſiue hac inutilia, ſterilia, damnoſáque ſint, & moleſtiam ac dedecus poſſidenti ea afferant.

Non enim duntaxat res ſecundæ indigno oblatæ occaſionem ſtultis exhibent malorum conſiliorũ, vt Demoſthenes dixit: ſed & proſperitas meritò maior imprudentibus calamitatum anſa & origo eſt.

# Ex Plutarchi libello de virtute & vitio.

*VEſtes hominem videntur calefacere, cū quidem ipſæ calorem non afferant, ſuapte natura frigidæ: (vnde etiam ſæpe in æſtu aut febri veſtes ſubinde mutamus corporis refrigerandi gratia) ſed calorem qui ex hominis editur corpore, veſtes corpori adhibitæ continent atque comprimunt, incluſúmque corpori non patiuntur diſsipari.*

*Idem in rebus error multos decipit, qui ſuauiter ſe victuros putant, ſi in magnis habitent ædibus, multitudine mancipiorum & pecuniarum inſtructi. Atqui non foris eſt vitæ ſuauitas: ſed rebus ſuis ex ingenio ſuo tanquam fonte voluptatem & gratiam affert homo.*

Sed lucente foco domus adſpectu quoque fiet
Pulchrior: --- *& diuitiæ gratiores ſunt, & gloria ſplendidior ac potentia, ſi animi lætitia accedit, ſiquidem paupertatem etiam, exilium, & ſenectutem, facilè & placidè ob morum manſuetudinem & facilitatem ferūt.*

Mali comes itineris.

*Moleſtus eſt itineris comes prauitas ob arrogantiam, ſumptuoſus conuiua ob luxuriam,*



*concubina acerba, quòd curis & ſolicitudinibus ac æmulationibus ſomnum auertit ac vitiat.*

Diuitiæ in ſeruitute & metu noxæ.

*Congere aurum, collige argentum, ædifica ambulationes, imple mancipiis domum, debitoribus vrbem, niſi animi affectus ſedaueris, & inexpletæ cupiditati finem impoſueris, téque ipſum metu & ſolicitudinibus liberaueris: vinum febricitanti colas, mel bilioſo offers, cibos cœliacis paras & difficultate inteſtinorum laborantibus, qui eos non perferunt, ſed ab iis perduntur.*

Ægroti precioſos cibos auerſantur.

*Non vides vt ægroti puriſsimos & precioſos cibos auerſantur, conſpuunt, recuſant, vi oblatos? Poſtmodo mutata temperie, boniſque ſpiritibus & dulci ſanguine natis, caloréque naturali reſtituto, ſurgunt, & vilem panem cū caſeo & naſturtio non ſine voluptate edunt?*

*Contentus eris teipſo, ſi didiceris quid bonum ſit, quid honeſtum. Luxuriabis in paupertate, & rex eris, vitámque priuatam & ocioſam non minùs habebis gratam, quàm quæ in imperiis & magiſtratibus agitur.*

Rex in paupertate.

*Philoſophiæ nauata opera, nunquam iniucundè viues, ſed diſces omni vitæ ſtatu, delectari omni conditione. LætiCiam tibi afferent diuitiæ, multis benefacienti: afferet etiā paupertas multis curis vacuo: & gloria, cū honore afficieris: & obſcuritas, tuto ab inuidia.*

# Ex Plutarchi libello de conſolatione ad Apollonium.

*MOerore autẽ vltra modũ efferri, eumq́; cumulare immodicè, præter naturã eſſe affirmo, & à praua animi noſtri opinione proficiſci.*

*Rectè enim inſtituti & cordati hominis eſt, neque mutari ob euentũ rerum quæ videntur proſperæ, & conſtãti animo decorũ in aduerſitatibꝰ ſeruare. Et boni ratiocinatoris officiũ, hoc eſt, aut præcauere malũ ingruens, aut acceptum corrigere & quàm minimũ redigere, aut tolerantia ſeſe maſcula & generoſa inſtruere.*

Boni ratiocinatoris officium.

*Quatuor quippe modis prudẽtia circa bonũ verſatur, aut parans id, aut conſeruãs, aut augens, aut rectè vſurpans, hæ ſunt cùm prudentiæ, tum reliquarum virtutum regulæ.*

Virtutis officia quatuor.

Homo non ad oĩa læta natus. Euripid.

Non te omnia ad læta genuit,
O Agamemnon, Atreus.
Opus eſt te gaudere, & mœrere:
Mortalis enim natus es, & vt haud velis,
Superi ſic conſtituerunt.

*Eſt verò non rectè rationes rerũ putãtis, firmum aliquid in rebus inſtabilibus quærere.*



*Sic enim cuique ſtatuendum eſt, non modo mortalem ſe eſſe, ſed & vitam ſortitum mortalem, resq́; facilimè in diuerſam mutabiles partẽ. Verè nimirũ hominũ mortalia ſunt inque diem durantia corpora, & fortunæ affectionéſque caducæ, omniáq; in vita fluxa.*

*Improuiſa enim eſt, vt Theophraſtus ait, fortuna, habétque magnam auferendi quæ labore nobis parta ſunt, & quæ apparet proſperitatem euertendi, neque vlla conſtituta temporis vtitur ratione.*

*Symonides poëta Lyricus, cùm Pauſanias rex Spartanorum continenter ſeſe ob res geſtas iactaret, ipſúmque ioculariter iuberet ſibi aliquid ſapienter præcipere: cognita hominis ſuperbia monuit, vt ſe hominem eſſe memoria teneret.*

Memoria tenẽdum nos homines eſſe.

*Philippus Macedonum rex, cùm eodẽ tempore tres lætos accepiſſet nuncios, vnum, quòd quadrigæ ipſius Olympia viciſſent: alterum, quòd legatus ipſius Parmenio pugna Dardanos ſuperaſſet: tertium, quòd vxor Olympias marem ipſi peperiſſet: manibus ad cælum intentis, O fortuna! inquit, modico iſthæc cõpenſa damno, ſcilicet intelligens ſolere fortunam magnis inuidere proſperitatibus.*

Tres læti nũcij Philippi.

*Aeſchylus quoque rectè videtur increpare eos qui mortem malum putant, ita pronuncians:*

Iniuria mors inuiſa eſt mortalibus,
Summum malorum plurimorum remedium.

*Primum ſi ſomnus quidam eſt mors, dormientibus autem malè non eſt, conſtat ne cum mortuis quidem malè agi.*

Mors peregrinationi ſimilis.

*Quod ſi peregrinationi ſimilis eſt mors, ne hac quidem ratione malum eſt, immò autem bonum potiùs. Beatum enim eſt liberari à ſeruitute carnis, & affectionibus eam comitantibus, quæ mentem occupant, ac ſtultitia humana.*

*Innumeras, inquit Plato, nobis faceſsit moleſtias corpus ob ſui victus neceſsitatem; quod ſi præterea morbi aliqui incidunt, ij impediunt veri contemplationem, adhæc amoribus, cupiditatibus, timoribus, omníſque generis ſimulachris & vanitate nos opplet, vt rè vera eueniat, quod ille dixit, nos nihil vnquã ſapere poſſe. Bella enim, ſeditiones, & pugnas nulla alia res excitat quàm corpus & eius cupiditates, ob parandas enim opes omnia ſunt bella.*

Ob parãdas opes omnia bella.

*Mortem metuere, aliud nihil eſt, quàm falsò putare ſe ſapere.*

*Præclarè igitur Epicharmus, concretum, inquit, fuit & diſcretum eſt, rediitque vnde venerat, terra deorſum, ſpiritus ſurſum.*



*In vniuerſum autem quiſque & ſecum cogitare, & cum aliis ſeriò commentari debet, non vitam longiſsimam eſſe optimam, ſed quæ virtute maximè adminiſtratur, neque enim qui plurimum fidibus cecinit, aut orauit, aut naues gubernauit, in laude eſt, ſed qui optimè iſta fecit, nam pulchritudo non in temporis longitudine, ſed in virtute & tẽpeſtiua moderatione collocanda eſt: Hoc beatũ & diis gratum cenſetur.*

Vita longiſſima non optima.

*Iuxta Pontum animalia quædam memoriæ traditum eſt naſci, quorum vita vnius diei termino includatur, cùm manè naſcantur, meridie vigeant, veſperi conſeneſcant viuendique finem faciant.*

Animalia vnius diei

*Menſura enim vitæ eſt non longitudo temporis, ſed honeſtum.*

*Eum qui Lyciis leges poſuit, aiunt mandaſſe ciuibus, vt in luctu veſte vterentur muliebri: ſignificare volentem rem eam muliebrem eſſe, neque conuenire viris moderatis & liberali doctrinæ deditis, eſt enim re vera muliebre, imbecilliſque & degeneris animi luctus: & vt ad eum mulieres viris, ita barbari Græcis, ac deteriores præſtantioribus ſunt propenſiores, ac de ipſis barbaris ſi qui luctũ exercent, non animoſiſsimi hoc Celtæ, non Galli, aut qui alij generoſo ſunt pleni ſpiritu id faciunt, ſed Ægyptij, Sirij, Lydi, aliique hoĩ*

Lex de luctu.

Quod factum eſt, infectum fieri nequit.

*ſimiles. Inſani ergo eſt, ſecum ſtatuere velle ſe in luctu perſeuerare. Etenim quod factũ eſt, infectum reddere ne Deus quidem poteſt, ergo quod nobis nũc præter ſpem opinionémque euenit noſtram, id ipſo facto nobis demonſtrauit quid pleriſque accidere ſoleat.*

Hominibus optimum nõ naſci.

*Hominibus autem omnino optimum eſt non naſci, neque participem fieri præſtantioris naturæ, optimum enim omnibus vtriuſque ſexus hominibus hoc eſt, proprium huic, & inter ea quæ conſequi homo poſsit primum eſt quàm celerrimè mori. Manifeſtũ verò eſt quod ſit melior mortuorũ quàm viuorum conditio.*

Non própriæ ſunt, quas homines tenent, opes:
Sed in vniuerſum nihil homo poſſidet proprium.

*Neque enim ſani eſt hominis, ignorare hominem eſſe animal mortale, & ad hoc natum vt moriatur.*

Sui cognitio.

*Duæ ſunt Delphis inſcriptæ ſententiæ, maximè ad vitæ humanæ vſum neceſſariæ, Noſce teipſum, & Ne quid nimis. Ex his dependent reliqua omnia, ipſa autem inter ſe concinnunt, alterumq́; alterius videtur declarare, alterúmque viciſsim in altero ineſt.*

Graue eſt, nihil enim homini quod
fert neceſſitas.

*Iam cùm peregrinationi in hac vita no-*



*ſtra breuiſsimum tempus ſit præſcriptum, non debemus profectò in ſcalidis luctibus infeliſsimóque mœrore noſmetipſos doloribus conficere, corporáque noſtra doloribus diuturnis excruciare: ſed conari potius vt humaniorem ſectemur melioremque viuendi rationem, iiſque ſtudioſè nos adiungamus hominibus, non qui ſe luctus noſtri ſocios præbeant, cúmque adulando excitent, ſed qui generoſa ac graui conſolatione dolorem leniant.*

Vita hominũ breuiſſima.

*De his Anaxagorã narrant cùm rerũ naturalium cauſas auditoribus explicaret, intérque differendũ de filij morte nuncium ſermone cuiuſdam acciperet, paululũ oratione inhibita iis qui vnà aderant, dixiſſe, Sciebam filium me genuiſſe mortalem.*

Exempla eorũ, qui ſuorum mortem moderatè tulerunt.

*Xenophontem Socraticum hiſtoriæ tradunt cùm ſacrificanti ipſi nuncium è bello allatum eſſet, Grillum filium in pugna periiſſe, ſertum capiti detraxiſſe, & quónammodo cecidiſſet perquiſiuiſſe, cúmque reſponderetur, eum generoſè fortitérque præ cæteris præliantẽ, multis hoſtium interfectis occubuiſſe, exiguo admodũ temporis ſumpto interuallo, dum ratione motũ animi cõpeſceret, rurſus impoſita capiti corona reliquũ ſacrificij abſoluiſſe, nunciiſque hoc reſpondiſſe: Nõ vt immortalẽ, aut longæuũ filiũ meũ redderent, à diis poſtulaui: (cũ incertũ ſit an hoc expediat) ſed vt probũ ac patriæ amãtẽ.*

Xenophõ de morte filij.

Mortui ad tribunal venire debẽt.

*Deinde in iudicium venire debent, exuti iſtis rebus quas dixi omnibus, mortui enim ad tribunal venire debent.*

*In Aſia itaque mortuos iudicabit Radamanthus, in Europa Æacus. Minoi primariã iudicandi poteſtatem concedam, vt ſi quid alterum eorũ fugerit, ipſe ſententiis eorum examinandis diiudicet, itaque iuſtiſſimo iudicio decernatur, vtrum cuique hominum iter ſit ingrediendum.*

Mors duarum rerũ diſſolutio.

*Mors, mea quidem ſententia, aliud nihil eſt, quàm duarũ rerũ, animi ſcilicet & corporis, à ſeſe inuicem diſſolutio.*

## Ex Plutarchi de ſanitate tuenda libello.

*PRæclarè dictum eſt, vitam dilige optimã, dulcem eam conſuetudo efficiet.*

*Difficile enim eſt in conuiuiis mediocritatem conſuetámque edendi ac bibendi rationẽ ita tueri, vt non omnibus aliis moleſtus, iniucundus, importunúſque videare.*

In cõuiuio cibi recuſatio vrbana.

*Ipſa enim recuſatio ſi dextrè fiat & vrbanè, non minus gratioſa eſt quàm obſequium, & ſi quis ab iis quæ apponuntur in conuiuiis ſe tan-*



*ſe tanquam à ſacra re abſtinens, ad pocula interim menſámque alacriter & hilariter aliquid in ſeipſum laudat aut dicat, iucundior videbitur vnà ſe inebriante aut obſonia vorante. Ac mentionem faciebat ſocius ille noſter ex vetuſtate Alexãdri magni, qui poſtquã abbibiſſet liberaliùs, Medico præ pudore non auſus aduerſari hortanti, & ad nouam trahenti compotationem, denuò merum potauit, ex eóque perijt, ex iis qui noſtra vixerũt ætate, Rigli pancratiaſtæ, qui prima luce ad balneum vocatus à T. Cæſare, venit vndique lauit, cúmque ſemel inde bibiſſet, apoplexia correptus ſubitò vitam finijt.*

Alexander magnus præ nimio potu mortuus.

*Iam primum Socrates hortabatur vt caueremus à cibis qui non eſurientes ad edendum inuitant, & potu qui non ſitientes ad bibendum pellicit, non vſu eorum in vniuerſum interdicens, ſed docens tum vtendum eſſe cum eſt neceſſe, voluptate quæ inde percipitur ad neceſſitatem accommodata, vt cum ciuitas pecuniam aliàs ſpectaculis impẽdi ſolitam in vſus militiæ conuertit.*

Vtẽdum, non abutendum ſuauibus.

*Sicut enim ipſi Socrati exercitatio corporis non iniucunda erat ſaltatio: ita cui bellaria pro cibo ſint, minus is læditur, id ſummopere cauendum eſt, ne cum pro naturæ modo ſatis accepimus, ac ſaturi ſumus, iſta appetamus.*

*Cùm ergo veſcendum offertur rerũ aliquid*

aut nobile, abſtinendo potiùs quàm fruendo quærenda eſt gloria, cogitandúmque ſicut Symonides dixit nunquam ſe propter ſilentium, ſæpe propter ſermonem pœnitentia fuiſſe correptum: ita nobis nunquam pœnitentiam fuiſſe obortam ob repudiatum aliquod obſonium, aut hauſtum aquæ Falerno prælatum, ſed contra.

Veruntamen ſunt, quos ſordes & tenacitas eò adigunt, vt cupiditates ſuas domi comprimentes atque attenuentes, apud alios precioſis cibis perfruantur, ijsq; ſe impleant non ſecus quàm ſi ex hoſtico commeatum nulla cum parcimonia auferrent, deinde malè affecti domum redeunt, viaticum ingluuici in diem ſubſequentem habentes cruditatem.

*Ignis ſuauiſſimũ cõdimẽtum.*

Elegãter quidem dictũ eſt à Prodico, omniũ condimentorum ſuauiſſimum eſſe Ignem. Sed veriſſimè dixeris, ſanitatem eſſe condimentum diuiniſſimum & iucundiſſimum.

Non enim tot actionibus, conatibus, peregrinationibus aut ludis morbi nos priuãt, quã multis voluptatibus nos ſpoliant, vt qui maximè voluptates conſectantur, minimè ijs expediat ſanitatem negligere.

*Aegrotã tibus oĩa amara ſed ſano cor-*

Elixa quippe, aſſata, & cocta nullam voluptatem afferunt, neque grata ſunt ægrotantibus aut crapula nauſeáue laborantibus: ſano corpori ſincerus & integer appetitus omnia



*pori oĩa dulcia.*

facit dulcia, & quæ auidè rapiantur atque ſumantur.

*Breuis voluptas maximꝰ dolor.*

Lyſimachus apud Getas ſiti eò redactus, vt ſe cùm toto exercitu in poteſtatem hoſtium dederet, poſteà cum frigidam bibiſſet, Dij boni, inquit, quàm ob breuem voluptatem ſummam amiſi fœlicitatem.

*Exilitas prandij cœnã facit dulcẽ*

Sed & Alexãdrum magnũ narrant dixiſſe, cùm Adæ cocos relegaſſet, Meliores ſe habere quos ſecum ducat: nempe nocturnum iter quod ei prandium, & exilitatem prandij, quæ cœnam faceret dulcem.

Maximè autem præcauendum eſt in præſenſionibus morborũ. Non enim omnes morbi inuadunt nos, ſed plerique tãquam prænuncios habent & præcurſores ac præcones ſuos, cruditatem & motus difficultatem. Grauitas membrorum, inquit Hippocrates, & defatigationes ſponte ortæ, morbum indicant, nimirum ob plenitudinem ſpiritus neruorum compreſſo & obſtricto.

*2. Aphoriſ. 5.*

*Vinũ vino pelli.*

Plurimos intemperãtiæ & mollicieí ſpes patrocinium à prouerbio quærens, quod vinũ vino, crapulam crapula pelli & diſcuti ait, monet perſuadétque vt omiſſo lecto audacter ad conſueta redeant pocula.

*Morbi nõ celandi.*

Puerilis autem ille, qui veretur ne ſe ob repletionem aut crapulam malè affectum amici aut famuli ſentiant: dum hodie

*pudet cruditatem confiteri, cras fatebitur fluxionem, aut febrem, aut tormina.*

Turpiter inopiam, eius ſi te pudet,
feres:

*inquit ille, multò turpius feres cruditatem, grauitatem corporis & redundantiam, ſi corpus in balneum trahas, velut nauim putridam rimiſque hiantem in mare.*

Accuratiſſima victus ratio inutilis.

*Enimuerò accuratiſſima illa & ad vnguem (vt aiunt) explorata victus ratio, corpus reddit admodum meticulòſum & periculis obnoxium, ipſiúſque animi alacritatem retundit.*

*Eſt enim abſurdum, cùm crocitationibus coruorum, gallinarũ cantillationibus, ſuumq; furioſis in cæno volutãtibus, vt appellat Democritus ſtudioſè animum attendamus, ventorum inde & imbrium præſagia ſumentes: motus nos corporum noſtrorum & iactationes, affectionéſque morbum antecedentes non obſeruare, non præcauere, neque indicia futuræ in nobis tempeſtatis præcipere animo.*

Ex aliorũ morbis ſumẽda vtilitas.

*Magnopere autem conducit, vt cùm inuiſis ægrotantes amicos, diligenter de cauſa morbi ſciſciteris: non ſophiſtarum hoc more & ſuperuacanea curioſitate, vt inſtantias, incidentias, communitates in ore habeas, & medicarum vocum litterarúmque peritiã oſtentes: ſed vt vilia hæc & vulgaria non obiter*



*audias, redundantiam, defectum, defatigationem, inſomnia: maximè autem eam victus rationem, qua is vſus in febrim incidit.*

*Si enim biberimus, ederimus, laborauerimus, aliúdve quicquam præter ordinem fecerimus, neque vllum indicium aut præſagium mali accepti corpus præbeat: nihilominus obſeruare noſmetipſos debemus, ac nos præmunire, ſi vſi ſumus re venerea, aut laſſati, quiete & ſomno: ſi vino liberalius vſi, aquæ potu.*

Sermonis mirifica vtilitas.

*Vſus enim ſermonis voce pronunciati quotidianus, mirum dicta quàm vtile ſit genus exercitationis, non ad ſanitatem duntaxat, ſed etiam vires.*

*Omnino autem vitandæ ſunt vociferationes nimijs animi motibus expreſſæ, vocemq; per vim quandam extorquentes. Inæquales enim ſpiritus & eruptiones & contentiones, rupturas gignunt ac conuulſiones.*

Sole quãtum vtẽdum.

*Ab exercitatione lauari, frigida quidem aqua, plus habet oſtentationis quàm ad ſanitatem vtilitatis.*

Sibi ſolidi leuiter ſumendi, tenues verò arripiendi.

*Sole neque magis neque minus vtendum eſt, quàm temperies aëris ab eo profecta permittat.*

*Itaque eos cibos, qui ſolidi ſunt, multumq; habent nutrimenti (carnes puta, caſeos, ficus aridas, oua aſſa & qui horum ſunt ſimiles)*

quando quidem ſemper auerſari vix poſſimus tenues & leues arripiamus interim, cuius generis olera ſunt pleráque, & aues & piſces non pingues.

De liquoribus, lac quidem vſurpandum pro potu non eſt ſed vt cibus vim validam, & ad nutriendum copioſam habens.

Vini vſus.

Eſt enim vinum & potuum vtiliſſimus & medicamentorum ſuauiſſimum, & de obſoniis omnibus gratiſſimum appetitionibus noſtris, ſi occaſione magis etiam quàm aqua ſit probè temperatum. Aqua, & vino ſi miſceatur prodeſt: & quæ pura inter diluti vſum bibitur, ipſum dilutum reddit minus noxium. Itaque in quotidiano victu aſſuefacere nos debemus, vt duo vel tria pocula aquæ ebibamus, hæc & vſum vini emollient, & corpori familiarem reddent aquæ potũ, ne cùm ea pota opus ſit, inſolentia rei offendamur ac recuſemus.

Aquæ vſus & neceſſitas.

Vino aliquando abſtinendũ & aqua vtẽdum.

Non enim deſunt, qui quo tempore maximè aqua erat bibenda, ad vinum ferantur: vt cùm Solis calore vſti ſunt, cùm horruerunt, cùm vehementiùs perorauerunt, cùm maiore animi contentione de aliqua re cogitauerunt: denique à defatigatione & contentione vinum exiſtimant ſibi debere quòd ipſa videatur natura quandam corpori bonam affectionem, & poſt labores mutationem expoſcere. Quapropter in his caſibus & cibi aliquid detrahendum eſt, & vino aut abſtinẽdum omnino, aut vtendum diluto interim multa aquæ potatione, cùm enim natura ſit vinum impetuoſa & acri, conturbationes corporis intẽdit, atq; exaſperat, & partes affectas irritat, demitigationem deſiderantes ac leuigationem, quam rem aqua præſtare optimè poteſt.



Vinũ partes affectas irritare.

Etenim ſi etiam non ſitientes aquam bibamus tepidam à defatigatione, contentione viriũ, & æſtu ſentimus internas partes relaxari & leniri, placida eſt enim aquæ humiditas, & quieta: cùm vini humiditas impetum habeat multum, vímque recentibus affectionibus nequaquam amicam aut æquam.

Corpus autem ita validum eſt nullum, cui conturbato & inflammato vinum adhibitũ non adferat aliquid damni. Lydos aiunt fame premente alternis diebus cibũ ſumendo, & ioco ſe luſuq; oblectando tempus contriuiſſe.

Vini damnum.

Sed hominem litteris Muſisq; deditum, ſicubi tardiùs cœnare oportebit, propoſita aliqua geometrica deſcriptio, aut libellus, aut cithara, non patientur à ventre agi aut ferri: ſed ad hæc ſubinde conuertens à menſa & transferens cogitationes, Muſarum ope concupiſcentias veluti harpyas quaſdam abiget.

Hominẽ litteris deditum tardius cœnare debere.

Iam aliptarũ & pedetribarum voces, ſubinde inculcantiũ alimẽtum diſputationibus in

An in cœna vel poſt cœnam diſputãdũ.

*cœna litteratis corrumpi, capútque grauari: tum pondus habere ſinamus, cùm Indum, fallaciam illam ſophiſticam, cernentes diſſoluturi, aut de cornuta, quam vocant, ratiocinatione ſumus diſputaturi.*

Dialectica in cœna minimè dulcis.

*At dialectica in cœna bellarium eſt nequaquam dulce, interim tamen caput vehementer lædit ac fatigat.*

Non ſtatim à cœna dormiendũ.

*Nos autem medicis pareamus, qui monent ſemper inter cœnam & ſomnum faciendam aliquam intercapedinem: ne congeſtis in corpus cibis & oppreſſo ſpiritu, confeſtim crudo ac feruido alimento aggrauemus vim concoctricem, ſed reſpirationem & relaxationem concedamus.*

*Sed multæ de rebus naturalibus quæſtiones faciles ac probabiles ſupeditant: multæ narrationes, quæ ad diſputationem de moribus faciant, non eam aſperam ſed quæ animum demulcere poßit: & hiſtoricæ ac poëticæ quæſtiones non ineleganter quidam litteratorum hominum ſecundas menſas dixerunt. Sunt & narrationes non moleſtæ, & fabularum recitationes, & de tibia lyráve aliquid colloqui faciliùs eſt quàm ea ipſa audire. Terminus autem temporis hic præfigitur, vt iam alimento ſenſim ſubſidente & conſpirante ſuperior eſſe idque elaborare poßit concoctio.*

*Porrò Ariſtotelis de ſententia cœnatorum*



Ambulatio à cœna.

*ex ſuſcitat ambulatio, ſomnus à cœna ſtatim captus ſuffocat calorem: alij autem quiete adiuuari concoctionem, motu perturbari digeſtionem nutrimenti putant, ideoque alijs vt à cœna ſtatim deambulent, alijs vt quieſcant perſuaſum eſt.*

Ociũ nõ facere ad ſanitatẽ.

*Non enim ocio ac inertia venalis eſt ſanitas: quæ duo maxima ſunt malorum morbos comitantium, & ſi quis bonam valetudinẽ quiete & actionum abſtinentia, putat ſe paraturum, perinde facit, ac ſi quis nihil diſpiciendo oculos, aut vocem non loquendo conſeruare inſtituat.*

Corporis bona conſtitutio quomodo ſeruãda.

*Equidem omnis generis curis conſeruanda eſt corporis naturalis conſtitutio: cùm nullum vitæ genus vicißitudini bonæ aduerſæq; valetudinis non ſit obnoxium.*

*Solebat Plato quoties è ſchola diſcederet dicere: videte pueri vt ocio ad honeſtam aliquam rem vtamini, nos autem illis mandabimus, vt labores in res pulchras neceſſariasq; inſumant, neque ob vilia aut exigua negotia corpus fatigent.*

Cuique ſui corporis debere eſſe notas proprietates.

*Ita autem ſentio, debere vnumquemque et cognitas habere pulſuum ſuis in arterijs proprietates (multæ enim ſingulis ſunt differentiæ) neque ignorare, qua temperie corpus ſit caloris aut ſiccitatis, quibúſve rebus iuuetur aut lædatur.*

Parcẽdũ corpori.

Labori parcẽdũ.

Cæterum vt camelo vſuuenit, quod ei bos prædixerat, cum eidem ſeruirent domino, & parte oneris ipſum leuare recuſaſſet camelus, fore vt paulo poſt & ipſum, & totũ onus cogeretur geſtare: (mortuo enim boue id impletũ eſt) ita animo quoque contingit, vt dum defatigato corpori & quietem flagitanti nullam remiſsionem concedere vult, paulò pòſt febri orta aut vertigine, libris & diſputationibus omiſsis cogatur vnà ægrotare ac dolere.

## Ex Plutarchi libello qui inſcribitur, coniugialia præcepta.

Solon iubebebat ſponſam cum ſponſo concubituram priùs manducare malum Cydonium: innuens ea re, primam quæ ore & voce initur gratiam concinnam debere eſſe & ſuauem.

Primę virginũ diſcordiæ ferendæ.

Qui vero primas virginum diſſenſiones non ſuſtinent, nihilo ſaniores ijs ſunt qui immaturæ offenſi vuæ ſapore, maturas alijs relinquũt.

Nuptæ abalienatæ à maritis ob primas actiões.

Multæ enim recèns nuptæ à maritis ob primas actiones abalienatæ animis, eadem ſunt conditione qua qui ictum apis pertulerunt dimiſſo fauo.

Lunam videmus cum longè à Sole diſtat il-



luſtrem eſſe ac lucidam, obſcurari autem cum ei appropinquat, contrà pudica mulier maximè cerni debet cum ſuo marito, eo autem abſente domi ſe continere & abſcondi.

Sicut cùm ſumuntur duæ conſonæ voces, cantus grauiori adſcribitur: ita in familia rectè inſtituta, omnes res geruntur quidem conſenſu coniugum, viri tamen vel imperium vel conſilium elucet.

Viri imperium.

Sicut ſpeculum auro & gemmis ornatum nihil valet, niſi ſimilem exhibeat rerum imaginem: ſic diuitis mulieris nullus eſt vſus, vitam viro ſimilem, moréſque conſonos non gerentis.

Vxor mariti ſimilis.

Qui vxores ſecum edere ac bibere moleſtè ferunt, condocefaciunt eas vt ſolæ ſeſe impleant, ſic qui non hilarè cum vxoribus ſuis viuunt, iociſque & riſui ſocias non adhibent, docent eas ſeorſim ſibi voluptates quærere. Perſarum regibus in cœna ac conuiuijs adſident reginæ, verùm vbi ludendi & inebriandi inceſsit voluntas, eas amandant, & muſicas pellicéſque aduocant, rectè hoc quidẽ, quod ebrietatis & libidinis ſuæ participes fieri vxores nolunt.

Perſarũ reginæ in cœna regibus adſiden t.

Reges ſi muſicã amẽt, multos efficiunt muſicos: ſi litteras, litteratos, ſi athletas, exercitationibus corporis deditos, ita vir ſi corporis cultui ſtudet, vxorẽ ornãdi corporis ſtudioſam reddit,

Regis ad exemplũ alios ferè omnes cõponi.

Vxorem verũ imitari. *ſi voluptatibus indulget, libidinoſam & meretriciam, ſi honeſtatem & pulchras res ſectatur, temperantem ac modeſtam.*

*Mulier amicos peculiares habere non debet, ſed viri amicis vti.*

*Ait Plato felicem beatámque eam eſſe vrbem, in qua hæ voces, Meum, non meum, rariſſimè audiuntur, quòd ibi ciues rebus, quæ alicuius ſunt momenti, quàm maximè vtantur communibus.*

Communitas rerũ in coniugio. *Proinde talis opum communitas maximè coniugium decet, vt in vnam omnia congerant, commiſceántque ſubſtantiã, neque pars habitus, alia propria, alia aliena habeatur, ſed omnia propria ducantur, nihil alienum.*

*Sicut vinum aqua temperatum, tametſi aquæ adſit plus, vinum tamen vocamus, ita rem familiarem æquũ eſt viri appellari, quãuis maiorem partem attulerit mulier.*

*Lyſander cùm Siciliæ tyrãnus filiabus eius veſtes cincinnóſque precioſos mitteret, dona* Ornatus. *iſta repudiauit: quòd diceret hoc ornatu filias ſuas dedecoratum potiùs quàm ornatum iri.*

Mulieres ægyptias calceis non vti. *Aegyptiæ mulieres maiorum inſtituto calceis non vtebantur, vt domi meminiſſent tempus exigendum, hodie domi manſuræ ſint pleræq; ſi aureos calceos, & armillas, & periſcelides, & purpurã atque vniones auferas.*

Mulier domi manere. *Theano tunica ſe amiciens cubitum exeruit,*



*& dicenti cuidam, Pulcher hic cubitus eſt, reſpondit: Atqui non eſt publicus, cæterùm pudicæ non cubitus ſolùm, ſed & ſermo publicus eſſe non debet, vocéque ad alienos, tanquam parum conueniente denudatione, abſtinendum ei eſt, in voce enim inſunt indicia omnis generis animi affectionum. Eleorum Venerem Phidias fecit, quæ teſtudinem calcaret quo ſigno mulieres domi ſibi degendum eſſe, ſeruandúmque ſilentiũ monerentur, nam aut viro, aut per virum mulieri loquendum eſt, neque indignè ferendum, ſi vt tibicen aliena lingua vocem edit propria grauiorem.* In voce inſunt indicia affectionum animi.

*Diuites & reges cùm philoſophos in honore habent, & ſe & eos ornant, philoſophi diuites ſi demerentur, non gloriam illis addunt, ſed ſibi ipſis auferunt. Simili ratione mulieres laudem merentur, cùm ſe maritis ſubmittunt: imperium affectantes, plura contra decorum agunt, quàm ipſi viri qui dominium hoc ſuſtinent.* Vxores maritis parere.

*Imperare autem mulieri debet, non vt dominus rei quam poßidet, ſed vt animus corpori, iiſdem affectibus obnoxius, & beneuolentia deuinctus: vt autem animi eſt curam corporis gerere, non tamen voluptatibus eius inſeruire ac cupiditatibus: ita lætum eſſe debet & officioſum mariti imperium.* Quale imperiũ mariti in vxorem.

*Sicut autem humores phiſici dicunt totos*

*totis permiſeri, ita oportet matrimonium contrahentium, corpora, opes, amicos, familiaréſque inuicem confundi.*

Matres filios amare, patres vero filias.

*Filios matres magis amare videntur, quod ab ijs ſe adiuuari poſſe putant: filias patres, vt ſuo præſidio indigentes, & qui ſe mutuò honore afficiunt, operam dant vt quod alteri maximè familiare eſt, id alter gratum habere, eóque apprimè ſe delectari præ ſe ferat.*

*Semper quidem & vbique locorum cauendæ ſunt coniugibus offenſiones mutuæ, maximè autem ne in concubitu incidant opera danda.*

*Mulier quædam Philippo inuitam ſe trahenti, Miſſam me fac, ait, ſublata enim lucerna, quæuis mulier cuiuſuis eſt ſimilis, id rectè dictum eſt in adulteros & libidinoſos.*

Verecundia.

*Plato ſenes hortabatur, vt coram adoleſcentibus verecundè agerent, vt ſic reuereri ſenes illi diſcerent, vbi enim inuerecundè ſe gerunt ſenes, ibi nullam cenſebat adoleſcentibus verecundiam ingenerari poſſe.*

Litteræ mulieribus vtiles.

*Huius enim modi diſciplinæ id præcipuum habent, quòd ab ineptis rebus ſtudiiſque animos mulierum abducunt.*



# Ex Plutarchi libello de ſeptem ſapientum conuiuio.

Lingua optima & peſſima caro.

*Victimam, ait Thales, miſerat ad eum Amaſis Ægypti rex, iubens exemptam ex ea optimam ac peſſimam carnem ſibi mittere, at noſter præclarè, linguam exſectam ad regem perferri curauit, quæ ei res magnam gloriam admirationémque peperit.*

*Itaque ergo & ſapientiſſimum iudicaui eſſe Solonem, qui oblatam tyrannidem recuſauerit: Et Pittacus ſi ſolus dominari non fuiſſet aggreſſus, nunquam dicturus erat, difficile eſt eſſe probum.*

Quomodo ad cõuiuiũ ſit accedendum.

*Sybaritæ feruntur toto antè anno mulieres inuitare ſoliti, vt eis liceret per otium veſtibus auróque ornatis ad cœnam venire.*

Sceletus Aegyptiorũ.

*Ægyptij in conuiuia inferre ſolent ſceletum, id eſt exſiccata hominis, atque inter ſe compacta oſſa, hortaríque conuiuas vt meminerint ſe non ita multo pòſt tales fore, is quanquam ingratus & intempeſtiuus comeſſator, tamen ſuum habet locum, non ad potum & voluptates, ſed ad mutuum amorum dilectionémque cohortans, monensq;*

*vitam breue tempus ſortitam non debere malis rebus longam reddi.*

*Tum Ardalus Anacharſin allocutus, interrogauit an apud Scythas tibicinæ eſſent, qui ex tempore reſpondit, Ne vites quidem apud Scythas eſſe.*

*Cæterùm Solon paululum moratus, Mihi, ait, videtur hac ratione maximè gloriam conſecutus ſiue Rex ſiue tyrannus, ſi vnius imperium in popularem Reip. ſtatum cibus conuertat. Subiecit Bias: ſi primus pareat legibus patriæ. Poſt hos Thales pronunciauit, eũ ſibi principem videri beatum, qui naturæ ordine ſenex moriatur. Quartus Anacharſis, ſi ſolus ſit prudens. Quintus Cleobulus, ſi familiarium nemini fidat. Sextus Pittacus: ſi ſubditos princeps ita condocefaciat, vt non ipſum, ſed ipſius cauſa metuant. Vltimus Chilo: principem nihil meditari debere mortale, ſed omnia immortalia.*

Sapientũ dicta de principe.

*Tum Solon: ea inquit, mihi optima videtur domus, vbi res eſt neque iniuſtè parta, neque in ea vel conſeruanda diffidentiæ, vel inſumenda pœnitentiæ eſt locus. Bias: in qua dominus ſua ſponte talem ſe gerit, qualem foris propter leges. Thales: in qua plurimum ocij domino conceditur. Cleobulus: in qua plures ſunt qui diligant, quàm qui metuant dominum. Pittacus: vbi neque requiruntur ſuperuacanea,*

Familia quæ optima.



*uacanea, neque deſiderantur neceſſaria. Chilon: maximè oportet domum vrbi quæ ſub rege eſt ſimilem eſſe.*

*Lupus cùm videret paſtores in tabernaculo ouem cõmedere, propiùs accedens, Quantus, inquit, tumultus exortus eſſet, ſi hoc ego feciſſem?*

Aeſopi fabula.

*Alioqui teneo, apud antiquos moris fuiſſe vt propinarent inuicem, certáque, vt apud Homerum eſt, menſura biberent per ordinẽ, quomodo Aiax partes carnis ei qui iuxtà aſſidebat obtulit.*

Modus bibendi.

*Itaque alimento qui nõ opus habet, ne corpore quidem is indiget, quod eſt nihil aliud, quàm ipſum ſeipſo opus non habere: nemo enim noſtrum ſine corpore eſt.*

*Vinum quippe nullum vini nutritur alimento: ſed nos necantes ea, quæ animata ſunt atque naſcuntur, & vita non carere eo liquet quòd aluntur & augeſcunt, iniuſtè agimus.*

*Quod ſi is ſtatus, in quo ſumus in præſentia, per omnem noſtram duraret vitam, nónne in perpetuo degeremus ocio, neque paupertatem metuentes, & diuitiarum ignari?*

*Etenim moleſtias quàm voluptates plures enumerare licet à cibo ortas, immò autem voluptati in corpore & locus exiguus, & temporis parum eſt: cibi apparandi occupatio & difficultas quãtis nos impleat turpitudinibus*

Cibi incõmoda.

& doloribus quid attinet dicere?

Itaque ſi delphini ita ſunt aduerſus mortuos humani atque familiariter affecti, multò probabilius eſt viuis eos opem ferre, maximè vbi fiſtulis aut cantu inuitantur.

Ac memini me de Lesbijs audire, puellam quandam è mari à delphino fuiſſe ſeruatam.

Anima corpus, animam Deus mouet.

Corpus enim animæ, anima inſtrumentum eſt Dei, & ſicut corpus à ſeſe multos habet, plurimos verò & optimos motus ab anima: ſic rurſum anima alia ſuopte inſtinctu agit, in alijs Deo ſeſe vtenti præbet dirigendam atque eius arbitrio mouendam, cum ſit omniū inſtrumentorum pulcherrimum.

## Ex Plutarchi libello de ſuperſtitione.

OMnis enim animi perturbatio, inſtar morbi eſt cum inflammatione coniūcti, & ſicut luxationes artuum humani corporis accedente vulnere, ita animi errores perturbatione comitante perículoſiores ſunt.

Putat aliquis indiuidua corpuſcula & inane vniuerſi eſſe principia: falſa eſt opinio, ſed vlcus nō gignit, neque palpitationem, neq; dolorem lancinantem.



Opinatur aliquis diuitias ſummum eſſe bonum, hic error venenatus eſt, animam depaſcitur, abalienátq;, dormire non patitur, identidem exſtimulat, de ſaxis præcipitat, ſtrangulat, libertatem adimit.

Qui Deū timet omnia metuit.

Qui deos metuit, omnia metuit, terram, mare, aërem, cœlum, tenebras, lucem, rumorē, ſilentium, ſomnium.

Recto & iuſto ore Deū inuocādū.

Nos quoque poſtulamus, vt recto & iuſto ore Deum inuocetis: neque in hoſtia quidem examinetis an pura ſit & recta lingua, interim verò veſtras ipſorum linguas peruertentes & inquinantes, abſurdis nominibus & barbaricis vocibus fœdetis ac peruertatis diuinam atque à maioribus acceptā religionis autoritatem.

Superſtitioſo autem nullus eſt cōmunis mūdus: nā neq; vigilās ratione recta vtitur, neq; ab eo quod ipſum perturbat ſomno liberatur, ſed dormit ratio, ſemper vigilat metus, fuga mali aut requies nulla datur.

Superſtitioni nullus finis.

Omnibus hominibus vitæ finis eſt mors: ſuperſtitioni ne ea quidem, profert enim hæc ſuos terminos vltra vitæ exitum, metúmque vita diuturniorem facit, annectitq́; morti malorum cogitationem immortalium, etiam tum cùm ſoluitur malis, ingredi ſe putans in

*mala nullum habitura finem.*

*Ita infelix ſuperſtitio id ipſum quod non patiendo effugit, expectando ſibi calamitoſum reddit.*

*Superſtitioſus cupit quidem, ſed non poteſt gaudere aut delectari.*

Superſtitioſos eſſe magis impios, quam qui deos eſſe negant.

*Itaque mirari mihi ſubit eos à quibus impietatis damnantur qui deos eſſe negant, & ſuperſtitio impietas eſſe non putatur.*

*Cæterũ nullus eſt animi morbus tam multis erroribus perturbationibúſque ſcatens, ac tam inter ſe diſsidentibus & pugnãtibus opinionibus refertus, atque ſuperſtitio.*

## Ex Plutarchi libello de ſcitè dictis Regum ac Imperatorum, quì apophthegmata dicitur.

Locꝰ mores non mutat.

*CVm Perſæ vellent pro ſua regione, montoſa ea & aſpera, aliam planã & mollem occupare, prohibuit Cyrus: quòd diceret & ſtirpium ſemina, & hominum mores locis adſimilari.*

Amici rebꝰ omnibus anteponendi.

*Aperto grandi malo punico, interrogatus Darius, cuius rei tantam ſibi optaret multi-*



*tudinem, quanta eſſet granorum eius mali, reſpondit: Zopyrorum, erat autem Zopyrus amicus Regis, & vir bonus.*

*Perſæ adunco naſo præditos amant, pulcerrimóſque eos indicant, quod tali forma fuit Cyrus, quo neminẽ regum ij maioris fecerunt. Is dixit, qui ſibi ipſis nollent, eos cogi alijs cõmoda parare. Item magiſtratu dignum non eſſe quenquam, qui non ſit melior ſubditis.*

Semiramis ſepulchri inſcriptio.

*Semiramis cùm ipſa ſepulcrum ſibi condidiſſet, inſcripſit hæc: Si quis rex pecunia indiguerit, is recluſo hoc monimento, ſumat quãntum volet. Darius aperto eo, nullam inuenit pecuniam, ſed in aliam incidit inſcriptionem, cuius hic erat ſenſus: Niſi malus fuiſſes homo, & pecuniæ inſatiabilis, nunquàm ſanè loculos mortuorum inuaſiſſes.*

*Idem Xerxes iratus Babylonijs ob defectionem, cùm eos in poteſtatem ſuam redegiſſet, interdixit armorum geſtatione, iuſsitque fidibus & fiſtulis canere, lenocinium & cauponam exercere, ac tunicas geſtare ſinuoſas. Ficus atticas negauit ſe comeſturum uænum allatas: ſed tum, cùm potitus fuerit terra eas producente. Cùm in exercitu deprehendiſſet Græcos exploratores, iuſſit exercitum tutò perſpicere, illæſóſque dimiſit.*

*Artoxerxes Xerxis. F. Longimanus cognomento, quod alteram manum haberet len-*

Regiũ magis eſſe addere quã detrahere.

*giorem, dicebat Magis regium eſſe addere, quàm detrahere. Hic primus in venatione ſeciorum iuſsit eum qui vellet ac poſſet, primum coniycere telum. Idem primus inſtituit, vt cùm principes viri ſupplicio afficerentur, non corpora ſed veſtes quibus ſe exuiſſent flagellarentur, & non crines capitis euellerentur, ſed tiara deponeretur.*

Principũ virorum ſupplicia.

*Cyrus minor cum Lacedæmonios ad ſocietatem belli hortaretur, dicebat ſe fratre eſſe cordatiorem, plusq; meri illo bibere poſſe ac meliùs ferre: illum in venatione difficulter in equo, terrore oblato ne in ſolio quidem manere. Hortabatur vt ſibi viros auxilio mitterent, promittens ſe peditibus equos, equitibus currus, ijs qui villas poſſiderent pagos, qui pagos ijs vrbes daturum, & argentum atque aurum non numero ſed pondere largiturum.*

Regũ colloquia.

*Paryſatis Cyri & Artaxerxis mater, eũ qui liberè cum rege colloqui vellet, byſsinis iubebat vti verbis.*

Aulici.

*Orontes regis Artaxerxis gener ignominia à rege irato affectus ac damnatus dixit: Quemadmodum digiti rationes ſupputantium modò* 10000 *modò vnitatem repræſentant: ita regum amicos aliquando ſummo, mox infimo haberi loco.*

*Memnon, qui* Darij *exercitum aduerſus Alexãdrum duxit, militem quendam mer-*



*cenarium ſuum, qui multis & impuris conuicijs Alexandrũ proſcindebat, lancea feriens; Ego, inquit, te alo non vt maledicas Alexandro, ſed vt contra eum pugnes.*

Iuſta iudicia.

*Aegyptiorum reges legem ſuam quandã ſeruant, qua iuramẽto obſtringunt iudices, vt rege ipſo iniuſtam flagitante ſententiam, ei morem non gerant.*

In ociũ.

Teres Sitalcæ *dicebat, ſe cum in ocio eſſet, & à militia vacaret, nihilo meliorem ſuis equiſonibus ſibi videri.*

Iræ declinatio.

*Corys eum, qui panthera ipſum donauerat, leone remuneratus eſt. Hic cùm natura iracundus, acerbéque in miniſtrorũ delicta animaduertens, cùm hoſpes quidam fictilia ei vaſa attuliſſet tenuia & fragilia admodum, alioquin eleganter ac ſubtiliter ſculpturis cælaturiſque adornata: hunc quidem donis affecit ſed vaſa iſta omnia confregit, quòd vereri ſe diceret, ne miniſtros, ea ſi confringerent, ſæuiùs puniret.*

*Ateas Philippo ſic ſcripſit, Tu Macedonibus imperas, hominibus bellandi peritis. Ego Scythis, qui etiam aduerſus famem ſitimque pugnare norunt. Equum porro ſtrigili purgans, legatos Philippi interrogauit, an hoc quoq; rex ipſorũ faceret.* Aminiã *tibicinẽ præſtantiſsimum cùm cæpiſſet, canere iuſsit, mirantibúsque reliquis, iurauit ſe maiore*

*cum voluptate audire hinitum equi.*

*Scilurus moriturus, cùm octoginta filios poſt ſe eſſet relicturus, faſciculum haſtilium ſingulis porrexit ac cõfringere iuſsit, cùm nullus id præſtare poſſet, ipſe ſingulatim faſci vnũ poſt alterum eximens fregit, docens eos, iunctos quidem inter ſe, vires habituros ac perduraturos, ſin verò diſiungerentur & diſcordijs agitarentur, infirmos fore.* Concordia.

*Exprobrauerat Hieroni quidam oris fœtorem, itaque vxorem ſuam culpauit, quòd nunquam id ſibi indicaſſet, illa verò ita ſe excuſauit, quod diceret, Se putaſſe omnes viros hoc modo olere. Epicharmum poëtam mulctauit Hieron, quòd is indecorum quippiam vxore præſente dixiſſet.* Caſtè. Pudicè.

*Initio ſtatim tyrannidis cùm oppugnaretur à ciuibus, Dionyſius ſenior, coitione facta, amicique hortarentur vt dimitteret imperiũ potiùs quàm captus necaretur: cernens bouem à coquo iugulari ac celeriter corruere, Nónne, inquit, indignum eſt nos metu mortis tam breuis tantum deſerere imperium?* Cupiditas imperij.

*Corinthiorum legati munera quæ ijs offerebat Dionyſius ſenior, recuſauerunt legis reſpectu, quæ dona à principe ſumere prohibebat, eos indignam rem dixit facere, qui quod vnum bonũ eſt tyranidi, aboleant, doceantq́ beneficia etiam tyrannorũ eſſe formidanda.* [1]Tyrãnodona.



*Dionyſius iunior alere ſe aiebat multos ſophiſtas, non quod eos magni faceret, ſed quòd propter eos vellet in admiratione eſſe. Exutus autem tyrannide, ei quidem, qui quid vtilitatis Plato & philoſophia contuliſſent interrogabat, reſpondit, vt tantam mutationem poſſem æquo animo ferre. Quærenti autem quî factum ſit, vt pater ipſius pauper & plebeius imperium in Syracuſanos obtinuerit, ipſe tyrannus & tyranni filius eum amiſerit: pater, inquit, meus ad res gerendas ſe contulit, cum popularis Reip. ſtatus eſſet in odio, ego, cum tyrannidi inuideretur.* Philoſophi mercenarij.

*Agathocles filius fuit figuli. Is rex & dominus factus Sciciliæ, fictilia pocula interſerere ſolebat aureis, eáque demonſtrans adoleſcentibus dicere, Induſtria ſe & fortitudine hoc conſecutum vt aurea nunc faceret qui lutea finxiſſet anteà.*

*Dio, qui Dionyſium tyrannide eiecit, audiens à Calippo ſibi inſidias parari, cui omniũ amicorum hoſpitúmque maximè fidebat, inquirere noluit, quòd diceret moriendum potiùs eſſe quàm viuendum, vbi nõ ab hoſtibus modò ſed etiam ab amicis eſſet cauendum.* Vita in metu miſera.

*Caſtellum quodpiam munitum occupare ſtatuerat Philippus: ibi exploratoribus referentibus planè expugnari non poſſe: éſtne, ait, adeò inacceſſum, vt eò aurum portam* Pecunia.

*aſinus non poſsit peruenire?*

*Filio conſuluit Philippus, vt de iis qui in ciuitatibus largiter poſſent & bonos & malos ſibi amicos faceret, illiſque vteretur, his abuteretur.*

*Iter faciens Philippus, ab hoſpite quodam inuitatus ad cœnam multos ſecum adduxerat: quem vbi perturbari vidit, quod non ſatis eſſet apparati, miſit ad ſingulos qui placentæ locum relinquere eos iuberent, iiſque obtemperantibus, & ob placentæ expectationem parciùs edentibus, cœna omnibus ſuffecit.* Callidè.

*Explicatis iam aciei ordinibus, militem quendam videns amento haſtile aptare, è phalange vt inutilem eiecit Alexander qui tum demum arma pararet, cùm iis eſſet vtendum. Epiſtolam quandam à matre allatam quæ arcana & quaſdam aduerſus Antipatrum criminationes continebat, legens vnà pro more Hephæſtione, non vetuit: ſed epiſtola perlecta annulo manui ſuæ detracto, Hephæſtionis ori ſigillum impoſuit.* Arcanũ.

*Ex Indis celeberrimum arte ſagittandi, & qui traiicere ſagittam per annulum diceretur, cùm cœpiſſet, artis ſuæ ſpecimen edere, recuſantémque ira motus necari iuſsit, is cùm ad ſupplicium ducere-*



*tur, dicebat ducentibus ſe exercitationem multis iam diebus intermiſiſſe, ideóque metuiſſe ne aberraret, quod vbi Alexandro renunciatum eſt, donis affectum hominem dimiſit, admiratus eum, quòd mori maluiſſet, quàm gloria ſua indignus videri atque haberi.*

*Audiens* Alexander *ſibi à quodam maledici, Regium eſt, inquit, malè audire cùm benè facias. Moriturus iam in ſocios intuens, Video, inquit, magnum fore meum funebre certamen. Mortuo ipſo Demades. orator dixit exercitum Macedonum Imperatore carentem ſimilem videri Cyclopi excæcato.* Regium malè audire cùm benè facias. Dux.

*Alexander puer etiamnum, Philippo multas præclarè gerente res, non eſt gauiſus, ſed pueris qui vnà educabantur dixit, Pater mihi nihil faciet reliquum, cúmque reſponderent patrem ſibi iſta parare, Et quorſum, inquit, proderunt, ſi poſsideam multa, agam nihil? Quia agilis erat & celer pedibus, hortabatur eum pater vt ludis Olympiis ſtadium curreret, facturum ſe reſpondit, ſi cum regibus certandum curſu foret. Adductam ad ſe iam nocte facta puellam quæ vnà cubaret interrogauit cur tam ſerò veniret quæ cùm reſpondiſſet præſtolatam dum maritus ſomno* Gloriæ ſtudium.

*ſe daret, acerbè increpauit famulos, quòd parum abfuiſſet quin ipſorum culpa adulter fieret.*

Homo. *Leui morbo cum laboraſſet Antigonus, recepta ſanitate dixit, hunc ſibi morbum nequaquam accidiſſe incõmodè: eo enim ſe monitum, ne mortalis cum ſit animo efferatur.*

*Antagoræ poëtæ congrum elixanti, catinúmque ſua manu agitanti à tergo adſiſtens Antigonus, Putáſne, dixit, Antagora Homerum Agamemnonis res geſtas deſcribentẽ, congrum elixaſſe? reſpondit ille: Tu verò, rex, Agamemnonem credis iſtas res gerentem curioſè inquiſiuiſſe an aliquis in exercitu congrum elixet?*

*Per quietem imaginatus erat Antigonus, Mithridatem auream metere ſegetem, hunc itaq; interficere ſtatuit, Demetrioque filio cõſilium aperuit, iureiurando ad tacendum obſtricto. Demetrius accito Mithridate, ad litus maris deambulauit, & ſtimulo qui in haſtili imo eſt in arena inſcripſit, Fuge Mithridates, atque hic re intellecta in Pontum profugit, ibique regnum ad vitæ vſque finem tenuit.* Fideliter.

Piè in patrem. *Antigonus ſecundus, Demetrij F. cùm pater captus monuiſſet eũ per litteras, ne ſi quid ipſe à Seleuco coactus ſcripto mandaret, obtemperandum, aut vrbibus decedendum ſibi putaret, vltrò ad Seleucum ſcripſit ſe ei toto*



*regno cedere, obſidémque ſe pro patre, vt hic dimittatur, offerre.*

*Adoleſcente qui non admodum bonus miles videbatur, natus viro forti, ſtipendium paternum poſtulanti: ego, inquit, mi adoleſcens mercedem & munera dare propriæ, non paternæ virtutis cauſſa dignis ſoleo.*

*Antiochus cognomento Accipiter (hoc enim Hierax ſignificat) bellum de regno aduerſus fratrem Seleucum gerebat, qui cùm à Gallis victus nuſquam apparere, putareturq; in pugna conciſus, poſita Antiochus purpura pullam induit veſtem, paulo pòſt audita incolumitate fratris, dijs rem ſacrã ob lætum nuncium fecit, ciuitatibúſque ſibi ſubditis vt ſerta gererent imperauit.* Fratrem amor.

*Interroganti vter eſſe mallet, Achilles an Homerus, reſpondit Themiſtocles: Tu verò maléſne Olympico certamine victor eſſe, an præco qui victorum nomina proclamaret?* Homerus eſſe præſtat, quàm Achilles.

*Seriphio cuidam obijcienti, non propter ſeſe, ſed propter vrbem celebrem eſſe: verum, ait, dicis. Cæterum neque ego ſi Seriphius fuiſſem, factus eſſem nobilis, neque tu, ſi Athenienſis.*

*Poſtulanti à ſe Simonidi, vt ſententiam quandam iniuſtam ferret: Neque tu, inquit, Themiſtocles poëta bonus eſſes ſi præter numerum caneres, neque ego princeps probus, ſi contra leges iudicarem.* Iuſtè.

*Antiochus is qui iterum in Parthos expeditionem fecit, in venatione quadam dum feras inſectatur, ab amicis & famulis aberrauit, caſamq; hominum egenorum ignotus intrauit, cúmque inter cœnandum mentionem regis intuliſſet, reſponſum eſt eſſe regem alioqui bonum, ſed qui pleraque amicis prauis hominibus mandaret, ac negligeret ac prænimio venandi ſtudio ſæpenumerò res neceſſarias omitteret. Ac tunc quidem tacuit. Sub lucem autem ad caſam cùm venirent ſatellites, & allata purpura diadematéque agnoſceretur: Ab eo, inquit, die quo vos recepi, heri primùm de me veros ſermones audiui. Obſidentem Hieroſolyma Iudæi vt maximam ſuam feſtiuitatem poſſent celebrare, ſeptem dierum inducias popoſcerunt. Non id modò conceſſit, ſed & tauros auratis cornibus apparuit, aromatúmque copiam & vſque ad portas cum pompa deduxit, traditáque ipſorum ſacerdotibus victima in caſtra rediit. Quod mirati Iudæi, ſtatim poſt exactos feſtos dies deditionem fecerunt.*

Reges rarò de ſe vera audire.

Liberalitas vtilis.

*Pericles præturam geſturus chlænam ſumens ita ſeipſum ſolebat alloqui: Memento Pericles liberis te imperaturum, Græcis atque Athenienſibus. Æginam abolere iubebat, tanquam oculis Piræ ei damnoſam. Amico falſum à ſe teſtimonium, quod iureiurando*

Amicus vſque ad aram.



*erat ſanciendum, exigenti, Amicum ſe vſque ad aram eſſe reſpondit. Moriturus ſeipſum felicem prædicauit, quòd nulli Athenienſiũ atræ veſtis gerendæ cauſa fuiſſet.*

*Alcibiades etiamnum puer in palæſtra ita comprehenſus, vt non poſſet effugere, colluctantis manum momordit, qui cum diceret, Mordes, ſicut mulieres: reſpondit, Nequaquam, ſed vt Leones. Canem poſsidebat perpulchrum, emptum 70. minis, ei caudam amputauit, eo id ſe facere dicens, vt habeant Athenienſes quod de ipſo loquerentur, neq; in alias inquirerẽt res eius. Ad ludum aliquando litterarium veniens, rhapſodiã Iliadis popoſcit magiſtrum: eique cùm nihil Homericũ ſe habere diceret, colapho impacto transiit. Veniens ad fores Periclis, audiuit eum occupatum eſſe, ac circunſpicere quomodo rationes poſſet Athenienſibus reddere: Nónne inquit, præſtabat excogitare rationem, ne eas redderet? Euocatus ab Athenienſibus è Sicilia ad dicendam cauſam, cum quidam capitis anquireretur, abdidit ſeſe: ſtultum eſſe dicens reum qui cùm fugere iudicium liceret, quærat qui in eo ſe defendat.*

Canis Alcibiadis.

Præceptori litterario. Alcibiades colaphũ ĩpegit quod diceret ſe nihil Homericũ habere.

*Ac dicenti cuidam, Nõ fidis patriæ de te iudicaturæ? ne matri quidem, inquit, metuerem enim ne per errorem atrum calculum pro albo*

*in vrnam inijceret. Audito ſe & qui cum ipſo erant morti ab Athenienſibus addictos eſſe, Oſtendamus, ait, illis nos viuere. Simulque ſe ad Lacedæmonios contulit & bellum Decelicum contra Athenienſes excitauit.*

Error in bello. *Lamachus centurionem quendam cõmiſſi erroris cauſa verbis increpabat, ac reſpondenti, poſthac ſe nihil tale admiſſurum, hoc referebat: In bello non licet bis peccare.*

*Cum Iphicrati Hermodius, vnus de priſci illius Harmodij poſteris exprobraret ignobilitatem, reſpondit: Meum à me incipit genus, tuum in te deſinit.*

*Poſt mortem Antipatri forma Reipub. populari conſtituta in concione pronunciatũ eſt: Phocionem amicóſque eius morte mulctandos eſſe. Ibi reliqui flentes cum ad ſupplicium ducerentur, Phocioni tacitè eunti inimicorum quidam obuiam factus in faciẽ expuit. Tum ad magiſtratum reſpiciens Phocio, Nemóne, inquit, compeſcet hũc contra decorum agentẽ?*

*Vnũ moriturum Enippum, idque deplorantem & indignè ferentem ſic compellauit: Pigétne te cum Phocione mori? Allato iam ſicutæ poculo interrogatus filióne aliquid mandaret: Mando, inquit, tibi fili atque hortor te, ne Athenienſibus memorem te iniuriarum præbeas.*

*Interrogatus Charillus cur comã Spartani nutrirent:*



*nutrirẽt: quia, inquit, omnium ornatuum hic minimo conſtat ſumptu.*

*Lyſander cum filiabus ipſius Dionyſius tyrannus precioſas veſtes miſiſſet, non accepit: quod vereri ſe diceret ne filiæ ijs indutæ turpiores viderentur. Culpantibus Lyſandrum, quòd multa per dolum agendo parum dignum Hercule ſe gereret, dixit, vbi leonina pellis non ſufficit, ibi adſuenda eſt vulpina.* Fraus.

*Ageſilaus dicebat Aſiæ incolas ſi libertate fruerentur, malos: ſi ſeruirent, bonos eſſe. Cum ſolerent illi Perſarum regem appellare magnũ: quomodo aiebas, is me maior eſt, ſi non iuſtior & temperantior.* Magnus quis dicendus.

*De fortitudine & iuſtitia interrogatus Ageſilaus, vtra harum maior eſſet, Reſpondit nihil opus fore fortitudine, ſi omnes iuſti eſſemus.* Vbi oẽs iuſti, fortitudine nihil op⁹.

*Demetrius Phalereus regi ſuadebat vt libros de regno & principatu pararet ac legeret, de quibus enim amici reges monere non audent, ea in libris exſtare.* Reges libros legere debere.

*Moriens amicis mandauit Ageſilaus, ne vllum ſibi fictile aut pictum monimentum (ſic enim appellabat imagines) facerent, ſi quid enim egiſſet præclari, id ſibi monimentum fore: alioqui vel magnam ſtatuarum copiam nihil ad gloriam conducturam eſſe.*

Mors pulcherrima in bello. *Epaminonda Thebanorum imperatore, nũquam Panicus terror exercitui incidit.*

*Dicebat hic, pulcherrimã eſſe mortem in bello. Ciuitate diem feſtum agente, omnibusq; vino & conuiuio deditis, occurrit cuidam familiariũ ſqualidus & cogitabundus, mirantique & cauſam quærenti cur ſolus ita affectus obambularet, reſpondit: vt liceat vobis omnibus potare & animo eſſe ocioſo. Malum hominem, qui mediocrem aliquam culpam commiſerat, Pelopida deprecante non dimiſit: amaſia autem orante abſoluit, huiuſmodi dona, inquiens, accipere meretriculas conuenit, non imperatores. Eorum quæ ipſi eueniſſent bona atque commoda, omnium hoc ſibi aiebat accidiſſe iucundiſſimum, quod vtroque viuẽte parente Lacedæmonios ad Leuctra viciſſet. Solitus aliàs videri vncto corpore, vultúque ſereno, poſt illam pugnam poſtridie proceſſit ſqualidus atque humilis, & interrogantibus amicis ecquid aduerſum obtigiſſet, Non ſanè, inquit, ſed heri ſenſi me animo altiùs quàm rectum eſt elatum fuiſſe: itaque hodie immoderatum illud gaudium caſtigo. Cùm Iaſon Theſſalorum tyrannus Thebas (nam eã cum ciuitate fœdus ei ſocietáſque intercedebat) veniſſet, & Epaminondæ admodum egeno duo milia aureorum mitteret: aurum Epaminondas repudiauit, cúmque Iaſonem conſpexiſſet, Iniuriam, inquit, mihi infert vltrò, & quinquaginta denarijs à quodam*

Grauiter.



*ciue mutuò ſumptis, eo fretus expeditionis viatico in Peloponeſum irrupit. Rurſum cùm ei rex Perſarum tria Daricorum milia miſiſſet: acerbè Diomedontem obiurgauit, qui tantam nauigationem confeciſſet corrumpendi Epaminondæ gratia, regique eum renunciare iuſſit, ſe ei gratis fore amicum, Thebanorum commodo ſtudenti: incommoda autem eorum meditanti, hoſtem. Vltima in pugna accepto vulnere in tentorium relatus Epaminondas, Daiphantum vocauit, ac poſt illum Iollidam, quos cùm interiiſſe intellexiſſet, ſuaſit ſuis vt pacem cum hoſte componerent, imperatore iam carentes, & verba eius res comprobauit, ita præclarè ciues ſuos nouerat.*

*Pelopidas Epaminondæ collega, dicentibus amicis rem eum negligere neceſſariam, pecuniæ ſcilicet conquiſitionem, Mehercle, inquit, pecunia res eſt neceſſaria huicce Nicomedi, monſtrans hominem claudum & mutilum.*

Pecunæ contemiptus.

*Cùm exeuntem ad pugnam oraret vxor, vt ſeipſum ſeruaret, Alijs, inquit, hoc conſulendum eſt, principi autem & imperatori, vt ciues ſeruet.*

Principis officium.

*Samnites accepta clade ad M. Curium venerunt aurũ offerẽtes. Elixabat autẽ iũ fortè rapas in olla. Reſpondit itaq; ijs, Nihil opus*

Aurũ habentibus imperare.

auro eſſe qui ſic cœnaret: ſibiq; vtilius eſſe imperare aurũ poſſidentibus, quã aurũ poſſidere.

Maledicta qui metuit timidior eſt eo qui hoſtes fugit.

Fabius nolens cum Annibale prælio cõgredi, ſed copias eius meditatus tempore atterere pecuniæ & commeatus inopes, ſectabatur hoſtem per aſpera & montoſa ab altera parte ducens, ridentibúſque multis & pædagogum Annibalis eum dictitantibus, contemptis dicterijs ſua ſequebatur conſilia, & amicis dicebat, qui maledicta & cõuicia metueret, hũc ſibi timidiorem exiſtimari eo qui hoſtes fugiat. Cùm autẽ collega ipſius Minucius quibuſdam hoſtium deiectis in omnium eſſet ore, virque Roma dignus ferretur, dixit Fabius, Magis ſe à proſpero Minucij quàm aduerſo euentu aliquid timere mali. Eumq; paulo pòſt in inſidias delapſum, ac de ſua & exercitus ſalute in ſummo verſantem periculo, ſubueniens ipſe magna cum ſtrage hoſtium ſeruauit. Itaque Annibal ad amicos dicebat: Nónne prædixi vobis, à nubecula iſta montibus inſidente tempeſtatem aliquando in nos erupturam? Poſt Canenſem cladem conſul creatus Claudio Marcello collega, homine audace, atque identidẽ cum Annibale præliari ſtudente, ipſe ſperabat nemine pugnante mox exercitum Annibalis mora eneruatum animos deſponſurum, itaque dicebat Annibal, magis ſe à non pugnante Fabio, quàm



pugnante Marcello ſibi timere. Erat apud Fabium delatus Lucanus quidam miles, qui ob amorem mulierculæ cuiuſdam frequenter noctu à caſtris euagaretur. Hunc cum alioqui in armis admiranda eſſe virtute inaudiſſet, capi occultè atque ad ſe afferri mulierculam iuſſit, adductáque ea, vocato ad ſe reo: deprehenſum eſt, ait, noctu te à caſtris contra leges abeſſe, ſed ne hoc quidem me fefellit, ſtrenuum te antè fuiſſe, meritis igitur peccata tua condonata ſunto, in poſterum autem nobiſcum eris: habeo enim fideiuſſorem, ſimulq; productam ei tradidit amicã. Senectute iam ingraueſcente, cum filius eius conſul in publico magnà hominum frequentia officio fungeretur, conſcenſo equo ad eum adiuit, cúmque filius miſſo lictore deſcendere eum ex equo iuſſiſſet, reliquis pudore affectis deſiluit ex equo & contentiore quàm ætas ferret impetu accurrit ad filium, amplexúſque eum, Rectè, inquit, ſapis fili, ſentiens quibus præſis & quantam imperij maieſtatem adeptus ſis.

Magiſtratus dignitas.

Scipio maior quod ocij à gerendijs imperijs & repub. erat litterarum ſtudijs inſumens, dicebat in ocio ſe plura quàm alias agere.

Cato maior ad populum verba faciens, intemperantiam eius & luxum perſtringens aiebat, difficile eſt loqui ad ventrem auribus carentem, & mirari ſe: quomodo ſalua poſſit

Difficile eſt loqui ad ventrẽ

aurib' ca rentem.

*eſſe vrbs, in qua pluris vendatur piſcis quam bos. Aliquandò imperia mulierum in viros nimis quàm vſitata inciſſens dixit: Omnes homines mulieribus imperant, nos omnibus hominibus, nobis mulieres. Aiebat malle ſe nullam pro beneficio collato gratiam adipiſci, quàm ob delictum non dare pœnam, omnibúſque ſe peccantibus, ſe vno excepto, ignoſcere. Inſtigans magiſtratus ad imponenda ſontibus ſupplicia, dicebat, Eos qui malè agentes prohibere poſſent, neque id facerent, eorum flagitijs aſſentiri.*

*Adoleſcentibus erubeſcentibus aiebat Cato Maior, magis ſe delectari quàm pallentibus. Odiſſe ſe affirmabat militem qui inter deambulandum manus, in pugna pedes moueret, & qui clariùs ſterteret, quàm in congreſſu pugnæ vociferaretur. Peſsimum eſſe principem, qui regere ſeipſum nequiret. Vnumquemque ſeipſum maximè revereri debere, nunquam enim eſſe ſine ſeipſo. Cùm videret multis poſitas ſtatuas, Malo, inquit, homines quærere cur Catoni non ſit poſita ſtatua, quàm cur ſit. Parcè vſurpare poteſtate ſua iubebat potentes, vt liceret eam ſemper habere. Qui virtuti honorem detraherent, eos aiebat virtutem adoleſcentiæ adimere.*

Inter deambulandum manus non mouendas.

*Magiſtratum aiebat & iudicem, debere neque opus habere exhortatione ad inſtè,*



*neque pati exhortando ſe permoueri ad iniuſtè agendum. Iniuſtè facta vt autori non ſint, omnibus tamen eſſe periculoſa. Hortabatur ſenes, ne ſenectuti cui aliàs multa adeſſent incommoda, turpitudinem à vitijs proficiſcentem ſuperadderent iratum ab inſano tempore duntaxat differre dicebat Cato maior. Qui ridiculis rebus ſeriam impenderent operam, eos aiebat in rebus ſerijs fore ridiculos. Honeſtas actiones, ne earum fama efflueret è memoria, confirmandas eſſe alijs honeſtis actionibus. Cum autem plures cepiſſet vrbes, quàm dies in hoſtico egiſſet (vt ipſe de ſe profitetur) nihil tamen præter cibum & potum inde ſe accepiſſe ait. Militibus viritim libram argenti largitus, præſtare dicit multos à militia cum argento, quàm paucos cum auro redire. Ducum enim nihil præter gloriam debere in prouincijs augeri.*

*Alij clypeum oſtentanti præclarè ornatum, Clypeus quidem, inquit Scipio iunior, ô adoleſcens pulcher eſt: cæterum Romanum virum magis decet in dextra ſua fiduciam habere, quàm in ſyniſtra collocatam.*

Fiduciã ſui potius in dextra quàm in ſyniſtra collocandam.

*Roma enim Scipione incolumi cadere non poteſt, neque viuere Scipio Roma euerſa.*

*Interrogatus Cæcilius Metellus, à quodam iuuene centurione quid eſſet facturus, reſpondit, Se tunicam ſuam, ſi ſui eam ſibi conſciam*

Arcanũ nõ aperiẽdum.

*conſilii putaret, exuturum & crematurum.*

Senectꝰ. *Ægrotanti Pompeio medicus conſuleret ut turdo veſceretur, nullus autem poterat inueniri, quòd anni tempus erat ab eorum captura alienum, quidam inuentum iri aiebat apud* Lucullum, *qui per annum eos alleret; Ergo, dicebat, niſi luxuriaret* Lucullus, *viuere Pompeius nequiret? iuſſóque valere medico, vſus eſt re facilè parabili. De ſe ipſo autem liberè prædicabat hoc, omnem magiſtratum ſe & accepiſſe ſua, & depoſuiſſe aliorum opinione citiùs.* A Pharſalica *pugna in Ægyptum fugiens, è triremi ſua tranſiturus in piſcatoriam cymbam à rege miſſam, conuerſus ad vxorem & filium aliud nihil dixit, quàm Sophoclea iſta:*

Etenim tyranni quiſquis intrat in domum,
Fit ſeruus eius, liber etſi venerit.

*Tranſgreſſus cum gladio feriretur, ſemel tantùm ingemuit, nullâque emiſſa voce caput obuoluit veſte ac procubuit.*

*Cicero orator, cum cognomen eius exagitaretur dicteriis, amicique hortarentur vt id mutaret, dixit ſe Ciceronis nomen effecturum Catonum, Catulorum, Scaurorúmque nomine illuſtrius.*

Oratores īperitos *Oratores qui altum clamarent, dicebat Cicero ob imperitiam dicendi ad voſiferatio-*



*nem ſicut claudos ad equum confugere.* vociferare.

*Metello Nepoti dicenti, plures teſtimonio tuo perdidiſti, quàm patrocinio ſeruaſti, reſpondit* Cicero. *Quia enim plus mihi fidei eſt quàm facundiæ. Eidem interroganti quo patre natus eſſet, Tua, inquit, mater fecit, vt tibi difficilius eſſet reſpondere ſic interrogato.* Pluris fides quàm facũdia.

*Audito Vatinium inimicum ſuum, hominem alioqui prauum, mortuum eſſe, cùm poſtea viuere eum cognouiſſet, Male, inquit, pereat, qui mentitus eſt malè.* Mentiri.

*Res Alexandri legens geſtas Cæſar, fleuit, dixitque amicis: Quo natu Alexander Darium vicit, eo ego nihil adhuc egi. Pharnacem Ponticum primo acceſſu cùm ſuperaſſet ad amicos ſcripſit: veni, vidi, vici.* Ambitio. Veni, vidi, vici.

*Scipione in Africa pulſo victóque cum Catone ſibi necem conſciuiſſet: dixit inuidere ſe Catoni mortem, quando is ſibi ſalutem inuidiſſet. Malè ſuſpicantibus de Antonio quibuſdam &* Dolabella, *& ab iis vt ſibi caueret monentibus: Non hos, inquit, metuo ignauos & pingues, ſed graciles iſtos ac pallidos, Brutum monſtrans & Caſſium.*

*In cœna ſermone incidente quodnam mortis genus eſſet optimum, reſpondit Cæſar, inopinatum.* Mortis genꝰ optimum.

*Rymetalces Thracum rex ab Antonio ad Cæſarem Auguſtum defecerat, ſocieta-*

Proditor odioſus. têmque hanc immoderatè in conuiuijs odiũ, ſeque iactabat, itaque Auguſtus cuidam reliquorum regum propinans dixit, Ego proditionem amo, proditores non laudo.

Athenodoro philoſopho domum redeundi ob ſenectutem petenti veniam, conceſſit Auguſtus, qui cum vale dicens ei hæc verba protuliſſet: Cum iraſceris, Auguſte, nihil antè vel dixeris vel feceris, quàm tecum 24. orationis elementa repetieris: manu eius arrepta Auguſtus, etiamnum, inquit, tua mihi opus eſt præſentia, ac per totum porrò annum ſecum detinuit, Silentij, inquiens, tutum eſſe præmium. Audito Alexandrum, cum annos natus 32. pleráque ſubegiſſet, anxium fuiſſe de materia agendi ad reliquum tempus: Miror, inquit, Alexandrum non exiſtimaſſe maioris eſſe operæ imperium partum bene conſtituere, quàm parare. In ira nihil agendum.



# Ex Plutarchi libello qui Apophthegmata Laconica, dicitur.

AGeſilaus magus ille ſorte in cõuiuio magiſterium nactus, pincernæ interroganti quãtum cuique vini iuberet apponi, Si multum, inquit, vini in promptu eſt, cuiuis quantum poſcet fundito, ſi parum, æqualiter inter omnes diſtribue.

Quoties laudantes aut vituperantes audiret, cenſebat non minus dicentium mores cognoſcendos eſſe, quàm eorum de quibus dicerent. Adſtans aliquando aræ Mineruæ, quæ ab æde ærea Chalciœcus dicitur, bouémque immolans, morſus à pediculo, nihil reueritus in conſpectu omnium arripuit eum & occidit his additis verbis: Per Deos, iucundum eſt vlciſci inſidiatorem, etiam pone aram.

Cùm quidem amicis dixit Ageſilaus, impium eſſe iniuſtè fidem datam violare: hoſtes autem decipere, non iuſtum modò eſſe & laudabile, ſed ſuaue etiam ac lucroſum. Hoſtẽ fallere iuſtũ ac laudabile.

Megabutẽ Mithridatis filium, qui erat formoſiſſimus, offerẽdi oſculi gratia accedẽtẽ (ad-

modum enim amari ſe putabat) declinauerat, cúmque is finem feciſſet accedendi requirebat eum vltrò, tum amicis dicentibus eum eſſe in culpa, qui pulchri oſculum formidaſſet, præ timore non amplius venturi, paululum tacitè ſecum meditatus Ageſilaus, Nihil, inquit, attinet, eum à nobis adduci perſuadendo, malle enim mihi videor huiuſmodi vincere cupiditates, quàm populoſiſſimam hoſtium repugnantium vrbem capere, melius eſt enim ſuam ipſius conſeruare libertatem, quàm aliis eam adimere.

Victoria ſui.

Caſtra enim mouens aliquando Ageſilaus non nullo cum tumultu, inualidum à tergo relinquens Amaſium precantem, & cum lachrymis reuocantem, conuerſus: difficile eſt, dixit, ſimul miſereri & ſapere. Aſſiduè in ore hoc habebat Ageſilaus, ducem non mollicie & luxu, ſed tollerantia ac fortitudine debere ſubditus anteire. Alteri hac ipſa de re percunctanti reſpondit Ageſilaus, vrbes non lapidibus & lignis, ſed virtute inhabitantium debere eſſe munitas. Interrogatus aliquando Ageſilaus, vtra virtutum harum, fortitudinis & iuſtitiæ, præſtantior eſſet: Reſpondit nullum fore vſum fortitudinis non præſente iuſtitia, omnibus autem iuſtitiam colentibus, nihil opus eſſe fortitudine. Interrogatus Ageſilaus, quo quis maximè pacto inter hominum

Miſereri ſimul & ſapere, difficile.

Dux.

Gloria qũo paranda.



præclarum inuenire poſſet nomen: Reſpondit, ſi optima dicat, & pulcherrima agat.

Ducem agebat Ageſilaus, debere aduerſus hoſtes audacia, aduerſus ſubditos beneuolentia inſtructum eſſe.

Ferunt Ageſilaum quòd impenſiſſimè liberos ſuos diligebat, domi in arundine cum puerulis ludendi gratia equitaſſe, conſpectúmque à quodam amicorũ, monuiſſe, ne cuiquã hoc diceret priuſquam ipſe quoq; pater eſſet factus.

Amor liberorũ.

In pugna ad Mantineam hortatus eſt Lacedæmonios, vt omiſſis reliquis in ſolũ pugnarent Epaminundam: ſolos, inquiens, prudentes eſſe fortes, & illo necato facilem fore de reliquis victoriam, fatuis & nullius precij hominibus, idque conſilium exitus comprobauit.

Solos ſapientes fortes.

Ex Ægypto in patriam reuertens, ea in nauigatione vita deceſſit, cùm quidem ſuis moriens mandauit, ne vllam ſui corporis fingendo aut alia imitatione pararent imaginem: Si quid enim, aiebat, à me eſt præclarè factum, id monimentum mihi erit: ſin verò, ne omnes quidem ſtatuæ, hominum opera illiberalium.

Vera gloria.

Ad Mantineam cum prohiberetur pugnare quòd hoſtes numero vincerent, Neceſſe eſt inquit Agis, contra multos pugnet, qui multis vult imperare.

Fortiter.

*Iam ſeniori quidam antiquas leges videns elāgueſcere, pravaſque alias obrepere, dicebat Spartæ res ſurſum verſum inuerti. Tum Agis per iocū: Hoc ſi fit, rationi conuenienter fit, nā puer ipſe audiui patrē meū dicere, ſurſum verſum res ſua ætate inuerſas eſſe: idemq; is ſe puerum ex ſuo patre audiuiſſe aiebat, nō ergo mirandum, ſi poſteriora prioribus deteriora eueniunt, ſed ſi quando meliora aut ſimilia obtingerēt. Interrogatus, qua quis ratione liber permaneat, reſpondit, ſi mortem deſpiciat.*

Omnia in peius ruunt.

Qui mortē deſpicit liberè viuit.

*Agis vltimus Lacedæmoniorum regum per inſidias captus, indictáque cauſa damnatus ab Ephoris, cum ad laqueum, quo erat ei guttur elidendum, duceretur, cuidam miniſtrorum, quem plorare videbat: Deſine, inquit, me deflere, qui tam ſceleratè atque iniuſtè morti addictus, meliore ſum quàm qui me necant conditione: atque ſic locutus, funi vltrò ceruicem præbuit.*

*Anaxander Euricratis filius quærenti cur pecuniam in ærarium nō colligerent Spartani, reſpondit, Ne cuſtodes ei præfecti corrumpantur.*

*Arigeus, cùm quidam non ſuas, ſed alienas laudarent mulieres, Me hercle, inquit, & pulchris & honeſtis mulieribus nihil temerè dixi, ſed quales eæ ſint omnibus extra maritos ignotum eſſe oportebat.*

Mulier.



*Arbiter à duobus ſumptus Archidamus, adductus in Chalciæci Mineruæ fanum ſacramento deuinxit, ſtaturos eos ei quam tuliſſet ipſe ſententiæ, qua confecta re, Pronunciare ſe dixit, non niſi priùs compoſita lite ipſos inde abire debere.*

*Socijs in bello Peloponneſiaco quærentibus quantum pecuniæ ſufficeret, & tributum ſibi definiri poſtulantibus: reſpondit Archidamus, Bellum determinato ſumptu non ali.*

Belli ſūptus.

*Epænetus omnium aiebat peccatorū & iniuriarum cauſam eſſe homines mendaces.*

Mēdaciū cauſa omniū peccatorum.

*Leo Eucratidæ filius, Interrogatus quanā in vrbe aliquis tutiſſimè habitaret: reſpondit, in ea, in qua omnium ciuium poſſeſſiones eſſent æquales, plurimúmque haberet virium iuſtitia, minimum iniuſtitia.*

*Milites monuit Leonidas, vt ita pranderēt, tanquam apud inferos cœnaturi.*

*Lycurgus legumlator, vt ciues ex vſitata victus ratione (viuebant autem delicatè) ad magis ſobriam traduceret, virtutiſque ſtudioſos redigeret, catulos, duos educauit iiſdem natos canibus, horúmque alterum domi deſidentem ad guloſitatem adſuefecit, alterum ad venationem condocefecit, deinde in concionem eos produxit, propoſitiſque quibuſdam gulæ iritamentis, leporem etiam emiſit, vtroque ad id ſe incitante, ad quod erat*

*adſuefactus, cùm leporem alter exiſſet, dixit: videtis, ciues, hos iiſdem natos parentibus, educatione admodum diſsimiles effectos, & exercitatione magis quàm natura ad virtutem nos formari?*

*Reprehendentibus ipſum Lyſandrum, & indignum Hercule dicentibus, quòd pleráque imposturis ageret, dolóque res non ingenuè gereret, ridens reſpondit: vbi non ſufficit leonina pellis, adſuenda eſt vulpina.*

*Aliis vituperantibus ipſum ob violatũ iureiurandũ, quod Mileti dixerat: Pueros talis, viros ſacramentis decipi debere reſpondit.*

*Perſæ querenti quam Reip. formã maximè probaret: in qua, inquit Lyſander fortibus & ignauis ſuum tribuitur.*

De ſe prędicãti nõ credẽdũ.

*Dicenti laudo te & defendo, reſpondit Lyſander, Duos ſe ruri habere boues, quibus tacẽtibus, ſe tamen exquiſitè noſſe vter eorum piger ſit, vter induſtrius.*

Barba virũ maximè ornat.

*Quærenti cur comam & barbam alerent Spartani, reſpondit Nicander, quia virum & maximè ornat, & minimo ſumptu conſtat proprius ornatus.*

Bona exiſtimatio diuitiis præſtat.

*Mirantibus nonnullis inter ſpolia barbarorũ ſumptuoſas veſtes, dixit Pauſanias: præſtat aliquem ipſum magni eſſe precii, quam res poſsidere præcioſas.*

*Interroganti quomodo Thraces poſſent vinci,*



In duce victoria.

*vinci, Si, inquit Pauſanias, optimum exercitui ducem præficiamus.*

*Et dicenti medico, Senex es factus: quia inquit Pauſanias, te non adhibui medicũ. Optimũ dicebat eſſe medicum, qui ægrotos nõ conficeret putreſcendo, ſed quamprimum ſepeliret.*

*Charilaus interrogatus cur tam paucas leges poſuiſſet Lycurgus: Quia inquit, pauca loquentes paucis opus habent legibus.*

*Interrogatus Charilaus, quænam eſſet optima reip. forma, reſpondit: In qua plurimi de virtutis laude abſque ſeditione certant.*

Senectutis honor.

*In diſceſſu videns quidam homines in curribus ſedere: Abſit, inquit, vt ibi ſedeam, vnde ſeniori aſſurgere non licet.*

Luſcinia.

*Laco cùm plumis luſcinia nudaſſet, ac parũ admodum carnis reperiret, dixit: vox tu es, & nihil præterea.*

Veritas.

*Iactanti ſe ob artem oratoriam, Laco quidam: per Caſtores, inquit, neque eſt, neque erit ars vlla ſine veritate.*

Seuerè.

*Fratribus inter ſe litigantibus, patrem mulctauerunt* Lacones, *quòd diſsidere filios pateretur. Peregrinum fidicinem mulctauerunt, quòd digitis fides feriret.*

*Alius puer cùm appetiiſſet tempus quo lege iubebantur ingenui pueri furari quicquid poſſent, turpe autem habebatur deprehendi, ociis vulpeculam furatis, ipſiq; vt adſerua-*

Patiētia.

rei tradentibus, vbi quaſitum venerunt qui perdiderat, ſubter tunica abdiderat beſtiam: quæ cùm efferata latus eius vſque ad viſcera corroderet, tamē ſe continuit, ne furtiuam rem proderet, illis deinde digreſſis cùm æquales viderent quid eſſet perpeſſus, reprehenderéntque factum, præſtare dicentes vulpeculam detegere, quàm vſque ad mortem occultare: Nequaquam, inquit, nam moriendum potius fuit in doloribus quàm furti compertum ob mollitiem vita turpiter potiri.

*Puer Spartanus captus à rege Antigono & venditus, omnibus in rebus emptori morem geſſit, quæ libero conuenire putabat: iuſſus autem matulam adferre, recuſauit ſeruiturum ſe negans, ac vrgente domino, tectum conſcendit, fatuſq́; Scies, quid emeris, præcipitem ſe inde dedit, ac vita deceſſit. Alius cùm venderetur, quærenti, Probúſne eris ſi te emero? reſpondit, etiam ſi non emeris. Alius captiuus cùm venderetur & præco proclamaret Mancipium vendo ſceleſte, inquit, cur non dicis captiuum?*

De claudo milite.

*Claudus in militiam proficiſcens cùm derideretur, dixit, Non fugientibus opus eſt, ſed ſtantibus & locum ſuum tuentibus.*

*Poſt cladem duce Agide acceptā, cùm Antipater obſidum loco poſceret 50 pueros, Eteocles tum ephorus daturum ſe eos negauit, ne*



*malè educarentur, & ab inſtitutis patriæ deſciſcentes ciuitati incommodo fierent, ſenum autem aut mulierum duplum ſi vellet, numerum obtulit, cúmque Antipater atrocia minaretur niſi darentur, publico nomine reſpondit: Si difficiliora morte imperas, faciliùs nobis erit mori.*

Senectuti aſſurgēdum.

*Senex quidam Olympiæ commiſſum certamen ſpectare cupiens, ſedem non inueniebat; cúmque multa obiret loca, à nemine admiſſus contumelijs inſuper dicteriiſque exagitabatur: cùm autem ad Lacedæmonios veniſſet, omnes ei pueri aſſurrexerunt, multique viri loco ceſſerunt, quem morem vniuerſis Græcis plauſu approbantibus, ſummiſq́; laudibus vehentibus, ſenex iſte.*

Concutiens canam barbámque,
& tempora cana:

*Proh, inquit, calamitatē: norunt omnes Græci quid ſit honeſtū, ſed eo ſoli vtūtur Spartani.*

In mendicos.

*Mendicus à Lacone ſtipem petebat, hic verò, Si darem, inquit, tibi, eò magis mendicares. nam huic tuæ deformitati cauſam præbuit is qui primus tibi dedit, éoque ignauum te reddidit.*

Adulter.

*Quidam cùm deprehendiſſet adulterum cum vxore deformi, Infœlix, inquit, quæ te hoc coëgit neceſſitas.*

*Alius in prælio gladium hoſti iam incuſſu-*

*rus, cum audiret receptui cani, ictum non intulit, & interrogatus cur peperciſſet hoſti quē necare potuiſſet, reſpondit, quia melius eſt imperatori parére, quàm interficere.*

Obedientia.

## Inſtituta Laconica.

*Permanebant Lacones abſque toga, & unicam in annum ſumebant tunicā, ſqualidi corpora, & plerunque lauacris vnctioneq; abſtinentes.*

Pueri bonæ indolis amandi.

*Permiſſum erat amare pueros præclara indole præditos, ſed turpe iudicabatur, ſi quis ab animo ad corpus amorem transferret, & qui polluiſſe aliquem crederetur, is infamis per totam vitam habebatur.*

*Mos erat porrò, vt iuniores à ſenioribus interrogarentur, quorſum irent, & cuius rei gratia: ac qui non reſponderet, vel prætextus necteret, obiurgaretur. Qui ſe præſente peccantē non caſtigaret verbis, in eadem erat culpa cum delinquente: & qui ægreferret ſe increpari, in magno erat probro.*

*Qui in aliquo delicto deprehendebatur, cogebatur aram quandā in orbem circuire: cōpoſitamq; ſui ipſius vituperationē cantare, quod nihil erat aliud, quā ipſum à ſeipſo obiurgari.*

*Condocefaciebant pueros, vt non ſuos modò parentes reuererētur, iiſque obedirēt, ſed & omnes alios ſenes, iiſque & de via decederent,*



*& de ſedibus aſſurgerēt, & præſentibus quieſcerent, quo factum eſt, vt quiſque præeſſet nō, vt aliis in ciuitatibus, ſuis tantum liberis, ſeruis, atque bonis, ſed vt de ſuis, ita & de vicini rebus curam gereret: vt quàm maximè inter ſe haberent communia omnia, & tanquam propria quiuis procuraret. Puer punitus ab aliquo ſi id ad patrem deferret, turpe erat patri non alia porrò addere verbera, ex ſua enim quiſque diſciplina perſuaſum ſibi habebat, nihil quenquam pueris inhoneſtum mandare.*

Enucatio Laconica

Nihil pueris mā dandum inhoneſtum.

*Cæna enim tenuis dabatur pueris Laconicis, vt ſuaptè opera inopiam profligare coacti, auderent & aſtuti fierent, & cùm hac de cauſa parcè cibus dabatur, tum vt aſſueſcerent nunquam repleri, ſed famem poſſe ferre.*

*Modulationibus quoquè & cantilenis non minus impenderunt ſtudij, quæ ſtimulum haberent ad excitandum augendūmque animū, impetūmque & quaſi inſtinctum quendam ad agendum ingenerarent.*

*Vniuerſam de ſepulchris ſuperſtitionem Lycurgus abſtulit, conceſſo vt in vrbe mortui ſepelirentur, & monimenta eſſent templis vicina.*

*Si quis ciuium non pateretur puerorum inſtitutionem, is iure ciuitatis excludebatur.*

*Moris erat apud ipſos Lacones, non pulſare oſtia ſed foris clamare.*

*Enimuerò Sparta, quandiu institutis* Ly-*curgi ſtetit, iureiurandúmque ratum ſeruauit: per annos* 500. *princeps Græciæ fuit, cùm legum bonitate, tum gloria reliquis ſuperior vrbibus. Paulatim verò deſciſcentibus ciuibus diuitiarúmque ſtudio & iniqua auaricia irrepentibus: cùm vires diminutæ ſunt, tum animi ſociorum maiorem in modum abalienati.*

Lycurgi legũ vis.

*Alia Lacæna, cùm filij è prælio fugiſſent & ad ipſam venirent: quò, inquit, perfugere voluiſtis mala mancipia? an huc (ſimul veſte ſublata ventrem nudatum eis oſtendebat) vnde exiſtis, redituri?*

Alia *cum auditu accepiſſet filium peregrè, malè ſe gerere, ſcripſit ei: Mala de te ſpargitur fama, aut abole eam, aut viuere deſine.*

Alia *cùm filio aſpidem traderet, eámque ad rem benè gerẽdam hortari vellet: filij, inquit, aut hanc, aut ſuper hac.* Alia *filio in bellum proficiſcenti porrigens ſcutum, Hoc, ait, pater tuus ſemper ſeruauit, itaque aut tu idem facito, aut peri.* Alia *audito filium re probè geſta in acie cecidiſſe, meus, enim, inquit, erat alterũ audiens fuga ob timiditatem ſibi ſalutem paraſſe, non enim inquit, meus erat.* Alia *cum narraretur filium ipſius in pugna ſtatione ſua ſeruata cecidiſſe: Hunc, inquit, ſepelite, inq; ipſius locum frater eius ſuccedat.*



*Alia cum ſolenni pompæ ducendæ intereſſet, nunciato filium in prælio victoria potitum è vulneribus quæ multa accepiſſet mori: non detracto ſerto, ſed iactabũda proximis mulierib⁹ dixit: Multo pulchriùs eſt, amicæ, vincentẽ in acie mortem oppetere, quàm ſupeſtitẽ vincere Olympia.*

V*irgo inops interrogata, quid dotis eſſet ſponſo allatura: paternã, inquit, pudicitiã.* Caſtè.

## Ex Plutarchi libello de mulierum virtutibus.

M*Ihi autem elegantior videtur Gorgiæ opinio, qui mulieris non formam, ſed famam vult multis eſſe notam.*

*Philippus Demetrij filius vrbem Chiorum oppugnans, ſuperbum ac barbaricum edictum propoſuerat, quo ſeruos ad defectionem ad ſe inuitabat, pollicens ijs dominarum coniugia & libertatem. Mulieres verò atroci atque efferа correptæ ira vna cum ſeruis, ipſis quoque vnà indignantibus & auxilium ferentibus, cum impetu in muros euaſerunt, lapidéſque & tela congerẽtes, ac propugnãtes exhortãtes & animãtes, ipſæq; etiã ad extremũ hoſtẽ profligãtes & telis impetẽtes, Philippũ repulerunt: cum quidem ad hunc nullus omnino ſeruorum tranſiuiſſet.*

Seruorũ fides.

Celtæ antequàm Alpes tranſgreſsi Italiæ eam obtinerent partem quam nunc incolunt, è graui & implacabili diſcordia in bellũ inciderant ciuile. Mulieres autem inter media arma progreſſæ, cognitis controuerſiis, tam dextrè eas & inculpatè diiudicauerunt, vt admirabilis earum ex arbitrio amicitia omnium cũ omnibus per vrbes ſingulâſque familias extiterit. Itaque in poſterum à Celtis mos ſeruatus, vt conſultationibus de bello & pace mulieres ſuas adhiberent, & lites cum ſociis ortas earum opera diſceptarent. Quare in ſuo etiam fœdere quod cum Annibale inierunt, ſcripſerunt: ſi Celtæ haberent quo nomine Carthaginenſes accuſarent, iudicium fore Carthaginenſium ducum ac præfectorum in Hiſpania: ſi verò Carthaginenſes Celtis aliquid obiicerent, cauſæ cognitionem futuram penes Celtarum mulieres.

Mulieres conſultationibus de bello & pace adhibitæ. Mulieres cauſas dirimere.

Tyrrheni cùm Lemnum & Imbrum occupaſſent, Athenienſium mulieribus Braurone abreptis filios procreauerunt, quos vt ſemibarbaros Athenienſes inſulis expulerunt. Hi cum Tænarum appuliſſent, Lacedæmoniis in ſeruili ſeu hilotico bello vtilem præbuerunt operã, ideóque ciuitate & matrimoniis dignati ſunt. Quod autem in ſenatum & ad conſilia non adhibebantur, venerunt in ſuſpicionem quaſi nouarum rerum moliendarum cauſa

Mulierũ induſtria.



coirent. Itaque à Spartanis comprahenſi & in carcerem coniecti, accuratè cuſtodiebantur, cupientibus liquidis & ſtabilibus eos conuincere argumentis. Captorum verò vxores ad carcerem venerunt multíſque obſecrationibus & precibus à cuſtodibus impetrauerunt, vt ad maritos intromitterentur, ſalutaturæ eos & compellaturæ. Poſtquam verò venerunt, celeriter viros ſecum permutare veſtes iuſſerunt, mulieribúſque in veſtibus exire. Ita mulieres quidem paratæ ad omnia aduerſa in carcere manſerunt, viros autem decepti cuſtodes pro vxoribus dimiſerunt.

Fabuloſum eſt quod eueniſſe in Lycia dicitur quanquam ei fama teſtimonium ferat. Sic autem narratur. Amiſodarus, quem Iſaram Lycij nominant ex colonia Lyciorum quæ apud Zeliam erat cum nauibus venit piraticis duce Chimaro, homine bellicoſo, cæterum crudeli & effero, eius nauis in prora leonis, in puppi draconis habebat inſigne. Multum is mali fecit Lyciis, infeſtúmque habuit mare, vt neque nauigari hoc, neque maritimæ vrbes habitari poſſent. Hunc cum interfeciſſet Bellerophontes, fugientem Pegaſo inſecutus, & Amazones quoque eieciſſet, nullam retulit ab Iobate gratiam, ſed eſt ab eo iniuſtiſſimè tractatus. Itaque ad mare acceſsit, ac Neptunum precatus eſt, vt Iobatæ regionem ſte-

Bellerophontis fabula.

rilem inutilémque redderet, votíſque factis retrò diſceſsit, fluctus autem elatus terram inundauit: erátque atrox ſpectaculum, cum ſublime mare ſequeretur eum & agros occultaret. Cum deprecantes viri Bellerophontem non mouerent, mulieres occurrerunt ei, tunicis ſublatis corpora denudantes, itaque præ pudore eo retro recedente, fluctus quoque (vt aiunt) ſimul receſsit. Alij fabulam vitantes, non exſecrationibus mare ab eo adductum dicunt: ſed cũ pinguiſsima pars planiciei ad mare eſſet humilior, ſupercilium mõtoſum, quod præter litus maris porrectum vndas arcebat, fuiſſe à Bellerophonte perruptum: cúmque mare vi inferretur, & planiciem illuuie tegeret, viros Bellerophontem deprecando nihil impetraſſe, mulieres autem facto agmine circumfuſas obtinuiſſe vt ipſas reueritus iram poneret. Sunt qui affirmẽt, illam Chimeram poëtarum fabulis nobilitatem montem omnino fuiſſe. Soli oppoſitum, in quem ſolis radij cũ reflecterẽtur, & æſtum vehemẽtem ac quaſi ignẽ in planiciem retorquerẽt, factum eſſe vt fruges marceſcerent, Bellerophontem autem cauſa mali intellecta præcipitij eam partem quæ erat læuiſſima & maximè Solis radios reflectebat, excidiſſe, cúmque ei non haberentur gratiæ, iratũ ad vlciſcendũ Lycios ſe cõtuliſſe, à mulieribus autẽ fuiſſe placatum. Nymphis quarto de Heraclea libro cauſam adfert à fabula maxi-



mè remotã. Aprũ qui in agro Xãthio animalia & fructus perderet, fuiſſe interemptum à Bellerophonte, neque ei vllã fuiſſe relatã gratiã. Itaque eũ Xanthios fuiſſe exſecratũ impetraſſéq; vt totũ ſolũ ſalſuginẽ emitteret, terráq; amarore indito omnes fruges corrũperentur, idque duraſſe donec mulierum victus reuerentia deprecantiũ, Neptunũ exorauerit vt finẽ iræ faceret. Atque hinc legẽ eſſe apud Xãthios, vt nõ à patribus, ſed à matribus nomina ſumant.

Lex de nominibus.

Magnũ vero argumentũ eſt bonæ indolis ac virtutis, metus ignominiæ: & quod nihil formidãtes mortẽ ac dolorẽ, quæ omnium maximè terribilia habentur, turpitudinis tamen imaginationem non pertulerũt, neque ſuſtinuerunt dedecus poſt mortẽ ipſis euenturũ.

Metus, virtutis magnum argumẽtũ.

Occupato à Naxijs caſtello, multiſq; hoſtiũ interfectis, Diogneto precibus Polycrita à ciuibus impetrauit ſalutem, ipſa autem ciuibus ad portam occurrentibus magno cum gaudio, collaudantibúſque & ſerta ferentibus, magnitudine lætitiæ exanimata, in ipſa porta concidit mortua, atque ibi ſepulta eſt, & monimentum eius vocatur Liuoris tumulus: quod inuidia quadã fortunæ faſcinata Polycrita putaretur meritis honoribus non potuiſſe frui.

Mors ex gaudio.

Quo tẽpore Romani duce Cn. Mãlio vicerunt Gallos Aſiaticos, qui ijdem Gallogræci dicuntur & Gallatæ, vſu venit Chiomaræ

Chiomaræ mulieris magnitudo ac prudẽtia

*vt inter alias mulieres ipſa quoque duceretur captiua. Qui ea potitus erat centurio homo & libidinoſus & auarus, pudicitiæ eius vim fecit, victus deinde pecuniæ cupiditate, cum mulier corporis ſui liberandi gratia magnam ei vim auri pollicita eſſet, eduxit eam ad locũ, qui amne ſecabatur, hunc cum tranſiuiſſent qui eam redẽptum venerant Gallatæ, datóque auro Chiomaram recepiſſent, vni eorum illa innuit, vt centurionem, qui ipſam tum amplectens vale dicebat, percuteret, cúmque is paruiſſet, & caput occiſo amputaſſet, Chiomara id gremio inuolutum ſecum abſtulit, cúmque ad maritum veniſſet, ante eum proiecit, & mirante eo, ac dicente, ô mulier præclara res eſt fides: omnino, inquit, ſed id pulchrius eſt, vnum tantum viuere qui mecum rem habuerit. Cum hac muliere Polybius ſcribit ſe collocutum Sardibus, miratúmque fuiſſe animi magnitudinẽ eius ac prudentiã.*

Cõſpiratio Toredorigis in Mithridatem.

*Mithridates Galatarum præſtantiſſimos 60. ſub amicitiæ ſpecie Pergamum euocatos cùm tractaret contumelioſè ac pro imperio, omnéſque id indignè ferrent: Toredorix Toſioporum tetrarcha, vir & corpore robuſtus, & animo magno præditus: in ſe recepit, velle ſe Mithridatem, quando is in gymnaſio pro tribunali ſedens ius diceret, arreptum cum tribunali in conuallem præcipitare. Cùm forte*



*fortuna Mithridates in gymnaſium ea die nõ adſcendiſſet, Gallatáſque ad ſe domum ſuam vocaret: bono idem animo ſuos eſſe iuſſit, cũq; conueniſſent, vndique in eum impetum facere, corpúſque eius diuellere. Non feſellit hoc Mithridatem, ſed re ex indicio cognita Gallatas vnum poſt alterum iugulãdos tradidit. Deinde recordatus adoleſcentis inter eos cuiuſdam, qui elegantia formæ reliquis antecedebat æqualibus omnibus, miſerabatur eum, ac factum mutabat, ſatiſque præ ſe ferebat, ægrè ſe interitum eius ferre, quem inter primos necatum fuiſſe putabat, miſit tamen qui viuum relinqui iuberent ſi nondum periiſſet. Nomen adoleſcenti Bepolitanus erat: eique mirabilis caſus euenit, cum enim compræhenderunt, pulchram & precioſam geſtabat veſtem quam dũ ſibi purã à ſanguine ſeruare cupit carnifex, ideóque paulatim detrahit, vidit regis nuncios accurrere, nomen Bepolitani clamãtes. Ita huic auaricia, quæ multos perdidit, inſperatam attulit ſalutem. Toredorix autem occiſus, & ſepultura cadaueri proiecto negata eſt. Muliercula autem Pergamena, cum qua is viuus conſueuerat auſa eſt mortui corpus componere & humare, quam cuſtodes deprehenſam ad regem adduxerunt. Fertur ſanè Mithridates aliquantulum fuiſſe conſpectu puellæ affectus, cùm iuuencula planè ſim-*

Auaritia inſperatã attulit ſalutem.

*plex videretur: magis tamen inflexit animũ, quòd cauſam fuiſſe ei facinoris amatoriam audiebat, itáque ei permiſsit, ut veſtitu & ornamentis de bonis ipſius ſumptis auferret ac ſepeliret* Toredorigem.

Timocleia mulier adulterum lapidibus obruit.

*Cùm enim* Theb*as in poteſtatem redegiſſet* Alexander*, aliique alias urbis partes perυagantes diriperent, domum* Timocleæ *mulieris occupauit homo nihil minus quàm modeſtus, ſed inſolenter iniurius atque ſtolidus,* Thracicæ *cuiuſdam turmæ dux* Alexandri *cognominis, ſed planè cætera diſsimilis. Is neque genus neque vitam mulieris reueritus, cùm ſeſe vino impleuiſset à cœna, dormire* Timocleam *ſecum coëgit. neque hunc iniuriarum finem fecit, ſed præterea aurum argentúmque requirebat, ſi quid horum ea reconditi haberet, adhibitis, partim minis, partim pollicitationibus, quòd habiturum ſe eam vxoris loco perpetuò diceret. Illa anſam ab eo ſibi præbitã arripiẽs: vtinam verò, inquit, hanc noctem mors mea anteuertiſſet: vt omnibus rebus perditis ſaltẽ corpus contumeliæ inexpertum conſeruaſſem, nunc quando res ita eſt, & te diuinitus mihi tutorẽ, dominum, virúmq; datum exiſtimare debeo, nõ ſpoliabo te tuis rebus, nam me quidẽ id futurã video, quod tu volueris. Habui mũdum muliebrem, & pocula argentea, nonnihil etiam auri & nomiſmatis, cùm autem urbs*



*caperetur, ancillis mandaui vt omnia cõuaſarent, abieciq́; aut potiùs depoſui in puteũ aqua carentẽ pauciſq; notum, eſt enim tectus operculo, umbroſúmque circa nemus occultat.* Hæc *tibi accipienti fauſta ſint: mihi quidem apud te erunt argumenta & indicia, fortunarum ac ſplendoris familiæ meæ. His auditis* Macedo*, non expectata die confeſtim ad locum perexit ducente* Timocleia*, ac hortum claudi iuſsit ne quis ſentiret, tunicatúſque in puteum deſcẽdit. Horribile autem cum ducebat ad ſupplicium parca, irrogante id* Timocleia*, ſupernè enim adſtans, cùm è voce ſenſit eum in imo eſſe, multos ingeſsit lapides, multos etiam magnóſque aduolutos ancillæ iniecerunt, donec eum cõtuderunt atque obruerunt ſaxis.*

Vltio diuina.

## Ex Plutarchi libello qui inſcribitur, aquáne an ignis ſit vtilior.

*DEinde abſque igni multa fuerunt: ſine aqua nullus vnquam homo.*

*At verò dici non poteſt quando aqua caruerint homines: neque eius inuentor deorum aliquis aut heroum perhibetur. Ignis vſus nuper adeò, vt aiunt, à Prometheo eſt repertus, ita ſine igni, non abſque aqua vita fuit.*

Prometheus ignis inuentor.

Diogenes cynicus igni non eſt vſus.

*Quin & Diogenes cynicus minime igni eſt vſus, qui etiam polypum crudum deglutiens, Tantũ, dixit pro vobis adeo periculum.*

Mare hominẽ cicurauit.

*Licet autem nobis eodem modo dicere: abſq; mare fuiſſet, animal fuiſſet homo omnium animalium feriſſimum & impudentiſſimum.*

Litteræ aduerſus obliuionẽ remedium.

*Nunc mare ab Indis vitem Græcis aduexit, & transmarinis frumenti vſum è Græcia attulit, & è Phœnicia litteras memoriæ aduerſus obliuionem remedium acciuit, vinum quoque apportauit: denique maior hominum pars ne abſque fructu & inſtitutionis exſors eſſet, præſtitit. Quomodo ergo non ſit vtilior aqua, quæ elemento excedit ignem?*

*Terra enim abſque calore, ſterilis eſt, & infrugifera, ignis ſua eruptione & vi diffundendi materiam turgentem fertilem reddit. Quam enim aliam adferes cauſam, cur ſaxa & aridiores montium partes ſteriles ſunt, quã quod ignis vel nihil, vel parum nanciſcuntur? At humor etiam cadaueribus adeſt, neque omnis aboletur. Alioqui non putreſcerent humida corpora: cum putrefactio ſit ſicci in humidum mutatio, aut potius humidi in carne corruptio.*

*Tum ipſa mors nihil eſt aliud, quàm omnis caloris priuatio. vnde fit vt frigidiſſima ſint cadauera, adeò vt ſua frigiditate hebetent acies nouacularum admotas.*

*Stirpes*



*Stirpes quidem & ſemina, non humor producit, ſed calidus humor frigidæ enim aquæ aut minus ſunt frugiferæ aut prorſus ſteriles.*

Aqua frigida ſterilis.

*Cæterum id falſum eſt, quod dicitur aliquos abſque igni eſſe in vniuerſum enim carere eo nullus homo poteſt: diſcrimina in hoc genere, vt & aliis in rebus, fatemur eſſe.*

*Sicut ergo ducem præſtantiſſimum cenſemus, qui vrbem ita inſtruit, vt externis non indigeat auxiliis: ita quoque hoc elementum dicemus potius, quod efficit, vt pleriſque in rebus extra nos nihil deſideremus.*

*Alioqui ratione quid conducibilius eſt homini, quid vtilius?*

Ignis reperit artes.

*Ignis verò & reperit omnes, & conſeruat artes. itaque etiam Vulcanum principem ac ducem artium faciunt.*

*Dixit Ariſto, temporis nobis ad vitam dati exigui ſomnum quaſi vectigalis exactorem dimidiam auferre partem.*

# Ex Plutarchi libello, qui inſcribitur, Capitulorum deſcriptio: hoc eſt, quæſtionum Solutio, ſiue problematum.

## *Quæſtiones Romanæ.*

Oſculi mos.

*QVare mulieres oſculo ſalutant cognatos ſuos? An id conſentiendum eſt, quod pleriſque probatur? Interdictum vſu vini mulieribus fuiſſe: ac proinde ne latere poſſet ſi qua vinum bibiſſet, ſed à familiaribus inter congreſſum deprehenderetur, oſculandi morẽ fuiſſe inſtitutum.*

Nuptiæ cum propinquis.

*Serò conceſſum fuit, vt ducere conſobrinas liceret: idquè tali de cauſa. Vir quidem, pecuniæ indigens, aliàs honeſtus, & gratia populari minime inferior, conſobrinam habere putabatur vxoris loco, ad quam hereditate dos magna peruenerat, eáque ratione diues ipſa eſſe, cui cum eſſet eo nomine dies dicta, populus omiſſa cauſæ cognitione eum abſoluit decretóque facto nuptias conſobrinarum permiſit publicè, coniugio autem ſuperiorum graduum interdixit.*



Donationes cõiugum.

Mulieres.

Mulieribus maximè corrũpũtur.

*Cur donationes inter maritum & vxorẽ prohibitæ ſunt? An quia muneribus capiundis, maximè corrumpuntur mulieres vt alienos admittant viros, grauitatem iis conciliare conſuerunt, quòd ſuos nihil dantes diligerent? An hæc verior ratio, quòd mariti & vxoris omnia debent eſſe communia.*

Quare viri rure redeuntes nuncium præmittunt.

*Quamobrem rure aut peregrè domum redeuntes mariti, præmittunt qui adeſſe ipſos ſignificet? An quia hoc probati vxoris ſuæ confidentis viri (nam ex improuiſo et ſubito superuenire, ſpeciem inſidiarum & infenſæ obſeruationis habet) ideo dant operam vt deſiderantibus ſe atque expectantibus vxoribus lætum ſui aduentus nuncium offerant? Aut potius quod ipſi reſcire cupiunt, ſaluáſne & deſiderio ſui affectas vxores domi ſint offenſuri?*

*Cur deos velato capite adorant, cùm alioquin hominibus obuiam facti venerandis, caput, ſi fortè eo tecto incedunt, detegant? hoc enim eſt, quod quæſtionem videtur facere difficiliorem. Narrant Aeneam cùm rem ſacram faceret, Diomede prætereunte caput velaſſe, itaque ſacrificium abſoluiſſe. Hoc ſi verũ ſit, non eſt alienum à ratione, ſed cõſentaneũ, vt quemadmodũ aduerſus hoſtẽ caput*

tegimus, ita amicis & præſtantibus hominibus obuiam dati idem nudemus, & quod deos velato capite venerantur, non proprium id eſt, ſed fit per accidens, facto iſto Æneæ in conſuetudinem tracto.

Veritas temporis filia.

Cur verò Cronum hunc veritatis patrem faciunt? Siue quòd tempus eſt Cronus, vt nõnulli philoſophorum interpretantur, veritatẽ autem eruit tempus. Siue quòd ſeculum Saturni cùm fabulæ ferant iuſtiſsimum fuiſſe, probabile eſt plurimum fuiſſe vſum veritate.

Cur Ianum bifrontem fuiſſe credunt, taléinque fingunt & pingunt? Num quia genere Græcus ex Perrhæbia fuit, ac profectus in Italiam, ſedibus apud Barbaros poſitis linguam vitaq; rationem mutauit? hoc enim narratur.

Omnino autem tempus quidam eſt numerus, numeri autem principium Vnitas, ſacra habetur, binarius, qui eam excipit, principio opponitur, vt parium primus. Par autẽ numerus imperfectus eſt & mancus atque infinitus: ſicut contra impar definitus, atque perfectus. Ideo Nonæ quinto Kalendas, Idus nono die Nonas ſubſequũtur, imparibus enim principia definiuntur.

Cur in luctu mulieres albas gerunt veſtes, albáſque vittas? An id faciunt exemplo magnorum, qui aduerſus Plutonem &



tenebras lucido & illuſtri amictu ſe muniunt? Aut ſicut defuncti cadauer albo inuoluunt tegmine, ita etiam amictos volunt eſſe neceſſarios? Corpus autem hoc modo ornant, quia animam non poſſunt, quam volunt puram illuſtrémque proſequi, vt peracto difficili ac vario certamine iam dimiſſam.

Inuerecundia.

Vbi enim inuerecundè agunt ſenes (inquit Plato) ibi neceſſe eſt adoleſcentes fieri impudentiſsimos.

Nomiſma priſcum.

Cur antiquum nomiſma ab vna parte Iani bifrontis imaginem, ab altera nauis aut puppim aut proram inſculptam habet? An, quæ vulgata eſt opinio, in honorem fit Saturni, nauigio in Italiam aduecti? Aut hoc ei cum multis aliis eſt commune, nam Ianus quoque, Euander, & Æneas mari in Italiam appulerunt. Id profectò probabilius eſt, cùm vrbibus alia bono ſint, alia neceſſitatibus inſeruiant: ac bonorum maximum ſit bona legum conſtitutio, neceſſariarum autẽ rerum, copia: quando quidem Ianus eis vitæ rationem tradidit ordinatam moribus ad manſuetudinem redactis: abundantiam autem rerum neceſſariarum præbet fluuius, eas partim à mari, partim ex agris conuehens: ideò nomiſma monimentum legum latoris quidem habuit caput bifrons ob mutationem, vt docuimus, factam, fluuij autem

*nauigium. Alio etiam vſi ſunt nomiſmate, cui bos erat inſculptus, & ouis, & ſus, quod re maxime pecuaria ſe alerent, indéque opes pararent. Huic & nomina apud veteres multa ſunt deducta, vt Suilliorum, vt Bubulcorum, vt Porciorum: autor Feneſtella.*

Vnde pecuniæ copia.

*Ex vbertate autem frugum & venditione pecuniæ naſcitur copia, itáque Saturnum autorem cuſtodémque eius faciunt. Huic ſententiæ teſtimonio eſſe id poteſt, quod coitus in forum, qui nono quoque die celebrantur (Nūdinas vocant) Saturno ſunt conſecrati, frugū quippe abundantia venditioni & emptioni præbuit initium.*

Nūdinæ vnde.

*Eſt autem exſecratio triſtis res & mali ominis: quæ cauſa eſt, vt dira imprecari aliis per leges ſacerdotes non poſſint. Et ſanè laudi datum eſt Athenis ſacerdoti, quæ populo iubente Alcibiadem deuouere noluit, votorum ſe, non deteſtandi cauſa antiſtitem eſſe inquiens.*

*Cur veneralibus multum vini effunditur è templo veneris? An verū eſt quod plurimi narrant: Mezantium Etruſcorum imperatorem ÆNeæ per internuncios pacem ea cōditione obtuliſſe, vt ſibi is annuum vinum daret: & abnuente ÆNea, ſuis id vinum promiſiſſe ſi prælio victor diſceſſiſſet: ÆNeā*



*cognita eius pollicitatione, diis vinum id conſecraſſe, partáque victoria vinum è congeſtis vuis factum ante fanum Veneris effudiſſe. An hoc ſigno monebant feſtos dies ſobriè, non per ebrietatem debere agitari: quod dij magis delectantur nimium merum effundentibus quàm bibentibus.*

Sobrietas.

*Cur qui magiſtratum petebant, mos erat vt hoc abſque togis in induſio facerent? Sic enim Cato tradit. An ne argentum in ſinu geſtantes ſuffragia redimerent? Aut potiùs quod magiſtratu dignos non generis nobilitate, opibus, aut fama ſed vulneribus & cicatricibus cum indicarent, vt conſpicua hæc eſſent, abſque toga comitia obibāt? Aut quēadmodum præfando, orando, & ſeſe ſubmittendo, ita meditate quoque corporis humiliter gratiam populi captabant?*

Mos petendi magiſtratū.

*Itaque etiam antiquitus vxorem repudiare non licuit, ac ne nunc quidem licet, niſi quod hoc permiſit eius rei gratia interpellatus noſtra ætate Domitianus: aderant autem diſcidio matrimonii ſacerdotes, terribilia multa & inuſitata atque triſtia agentes.*

*Cur Manæ Genetæ canem immolabant, votóque petunt ne qui domi natorum bonus fiat? An quod hæc dea ortui ac partui præeſt interitui obnoxiorū ac fluxorū corporū? Aut quoniam venuſtè boni dicuntur, qui mortem*

*cum vita commutauerunt, hoc voto obliquè precantur ne quis domeſticorum moriatur? Atque hoc alienum putare nemo debet nam in fœdere Arcadum cum Spartanis facto ſcriptum eſſe Ariſtoteles teſtatur, neminem Tegeatarum debere bonū redigi (id eſt interfici) ſi auxilij cauſa rebus Lacedæmoniorum ſtudeat.*

Macellū vnde.

*Cur locus vbi publicè carnes venduntur, macellum dicitur? An conſuetudo vt multa alia, ita hoc quoque vocabulum à magiris (qui Græca lingua ſunt coci) deprauatum retinuit? ſunt enim C & G cognatæ litteræ, & G littera ſerò vti cœperunt à Sp. Carbilio adiecta reliquis: & qui blæſi ſunt lingua ob hebetudinē aberrante à R littera ad L delabuntur. Aut hiſtoria rem explicabit: ferunt enim Romæ latronem truculentum fuiſſe, nomine Macellum, qui multis deuerberatis vix tandem captus, ſuppliciòque affectus, & ex pecunia eius locus carnibus publicè vendendis ædificatus fuerit, nomen ab ipſo habens.*

Carmenta vnde dicta.

*Ea Carmenta nimirum Euandri mater fuit, nomine ſuo Themis, aut, vt alii volunt, Nicoſtrata quæ cum in Italiam veniſſet, oraculáque verſibus illigata caneret, à Latinis Carmenta dicta eſt, voce à carmine deducta.*

*Cur ſenatorum alios patres conſcriptos,*



*alios ſimpliciter patres vocant? An patres & patricij vocantur qui initio à Romulo ſunt lecti, qui poſſent ſuos patres ciere: qui verò poſt modò è plebeijs adſcripti ſunt, patres conſcripti dicuntur?*

*Cur communis fuit ara Herculis & Muſarum? An quia Euandrum litteras docuit Hercules, vt Iuba narrat: réſque ea videtur perhoneſta, cum litteras Priſci amicis ac cognatis traderent, Serò cœptum eſt mercede doceri, primúſque ludum litterarium aperuit Sp. Carbilius, Carbilij libertus, eius qui primus vxorem dimiſit.*

Ludus litterarius.

*Cur menſa cùm tolleretur, ſemper omnino aliquid ſuper ea volebant Romani relinqui? An hac ambage ſignificabant ſemper ex partis aliquid in futurum reſeruandum, & in præſenti die ſubſecuturæ aliquam habendam rationem? Aut erga famulos aliquid humanitatis habet mos iſte, qui ſic quodammodo videntur à dominis ad ſocietatem menſæ admitti? non enim tantum delectantur accipiendo, quantum participando. Aut rerum ſacrarum nulla vnquam debet inanis relinqui? eſt autem menſa ſacra.*

Habēda ratio futuri.

*Cur qui faſces gerunt, lictores dicuntur? An quia Romulum ſequebantur lora in ſinubus gerentes, quibus vincirent ſontes? vulgus enim Romanum alligare, qui puriùs lo-*

Lictores vnde.

*quuntur, ligare vſurpant pro vincire? An hodie littera* C *vocabulo intercalata vſurpatur, antiquitus autē litores, quaſi liturgi, id eſt qui publica miniſteria exequerentur, dicti ſunt?*

*Cur furti, aut alius ſeruilis delicti damnatos furciferos dicunt? Nonne hoc quoque vetuſtæ accurationis argumentum eſt? Qui enim ſerui ſui nequitioſum factum comperiſſet, coēgit eum duplex lignum, quod curribus ſubijci ſolet, (furcam Romani appellant) per viciniā circūgeſtare in conſpectu hominum vt ab eo porrò ſibi cauendum eſſe ſcirent. Itaque à furcæ geſtatione dicebatur furcifer.*

Furcifer vnde.

*Cur ad cornua boum cornipetarum fœnum alligabant, quo obuij monebantur vt ſibi cauerent? An quia ob ſatietatem luxuriant petulantéſque ſunt boues, Equi, aſini, & homines? ſicut Alicubi ait Sophocles:*

At tu ferocis pullus vt paſtus nimis,
Buccis & ventre plenis.---

*Ideoque M. Craſſum fœnum in cornu habere dicebant Romani: & qui alios in Repub. ſolebant exagitare, ab illo ſibi cauebant, & præteribant hominem paratum ad vlciſcendum & oppugnatu difficilem. Quāquam poſtmodò dictum fuit Cæſarem Craſſo fœnum ademiſſe, cùm is primus in Repub. eum contempſiſſet, ſeq; ei oppoſuiſſet.*

Fœnum in cornu habere.



*Cur Quirinalia feſtum ſtultorum appellant? An quòd dies iſte his erat deſtinatus, vt Iuba ſcribit, qui ſuam curiam ignorabant. Aut quòd qui fornacalibus feriis ob occupationes, peregrinationem, vel ignorationem non ſacrificaſſent in ſua tribu, ijs permiſſæ fuerunt iſtæ feriæ harum loco ob eundē.*

Quirinalia ſtultorum feſtum.

*Cur veſtales virgines ſi pudiciciam prodiderunt, non alio afficiunt ſupplicio, quàm quòd viuas defodiunt? An quia mortuos cremant: cremare autem eam, quæ ignem ſacrum non cuſtodiuerit piè, iniuſtum eſſet? Aut quia corpus ſummis conſecratum ceremoniis interficere, & manus adferre ſacræ mulieri, nefas cenſentes, ipſam vltrò mori volentes infra terram demiſerunt, in exſtructum ad hoc domicilium, vbi & lucerna ponebatur ardens, & panis, atque lactis, & aquæ nonnihil, deinde terra ſupernè ingeſta occultabatur locus? Ac ne hoc quidem modo defunctos ſe religione putabant, ſed hodieq; mos obtinet, vt ad illum locum ſacerdotes accedentes parentent.*

Veſtaliū impudicarum pœna.

*Cur pueris nono, puellis octauo die nomen imponitur? Aut quia omnium numerorum nouem primus eſt quadratus, natus ex ternario qui eſt impar & perfectus: octo autem primus cubus natus è binario pari? oportet autem marem quadratum eſſe, & agilem, &*

De nominum impoſitione.

*perfectum: feminam cubi inſtar ſtabilem, domi affixam, & non facilè mobilem.* Hoc *addendum. Sicut nouem quadratus eſt ternarij: octo cubus binarii: ita mares tribus, feminas duobus vti nominibus.*

*Cur Baccho* Liberi *patris nomen impoſuerunt? An quòd bibentibus libertatem ingenerat? plerique etiam per ebrietatem feroces liberique nimium ſunt. Aut quia liba exibuit?*

Cognatæ non ducẽdæ.

*Cur cognatos non ducunt vxores? Aut vt coniugiis augeant neceſsitudines, multóſque ſibi parent cognatos aliis dando, ab aliis accipiendo mulieres? Aut videntes mulieribus ob imbecillitatem opus eſſe multis defenſoribus, noluerunt cognatas ducere, vt ipſis auxilio eſſe poſſent ſi à maritis iniuria afficerentur?*

Nuptiæ.

*Cur publicis feriis mos non eſt nubere virgines, nubunt tamen viduæ? An cauſa eſt quam adfert Varo? virgines nubere inuitas & triſtes, mulieres autem cum lætitia: feſto autem die nihil cum moleſtia, omnia lubenti animo ſunt agenda.*



## Ex libello Plutarchi qui inſcribitur, Quæſtiones Græcæ.

Adulteræ pœna.

*QVæ eſt apud Cumæos Onobatis? nomẽ hoc à conſcenſo aſino eſt factum. Deprehenſam in adulterio mulierem in forum producebant, & in lapide omnibus conſpicuo ſiſtebant, deinde aſino impoſitam circa vrbẽ circunducebant, poſtea rurſum in eodem lapidè adſtare coacta, infamis per totam habebatur vitam, & vocabatur Onobatis, lapidem autem ob eam rem vt pollutum abominabantur.*

Prouerbium: iſthęc rata eſto.

*Vnde tractum eſt prouerbium, Iſthæc rata eſto? Dinon Tarentinorum dux, vir bello præclarus, cum ciues quandam ipſius ſententiam manuum (vt fit) elatione improbaſſent, ac præco ſententiam quæ viciſſet proclamaret: ipſe manum ſurſum intendens, Hæc verò (aiebat, ſuam ſententiam innuens) melior eſt: Sic narrauit Theophraſtus. Apollodorus in Rhytino addit, cùm præco dixiſſet: Hæc ſuffragia habet plura, ſubieciſſe: Hæc autem meliora: & pauciorum ſententiam iuſſiſſe ratam eſſe.*

Vincat melior pars maiorem.

Prouerbium de Sambico.

*Quæ cauſa eſt prouerbij apud Eleos vſitati Atrociora quàm Sambicus pateris? Sambicus quidam Eleus cùm haberet multos ſub ſe miniſtros, multa (vt fertur) donaria ænea Olympiæ poſita accidit atque vendidit: tandémque Dianæ etiam Epiſcopi (hoc eſt inſpectricis) cognominatæ fanum, quod Elidæ eſt, & Ariſtarcheum dicitur, compilauit. A quo ſacrilegio captus ſtatim, per integrum annum tormenta perpeſſus eſt, quæſtione ex ipſo de ſceleris ſocijs habenda, itaque mortuus, adagio locum ſuis miſerijs fecit.*

## Ex commentario Plutarchi qui inſcribitur, Cur oracula edi deſierint.

Ignis natura.

*IAm enim audiui qui de igne dicerent, hyeme eum meliùs ardere pluſq; habere viriū, frigore in ſeſe coactum ac ſtipatum: in æſtu autem raritate contracta imbecillum reddi atque languidum: & ſub Sole accenſum remiſſiùs agere, materiámque molliter inuadere ac tardiùs conſumere.*

*Alij vt corporū ita etiam animarū mutationē ſtatuūt, ſicut enim ex terra aqua, ex hac aër, ex aëre ignis fieri cernitur, ſurſum*



*ſe efferente natura: ſic meliores animas ex humanis in heroicas ex heroibus in genios mutari: è genijs quaſdam paucas longo tempore virtutis ope prorſus purgatas diuinæ naturæ participes reddi: aliis vſu venire & ſuimet ipſarū impotes rurſum demittant ſe, inq; humana corpora denuò illapſæ, fulgoris expertem obſcurámque nanciſcantur vitam.*

*Ipſa verò natura ſenſiles imagines, ac viſibilia nobis propoſuit ſimulacra. deorū quidem, Solē & aſtra, mortaliū autē ſubitos fulgores, cometas, ignes in ſublimi traijcientes.*

*Cæterum Lunam cōdidit, corpus mixtum, ac dæmonum ſimulacrum, quæ cum geniorum mutationibus conuenit ob vices incrementorū & decrementorum. quod obſeruantes, alij eam terreum aſtrum, alij cæleſtem terram, alij terreſtris iuxtà ac cæleſtis ſortem Hecates nominauerunt.*

Deū ſacrificiū non negligere.

*Nos autem neq; his aures præbere debemus, qui vaticinium aliquod, aut ſacrificium, aut orgia negligi à deo dicunt, neq; rurſum deum in his obſeruari, adeſſe, & in agendo occupari opinemur: ſed adſcribentes iſta deorum quibus par eſt adminiſtris, veluti famulis ac ſcribis, ſtatuamus genios eſſe, qui ſacra deûm & orgia inſpiciant atque obeant: tum alios circumire, vindices ſuperborū atq; immaniū ſcelerum.*

*Vt enim inter homines, ita etiam inter ge-*

nios gradus ſunt & diſcrimina virtutis, & naturæ perturbationibus obnoxiæ ac brutæ, aliis reliquiæ languidæ & obſcuræ, tanquam excrementum quoddam adſunt, aliis copioſæ & deletu difficiles: quarum veſtigia atque notæ multiplices in ſacrificiis, imitationibus, & fabuloſis narrationibus diſperſæ conſeruantur.

Et quod olim homines immolati fuerunt, probabile eſt neque DEOS popoſciſſe aut admiſiſſe talia ſacrificia: neque reges tamen atque duces fruſtra ſuſtinuiſſe dare pro hoſtia prolem ſuam, & ſacra ipſos fuiſſe auſpicatos hoſtiámque iugulaſſe: ſed feciſſe hoc vt iras & indignationes malignorum moroſorúmque auerruncarent geniorum.

Quæ enim re genii à diis different, ſi & natura interitui non obnoxia, & quod ad virtutem attinet perturbationum erroriſque expertes ſunt?

Lucerna moleſta eſt dũ extĩguitur.

Sicut enim lucerna, dum accenditur, nihil ſecum mali trahit: cum extinguitur, moleſtiã multis adfert.

Deũ vnũ tantum eúmque æternũ.

Et verò nouimus Stoicos non modò de geniis in eadem nobiſcum ſententia eſſe, ſed etiã de diis, quorum tantum ſtatuunt numerum, vnum duntaxat æternum interitúſque expertem, reliquos & natos & obituros cẽſerẽ.

Verùm quando in medium propoſita eſt

certa



cratera fabularum ſermonibus permixtarum, neque temerè in æquiores auditores incidere liceat, vbi hæ narrationes veluti peregrinum nomiſma examinari poßint: non grauatè vobis barbari hominis narrationem largiar, quẽ hominẽ multis ipſe erroribus, indiciíque mercede ampla perſoluta, apud rubrum mare ſemel quotannis hominum congreſſui ſe exhibentem, reliquum tempus (vt ipſe aiebat) cum vagis Nymphis & geniis degentem, ægrè demum inueni, ab eóque comiter ad colloquium ſum admiſſus. Formoſißimus iſte hominum, quos ego quidem viderim, erat, & ab omni perpetuum morbo ſecurus viuebat, ſingulis menſibus ſemel fructu herbæ cuiuſdam medicato & amaro veſcens, multis vtebatur linguis, mecum autem Doricè maximam partem locutus eſt, ſermone nõ multum à carmine ac cantu differente, loquente autem ipſo ſuauis odor locum obtinebat, ore ipſius ſuauißimè fragrante. Is cum totum tempus in cognitione ac conſiderratione rerum conſumeret, vno die quotannis afflatu ad vaticinandum agebatur, & ad mare ſe conferens futura prædicebat: accedebant autem eò & principes & regum ſcribæ, eóque audito diſcedebant.

Homo ſine cibo viuens.

Plato autem nequaquam quinque in partes diuidendo vniuerſum, quinque mundos voluit appellari, quo enim loco pugnat aduer-

ſum eos, qui infinitos ponunt mundos, ſibi inquit videri vnicum à deo factum eſſe, eóque contentum deum, quòd ex vniuerſa corporea mole totus perfectus, nihilque extra ſe poſitum requirens exſtiterit.

Deinde magis conſentaneũ eſt diuinæ naturæ, non eſſe vnicum ac ſolitarium mundum. Deus enim perfectè bonus cùm ſit, nullius virtutis eſt expers, minimè omnium iuſtitiæ & amicitiæ quæ pulcherrimæ ſunt, deúmque apprimè decent. At hæc nihil fruſtra vt habeat aut quo non vtatur, dei fert natura. Sunt ergo extra alij dij aliique mundi, erga quos vtitur virtutibus iſtis ad communitatem pertinentibus, non enim erga ſe ijs vtitur, neque pars ipſius ſunt vſus iuſtitiæ, gratiæ, benignitatis ſed ad alios referuntur.

Præterea cùm neque homo vnicus, neque vnicus equus in natura rerum ſit, neque aſtrũ, neque genius: quid obſtat quin dicamus non vnicum, ſed plures numero mundos naturam complecti.

Cùm autem plures ſint mundi, vnicuique ſuum eſt medium, ac proinde peculiaris etiam cuius motus, alijs ad medium, aliis circa id, aliis ab eo: ſicut ipſi diſtinguunt.

Deus dominus & pater omnium.

Deinde quæ neceſſitas cogit multos eſſe Ioues, ſi plures ſint mundi, non ſingulis præeſſe principem Vniuerſi deum mente ac ratione



præditum, qualis eſt qui à nobis dominus omnium ac pater cognominatur.

Non enim odit mutationes diuina natura, ſed admodum iis delectatur, ſi licet hoc colligere ex ſyderum viciſſitudinibus conſpectui noſtro expoſitis.

Enimuerò infinitas omnino bruta eſt & importuna, neque deum admittit, fortuna & caſu omnibus in rebus vtitur. At in certa multitudine mundorum definitóque numero adminiſtratio ac prouidentia verſans, ei quæ in vnum aliquod corpus illapſa eiq; adfixa id infinities tranſmutat atque refingit, neque maieſtate cedit, neque eſt laborioſior.

Natura duplex.

Cùm conſtet duas eſſe naturas, vnam ſenſilem, ortui, interitui, mutationibúſque & motibus variis obnoxiam: alteram, quæ ſolo intellectu percepta ſemper eodem ſe habet modo.

Principia platonica.

Itaque Plato opponens ſe ijs qui vnum pronunciant eſſe vniuerſum, quinque ſtatuit principia, Ens, Idem, Diuerſum, Motum, Quietem, quæ cùm ſint non eſt mirum ſi corporeorum principiorum quoduis ſui aliquod exemplum imitando in natura impreſſum habet, non expers mixtionis aut ſincerũ, ſed vt ſingula ſingularum facultatum participent aliquid.

In nobis ipſis quinque inſunt ſenſus, totidem animæ partes, vitalis, ſentiens, appetẽs, iraſcẽs,

*ratiocinans, totidem in vtrauis manu digiti, & ſemen fœcundiſſimum quinquefariam diuiditur, non enim mulierem plures quinque fetus partu edidiſſe memoratur, multæ autem quinque vno enixæ partu ac Rhcam Ægyptij fabulantur quinque Deos peperiſſe, per inuolucrum innuentes ortum quinque mundorum ex vna materia.*

*Ipſo in vniuerſo terra quinque Zonis, cœlum quinque circulis diſtribuitur, polaribus duobus, totidem ſolſtitialibus, & medio horum equinoctiali.*

*Et in cantu quinque ſunt interualla, dieſis, ſemitonium, tonus ſeſquitonium, ditonus.*

Quinario natura gaudet.

*Ita magis videtur natura delectata fuiſſe rebus quinario conſtruendis, quàm globi ad formam redigendis, quod viſum fuit Ariſtoteli.*

Memoriæ vis.

*Quod ne miremur, aut fidem rei derogemus, videamus, ſi nullam aliam animi facultatem, ſaltem eam quæ ex aduerſo reſpondet diuinatrici, memoriam dico, quantum illa præſtat opus, quod præterita ſeruat ac retinet, aut potius ea quæ non ſunt. eorum enim quæ facta ſunt nihil eſt neque ſubſiſtit, ſed ſimul exiſtunt omnia & intereunt, ſiue facta ſiue verba, ſiue affectiones, tempore fluminis inſtar omnia proripiente, iſtà autem vis animi neſcio quo modo ea appræhendit, & non cùm ſunt, iis tamen ſpeciem ac ſubſtantiam circumponit.*



Spiritum tenuẽ reddit ſiccitas.

*Ad hæc non abs re dici poſſe videtur, ſiccitatem vnà cum calore animo ingeneratam, ſpiritũ reddere tenuem, æthereúmque cum & purum redigere. Hæc eſt enim illa Heracleti anima ſicca optima.*

Anima ſicca optima.

Auditum & viſum hebetat humiditas.

*Humiditas non viſum modò & auditum hebetat, ſed & ſpeculis incidens ſplendorem & aëri lucem adimit.*

*Oculus enim videndi facultate præditus nihil ſine luce agere poteſt, & animi vis diuinatrix, tanquam oculus, ſua quadam re indiget, à qua incendatur atque exacuatur.*

*Quare multi antiquiorum eſſe vnum eundémque* Deum *Apollinem & Solem putauerunt.*

*Ipſam proinde terram, vt Heſiodus meliùs quàm à nonnullis factum eſt philoſophis, re conſiderata appellauit.*

Immotam ſedem cunctorum:

*ita nos quoque ſempiternam interitúſque expertem ſtatuimus, facultatum autem eius aliquando defectus, aliquando ortus, nonnunquam aliò migrationes probabile eſt euenire, vniuerſiq; temporis circuitu tales conuerſiones in ea reuolui.*

Apollinẽ & Solem eundem deũ eſſe.

*Ipſe enim quoque in eã, quæ plerorunq; eſt, venit ſententiam,* Apollinem *non eſſe à* Sole *alium, ſed eundem cum eo Deum.*

Verſus Euripidis.

Tellus oportet, ſeu velit, ſeu non velit,
Gignendo gramine ſaginet meum pecus.

Viſus & auditus quomodo fiant.

*Sicut etiam haud dubiè Plato videre nos oculorum ſplendore cum Solis luce contemperamento, ictóque aëre audire dicens, non hoc negat, ratione & prouidentia nobis facultatem videndi atque audiendi obtigiſſe.*

*In vniuerſum enim, cùm (vt dixi) quiuis ortus duas habeat cauſas: antiquiſſimi theologi atque poëtæ ſoli præſtantiori animum aduertere dignati ſunt.*

*Non enim dei aut rationis expertem facimus diuinationem: dum ei pro ſubiecto animum humanum, ſpiritum autem ſeu vaporem enthuſiaſmos cientem inſtrumenti plectriue loco tribuimus.*

Hoſtiam omnino purã eſſe debere.

*Nam hoſtiam oportet & quod ad corpus, & quod ad animum attinet, puram eſſe, integram, atque incorruptam, de corporibus iudicium non eſt difficile.*

*Ergo quoties facultas imaginandi atque diuinandi, ad ſpiritus, tanquam medicamenti, temperamentum concinnè affecta eſt: neceſſe eſt vates inſtinctu diuino cieri.*



# Ex Plutarchi libello, qui inſcribitur, De ei inſcripto foribus templi Delphici.

Pauper diuiti donans.

*NVllam enim gratiam init, qui de exiguis opibus paruum aliquid multa poſſidenti dat: & cum fidem non facit ſe gratis dare, in maliciæ ſimul ac illiberalitatis venit ſuſpicionem.*

Ei inſcriptio Delphici tẽpli quid ſibi velit.

*Id cùm aliis multis rebus manifeſtum ſit, tum inſcriptionis Ei dedicatione. Conſentaneum enim eſt eam litteram nõ ſorte fortuna, neque ſorte inter litteras comparato ſolam à Deo principe in ſede collocatam, ac donarij ſacri & ſpectaculi conditione ornatam fuiſſe. ſed eos, qui primi de hoc deo philoſophati ſunt, aut Ei huius vim quandam peculiarem & inſignem perſpexiſſe, aut hac nota & teſſara ſeriæ alicuius rei vti voluiſſe.*

Sapientũ priſcorũ numer⁹.

*Dicunt enim ſapientes iſtos qui à nonnullis ſophiſtæ appellantur, numero fuiſſe quinque, Chilonem, Thaletem, Solonem, Biantem, Pittacum. Poſtquã verò Cleobulus Lindiorũ tyrannus & Periender Corinthius, quanquã*

*virtutis eſſent ſapientiæq; expertes, potentia, amicis, officiiſque vim famæ fecerunt, & ſe in nomen ſapientum ingeſſerunt, itidémque vt quinque illi ſententias quaſdam & dicta emiſerunt ac per Græciam ſparſerunt: ibi tum quinque iſtos, qui moleſtè hoc ferret, arrogantiam quidem horum refellendum, aut de gloria palàm inimicitias ſuſcipiendum, & contendendum cum præpotentibus viris non cenſuiſſe: ipſos autem huc conueniſſe, intérque ſe collocutos, litterā eam quæ in ordine eſt quinta, & quinque numerum deſignat, dedicauiſſe, coram deo proteſtatos ſe quinque numero eſſe, ac ſextum & ſeptimū vt nihil ad ſe pertinentes repudiaſſe & abdicaſſe.*

*Ei enim aureum illi* Liuiæ *Auguſtæ nominant, æreum Athenienſium, ligneum autem, antiquiſſimum ac primum omnium, hodiéque ſapientum appellant, non ab vno, ſed communiter ab omnibus dedicatum.*

*Eſt enim, vt Delphi opinantur, & Nicander ſacerdos omnium nomine dixit, quaſi vehiculum & forma ſermonis quo deum cōpellant homines, ſyllaba Ei, quod latinè, Si, dixeris, principémque locum obtinet in interrogationibus: dum conſultores identidem quærunt ac ſcitantur, Si victoria ſunt potituri, Si ducenda vxor, Si expediat nauigare, Si agriculturam exercere, Si peregrinari.*



*Quoniam autem nobis proprium eſt interrogare vatem, commune autem inuocare vt* Deum *exiſtimant litteram illam Ei, ſiue Si, non minus optandi quàm interrogandi ſignificationem habere.* Ei nō minus optā di quàm interrogādi vim obtinere.

*In dialectica autem maximam vim habet coniunctio Si, eam componens enunciationem, quæ omnium maximè humanæ rationi congruit.*

*Quid ni enim? cum etiam bruta rerum ſubſtantiæ habeant noticiam: conſiderationem autem & iudicium conſequentiæ ſoli homini natura dederit.* Solū hominē conſiderare.

*Eſſe enim diem, eſſe lucem, ſentiunt nimirū & lupi, & canes, & aues, quod autem Si lux eſt, dies ſit, nullum excepto homine animal intelligit, ſolus enim homo antecedentis & conſequentis & ſignificationis horum atque connexionis, mutuique reſpectus & diſcriminis notionem percipit, ex qua demonſtrationum principium petitur præcipuum.*

*Quoniam autem philoſophia verſatur circa veritatem, lux veritatis eſt demonſtratio, huius principium eſt connexa oratio, conuenienter ea particula, quæ vim habet hanc conficiendi & continendi, à ſapientibus hominibus ei Deo conſecrata fuit, qui maximè diligit veritatem.* Veritatis lux demōſtratio.

*Artificioſa enim, vt dixi, res eſt, & ab hu-*

mana proficiſcitur ratione cognitio conſequentiæ, aſſumptionē autē ſenſus rationi præbet.

Itaq; etſi turpe videtur, tamen non verebor dicere, tripodem nihil eſſe aliud quàm rationē veritatis: quæ poſita eius quod eſt ad antecedens conſecutione, deinde aſſumens rem extantem, concluſionem demonſtrationis infert.

Numeri diuiſio.

Cum enim numerus parem & imparem diuidatur, vnitas facultate vtrique generi eſt communis: vt quæ pari addita imparem, impari adiecta parem conficiat numerum: principium autem paris numeri duo, ternio imparis ſtatuitur. Quinarius ex his duobus compoſitis conflatus, meritò in honore eſt, vtpote primus ex primis confectus, nominatúrque Matrimonium, ob paris cum fœmina, imparis cū mare ſimilitudinem.

Quinarij vis & præſtantia.

Multa id genus alia ego præteriens, Platonē producam, qui aut vnum mundum eſſe affirmauit, aut ſi præter eū alij ſint, omnino quinq; numero eſſe mundos, non plures.

Vnicus mundus ex quinq; cōpoſit⁹.

Enimuero etſi vnicus mundus hic eſt, quod & Ariſtoteles ſenſit: tamen is quodammodo ex quinque cōpoſitus eſt & concinnatus mundis: nimirum mundo terræ, aquæ, aëris, ignis, & cœli, quem quintam ſubſtantiam ille, alij lucem, alij ætherem nominant: cui ſoli omnium corporum non neceſſitate, non accidentis ratione, ſed à natura datum eſt, vt circulo rotetur.



Neque deſunt, qui ſenſuum facultates numero itidem æquales, primis illis applicent corporibus, videntes tactum eſſe terreſtre quippiā & reſiſtens, guſtatum ob humiditatē ſapidorū qualitates percipere, aër porrò ictus, vox fit & ſonus, de reliquis duobus odor, quem olfactus arripit, igneæ eſt naturæ, cùm ſit exhalatio à calore elicita, viſus fulgore æther & lux res cognatæ contemperantur, ſenſúmque concordi motu percellunt.

Senſuum quinque qualitates.

Præterea concinnitas & facultas quinarij plus viriū nacta, non ſinit in infinitū progredi animatorum naturam, ſed animaliū quinque definiuit genera: Deos ſcilicet, genios, heroës, homines, bruta.

Animaliū genera quinque.

Iam ſi animā ipſam ita vt natura eius fert partiare, prima eius & obſcuriſſima vis eſt vegetandi, proxima ſentiendi, poſt hanc appetendi, deinde iraſcendi: in ratiocinandi facultate quinta, tanquam in extremo perfectionē adſecuta ſubſtitit natura.

Atqui, inquam, noſti eundem Platonem in Sophiſta quinque potiſſima demonſtrare principia, Ens, Idem, Diuerſum, Motum, Statum. Et in Philebo alia inſtituta diuiſione, Vnum ait eſſe Infinitum, alterum Extremum, his mixtis omnem exſiſtere Ortum, quartum ponit Cauſam eius

*mixtionis: & quintum nobis cogitandum reliquit, Cauſam ſecretionis & diſsipationis mixtorum Exiſtimo autem hæc illorum quaſi imagines proponi, Entis id quod ſit, Motionis infinitum, Status extremum, Eiuſdem miſcendi, Diuerſi ſecernendi principium.*

Boni diſtributio.

*Enimuero bonum quoque perſpiciens in quinque tributum genera, quorum primum eſt, Mediocre, ſecundum Proportione menſura concinnum, tertium Mens, quartum in animo Scientiæ, artes veræq; opiniones, quintum voluptates puræ & à dolore ſecretæ.*

*Re vera enim eſſentiæ nos nequaquam ſumus participes: ſed vniuerſa mortalis natura in medio ortus & interitus verſans, ſpeciem opinionémque obſcuram & inſtabilem ſui præbet.*

Neminē bis in eūdē fluuiū deſcēdere poſſe.

*Heracleti eſt, non poſſe quenquam bis in eundem fluuium deſcendere. Subſtantiam quoque caducam bis in eodem ſtatu nemo attinget: ſed celeritas mutationum eam diſsipat mox, ſtatim colligit rurſum immò non iterū, non poſt modò tangere licet, ſed ſimul & exſiſtit & interit, ſimul accedit atque recedit.*

*Non enim tantùm vt Heracletus dicebat, Ignis mors aëri eſt ortus, & aëris mors aquæ ortus, ſed multò hoc euidentius in ipſis hominibus animaduertas.*

*Etenim ſi iidem perduraremus, quomodo*



*nūc aliis gauderemus rebus, gauiſi antè diuerſis contraria diligeremus, odio haberemus, miraremur, vituperaremus: aliter loqueremur, afficeremur, non formam, non figuram, non ſenſum priſtinum retinentes?*

*Quid ergo re vera eſt, quod ſit? id quod ſempiternum eſt ortus & interitus exſors, cui nullus à tempore motus infertur.*

Verum Ens.

*Deus autem, ſi ita dicendum ſit, Eſt, & eſt nulla ratione temporis, ſed æternitatis immobilis, tempore & inclinatione carentis: in qua nihil prius eſt, nihil poſterius nihil futurum, nihil præteritum, nihil antiquius, nihil recentius, ſed vna cum ſit, vnico Nunc ſempiternam implet durationem, & huius ratione quod eſſe dicitur, verè eſt, non futurum, non præteritum, neque orſum, neque deſiturum. Sic itaque deus nobis eſt venerationis ſtudio ſalutandus atque compellandus.*

*Niſi mauis veterum quorundam formulam, Ei.* HEN, *vnum es. Non enim multa ſunt numina, ſed vnum.*

# Ex libello Plutarchi de placitis Philoſophorum, hoc eſt, breuis recenſionis ſententiarum de rebus naturalibus.

## LIBER I.

Philoſophiæ diuiſiones.

*STOici pronunciarunt, ſapientiã eſſe rerum diuinarum humanarũmque ſcientiam philoſophiã, quod eſt ſupientiæ ſtudium, excercitationem eſſe artis ad ſapientiam accommodatæ, talem autem eſſe artem vnicam ac ſupremam, virtutem, virtutes, quæ ſuo complexu latiſsime pateant, tres eſſe: naturalem, moralem, diſſerendi: itaque philoſophiam etiam habere tres partes, naturalem, moralem, & deſſerendi.*

Vir perfectus.

*Virum perfectum neceſſe eſt & cognitione rerum inſtructum eſſe, & aptum ad faciendũ in actionibus humanis officium.*

*Eſt itaque natura, ſi Ariſtotelem audimus, principium motus ac ſtatus ei rei, in qua*



*ineſt primò, & non per accidens.*

Res naturales.

*Omnia enim quæ ſub conſpectum veniunt noſtrum, quæ neque fortuitò fiunt, neque neceſſariò, neque diuina ſunt aut diuinitùs effecta, naturales res dicuntur, ſuámque habent propriam naturam: vt terra, ignis, aqua, aër, ſtirpes, animalia, præterea hæc quæ gigni cernimus, imbres, grandines, fulmina, procellæ, venti.*

Principia vnde dicantur.

*Elementum enim omne compoſitum eſt: principia neque compoſita ſunt neque effectæ, verbi gratia elementa vocamus terram, aquã, aërem, ignem. Principia ideò dicuntur, quod nihil eſt eis prius ex quo naſcantur, non enim principij ei nomen debetur, quod natum eſt aliunde: ſed huic potiùs, ex quo id eſt natum.*

Infinitũ quid ſit.

*Infinitum enim nihil aliud eſt, quàm materia: quæ niſi efficiẽs cauſa accedat, rem creare nullam poteſt.*

Scientia.

*Omnis enim demonſtratio, omnis ratiocinatio quæ ſcientiæ fidem parat, adeóque omnis in vniuerſum ratiocinatio, ex quibuſdam in confeſſo poſitis id de quo diſeptabatur concludit, aliúdque è præmiſsis colligit quorũ aprahenſio cum ſit ſcientia, eam binario æquum eſt comparari.*

Principia Socratica.

*Socrates Sophroniſci filius Athenienſis, & Plato Ariſtonis fil. ciuis eius, (ambo enim idem de vniuerſo ſenſerunt) tria ſtatuũt prin-*

*cipia, Deum, materiam, ideam.*

*Mens eſt, quod deum nominant, materia primum rebus orientibus & intereuntibus ſubiectum: idea natura corporis expers, in conceptis mentis & imaginationibus dei.* Deus *autem mens eſt mundi.*

Principia & elemēta Ariſtotelica.

*Ariſtoteles Nicomachi fil. domo Stagirita, principia deſignauit, formam, quam entelechiam dixit, Materiam, Priuationem. Elementa quatuor quintū corpus quoddam æthereum immutabile.*

*Notionem dei ſuggeßit primum conſpectu eorum quæ in mundo inſunt pulchritudo, nihil enim pulchri temerè & fortuitò naſcitur, ſed ab arte aliqua efficitur.*

Cælū pater, terra rerū mater.

*Itaque pro patre cœlum, pro matre terram acceperunt, patrem illum, quòd aquam inſtar ſeminis effunderet, matrem hanc quòd conciperet & pareret.*

*Communis ambobus Anaxagoræ & Platoni hic eſt error, quòd deum faciunt res humanas curantem & iiſdem implicatum, ac ea de cauſa mundum adornantem. Beatum enim interitúſque expers animal, omnibúſque bonis perfectè cumulatum, neque vllius capax mali, totum in ſua beatitate atque perpetuitate occupatum, non conuertit ſe ad curam rerū humanarum, miſer quippe fuerit deus, ſi opificis aut fabri in morem onera ſubeat, ſollicitúſque*



*túſque ſit de mundo apparendo.*

Quatuor naturæ.

*Idem Epicurus alias quatuor naturas prodidit interitus expertes: atomos, inane, infinitum, partes ſimilares: quæ etiam elementa vocat.*

*Materia eſt primum ortus interitúſque ſubiectum aliarúmque mutationum.*

*Idea ſubſtantia eſt corporis expers quæ cum per ſeſe ipſa ſubſiſtit, tum formæ expertem materiam informat iiſque rebus cauſam præbet vt exſiſtant ac monſtrari poßint.*

Cauſa triplex.

Cauſa præcipua.

*Cauſa eſt, cuius effectus eſt, aut à qua aliquid proficiſcitur. Plato triplicem facit cauſam, Efficientem, Materiam, finem. Principatum tamen efficienti defert, quæ eſt mens.*

*Corpus eſt, quod habet tres dimenſiones, latitudinem, profunditatem, longitudinem, aut moles ſenſui per ſe renitens. aut quod locum occupat.*

*Ariſtotelis ſententia, terram ſimpliciter eſſe grauißimum elementum, ignem leuißimum: aërem & aquam alias aliter habere. Stoici duo de quatuor elementis leuia eſſe, aërē & ignem: duo grauia, aquam & terram.*

*Stoici cenſuerunt nullum intra mundum eſſe inane, ſed extra mundum eſſe. Ariſtoteles tantum eſſe inane extra mundum, vt reſpirare poßit cœlum: eſſe enim hoc igneum.*

*Plato id locum vocauit, quod in ſe admit-*

*teret formas, translatione utens in materiã notanda quæ quaſi nutrix ſit atque receptaculum.*

Neceſsitas.

*Parmenides & Democritus, omnia fieri ex neceßitate, eandémque eſſe fatum, Iuſtitiã, Prouidentiam, mundi effectricem.*

Fatum.

*Heracletus omnia fato fieri dixit: ídque idem eſſe cum neceßitate. Plato inſerit quidẽ fatum humanæ vitæ atque actionibus: addit tamen cauſas à nobis profectas.*

## Ex libello Plutarchi, de placitis philoſophorum, hoc eſt, breuis recenſionis de natura rerum.

### LIBER II.

*Pythagoras & Plato mundum à Deo factum arbitrati ſunt, & quod ad naturã attinet, obnoxium interitui, quia corporeus, ideóque ſenſibus expoſitus ſit: non autem periturum, prouidentia eum à deo continente.*

Partes cœli, dextra & ſiniſtra.

*Pythagoras, Plato, & Ariſtoteles, dextras mundi partes faciunt quæ ad ortum ſunt,*



*unde motus initium: ſiniſtras, quæ ad occaſum.*

*Illuſtrari omnes ſtellas fixas à Sole, ab eoq́; ſuum lumen accipere, Metrodorus dixit, Heracletus & Stoici, ali eo quod à terra ſurſum euaporat, Ariſtoteles cœleſtia non indigere alimento, quia interitui non ſunt obnoxia. Plato & Stoici idem ſtellis atque vniuerſo mundo nutrimentum deſtinant.*

De magnitudine Solis.

*Anaximander Solem terræ æqualem eſſe, circuli autem à quo erumpit habitu & in quo fertur, quãtitate molem terræ vicies octies contineri. Anaxagoras multiplici ad Peloponenſum proportione Solem eſſe. Heracletus latitudine veſtigÿ humani. Epicurus rurſum ait, poſſe iſta omnia vera eſſe, aut tantum eſſe, quantus & qualis videtur, vel maiorem paulo aut minorem.*

De magnitudine Lunæ.

*Stoici Lunam, ſicut & Solem, maiorem terra pronunciant. Parmenides æqualem Soli, à quo etiam illuminetur.*

# Ex Plutarchi libello, de placitis philoſophorum, hoc eſt, breuis recenſionis ſententiarum de natura rerum.

## LIBER III.

*De lacteo circulo.*

ORdiar à lacteo circulo, is nebuloſus eſt, ſempérque in aëre cernitur, & ob albedinem coloris lacteus dicitur. Pythagoreorum alij dixerunt ſtellæ ardore effectum, quæ ſuo loco delapſa tempore incendij à Phaëthonte excitati, quicquid loci circulari decurſu peragrauit, aduſſerit. Alij Solis curſum initio hâc fuiſſe.

Anaximander ventum eſſe fluxionem aëris, motis in eo à Sole aut colliquatis partibus tenuiſsimis humidiſsimiſque. Stoici omnem ventum eſſe fluxum, ſed nomina mutare pro locorum rationibus.

Metrodorus terram eſſe fæcem ac ſubſedimentum aquæ, Solem aëris.

*De zonis terræ.*

Pythagoræ opinio eſt, terram eadem qua totius cæli globum proportione in quinque eſ-



ſe diuiſam partes, Septentrionalem æſtiuam, hybernam, æquinoctialem, antarcticam. quarum media terræ mediam regionem definiat, hac ipſa de cauſa nomine aduſtæ ſeu torridæ prædita.

*De loco & motu terræ.*

Parmenides ac Democritus terram vndique æqualiter diſtantem, æquilibrióque ſuſpenſam, quòd cauſam non habeat cur huc potius quàm illuc vergat, concuti tantum, non moueri. Anaximenes eam ob latitudinem vectari aëra cui incumbit. Alij aquæ innatare inſtar platani foliorum aut aſſerum, ideóque moueri. Plato motuum ſex circunſtantias perhibet, Surſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, prorſum, retrorſum, horum motuum nullum terræ poſſe accidere.

*Maris ſalſugo.*

Antiphon ſudorem calidi, à quo excretum eſt quod ſupererat humidi, elixando in ſalſuginem conuerſum, quod in quouis fit ſudore.

Sic ea fit inter lunam aut aliud ſidus ac viſum noſtrum aër craſſus & nebuloſus exſtat, in quo cum viſus noſter reflectitur, ac dilatatur, itaque ad externam circunferentiam circuli aſtri pertinet, circa illud eſſe videtur, qui halos, id eſt, area dicitur, videtúrque iſta apparitio proximè ibi fieri, vbi viſus in craſſiciem incidit.

# Ex libello Plutarchi, de placitis philoſophorum, hoc eſt, breuis recenſionis ſententiarum de natura rerum.

## LIBER IIII.

*ARiſtoteles animam eſſe dixit actū (entelecheiam) primū corporis naturalis & inſtrumentis apti, viuendi facultatē habētis.*

Animæ partes.

*Pythagoras, Plato, ſecundum ſupremam rationem duas partes animæ aßignant, quarum vna ratione ſit prædita, altera eius expers, ſiue bruta.*

Animæ pars præcipua.

*Ineſſe hanc aiunt Plato & Democritus in toto capite. Strato in ſuperciliorum intercapedine. Eraſiſtratus circa membranam cerebri, quam ἐπικρανίδα nominant. Herophilus in cauo ſeu fundo cerebri.* Parmenides *in toto pectore. Epicurus & Stoici in vniuerſo corde, aut cordis ſpiritu. Empedocles in ſanguinis ſubſtantia.* Pythagoras *vitalem animæ partem circa cor, rationem & mentem circa caput.*



*Plato ſemper moueri animam, mentem autem non moueri à loco ad alium. Ariſtoteles animam immobilem, omnis motus per ſe exſortem: per accidens autem moueri vt formas corporum.*

Animæ motus.

*Epicurus, ſenſum dupliciter accipit: pro fafacultate & pro actu ſentiendi.*

*Plato ſenſum definit animæ & corporis communionem cum externis, vis enim ſentiendi eſt in anima, inſtrumentum corporis, ambo autem per phantaſiam (hoc imaginationem voco) externa apprehendunt.*

*Stoici ſenſus non falli iudicant, viſorum alia vera eſſe, alia falſa. Epicurus vtriſque veritatem ex æquo attribuit. Opinionum aliàs veras eſſe alias falſas. Senſum vno tantummodò falli, cùm ſuum de rebus mente cernendis interponit iudicium, phantaſiam duobus, cùm & ſenſilium ſit, & intelligibilium. Empedocles, Heraclides pro meatuum concinnitate ſenſum fieri, cùm quoduis ſenſile ſuo ſenſui accommodetur.*

Senſus quot ſint.

*Stoici quinque numerant ſenſus, quibus formæ apprehendantur, viſum, auditum, olfactum, guſtatū, tactū. Ariſtoteles ſextum quidē non dicit, ponit tamen cōmunem ſenſum qui dijudicet inter compoſitas ſpecies, in quem ſinguli cōijciant ſenſus ſimplices ſua viſa: in quo oſtēditur trāſitus ab vno ad aliā quaſi ſpeciē,*

*& ſub forma motus.*

*Democritus, Epicurus, imaginum inſertione putauerunt nos videre. Alij radiorum quorundam receptione, qui poſtquam obiectæ rei infixi fuerunt, rurſum ad oculum reuertãtur. Empedocles imaginibus radios adiunxit, id quod ſit appellans radios imaginis cõpoſitæ.*

*Empedocles auditionem fieri dicit, aëre accidente ad auris partem quæ cochleæ inſtar in giros contorta, intra aurem ſuſpenſa tintinabuli inſtar percutiatur. Alcmæo audire nos inani quod intra aurem eſt, id enim perſonare appellente aëre. omnia enim vacua ſonant. Diogenes, aëre qui in capite continetur icto & moto à ſono. Plato & qui eum ſequuntur percuti aërem qui in capite eſt, eúmque reflecti ad partem principem, ſenſúmque auditus ſic fieri.*

*Plato vocem definit, ſpiritum per os ab animo eductum & ictum aëris, qui per aures, cerebrum & ſanguinem vſque ad animam peruehitur.*

*Impropriè etiam brutis & anima prorſum carentibus rebus tribuitur vox, vt cùm hac appellatione complectimur hinitum & ſtrepitum. Propriè autem vox articulata eſt, Græcis ab illuſtrando mentis conceptu dicta.*

Vox articulata.

*Pythagoras, Plato, Ariſtoteles, corporis expertem, non enim eſſe aërem, ſed aëris figuram & ſuperficiem certo ictu fieri vocem, porrò nullam ſuperficiem corpore præditam eſſe.*



# Ex libello Plutarchi, de placitis philoſophorum, ſiue breuis recenſionis ſententiarum de natura rerum.

## LIBER V.

Semen quid ſit.

*ARiſtoteli ſemen eſt id quod præditũ eſt facultate mouẽdi donec tale aliquid abſoluat, quale eſt vnde ipſum fuit excretum.*

*Leucippo & Zenoni corpus eſt, eſſe enim aliquid ab anima auulſum. Pythagoras, Plato, Ariſtoteles, vim ſeminis incorpoream dicunt, ſicut mentẽ mouentẽ: corpoream autem materiam quæ profunditur. Strato & Democritus ipſam quoq; vim corpus eſſe, quippe ſpiritũ.*

An fœminæ etiam ſemẽ promittant.

*Affirmant hoc Pythagoras, Epicurus Democritus, habere enim adſtites teſticulares, ſed inuerſo modo, ideóque eas etiam præter vſum appetere. Ariſtoteles & Zeno humidam materiam emitti ab iis, ſicut ab exercitatione ſudores eliciuntur: non tamen vim habere ſeminis. Hippon haud minus ſeminis, eas quàm mares, emittere ſed id nõ facere ad prolem ge-*

*nerandam, quia extra uterum excidat, ideoq; quaſdam ſæpenumero abſque viris ſemen effundere, maximè viduas, & oſſa à mare, carnes à mulieribus originem habere.*

cõceptio quomodo fiat, & contra.

*Ariſtoteles fieri matrice ſurſum attracta à purgatione, menſtruiſque attrahentibus ab vniuerſa mole aliquid puri ſanguinis, qui accidat ſemini maris. Non concipi ob impuritatem vuluæ, aut inflationem, metum, ægritudinem, infirmitatémve mulierum: aut quia viri langueant.*

Mares qũo naſcantur, qũo fœminæ.

*Anaxagoras,* Parmenides*, ſemen à dextra parte, in dextram vteri partem conijci, à ſiniſtra in ſiniſtram, quod ſi ſecus fiat, fœminas concipi.* Leophanes*, cuius* Ariſtoteles *meminit, illos è dextro teſticulo, has è ſiniſtro ſeminari.*

Monſtra vt naſcãtur.

*Empedocles vel abundantia vel defectu ſeminis, aut à motus initio, aut diuiſione in plura, aut quod aliò vergat, ſic videtur ferè omnes cauſas complexus.*

Cur mulier ſæpi⁹ concumbens non cõcipiat.

*Diocles medicus cauſam eſſe putat, quod vel omnino nullũ, vel iuſto minus ſemen emittat, aut proli gignendæ non aptum ob calorem, aut frigus, aut humiditatem aut ſiccitatem deficientem, aut ob reſolutionem vteri. Stoici, obliquitatem veretri, quòd non poßit rectà eiaculari ſemen: aut quia membra coëuntium non ſint inter ſe legitima proportione*



*condita ad matricis diſtantiam. Eraſiſtratus vbi vulua callos contraxerit: aut carnoſior, rariórve, aut minor fuerit quàm natura exigat.*

*Empedocles, ob abundantiam & diuiſionẽ genituræ. Stoici ob loca quæ ſunt in vtero: cũ enim in primum & ſecundũ inciderit ſemen, tunc fieri ſuperfœtationẽ et tergeminos naſci.*

*Empedocles ſimilitudinẽ defert ſemini præualenti: diſsimilitudinem euaporationi caloris qui in ſemine erat.* Parmenides*, ſi à dextra vuluæ parte ſemen excernatur, patrum, ſi à ſiniſtra, matrum ſimiles naſci.*

*Medicorũ pleriq; fortuito caſu refrigeratis maris & fœminæ ſeminibus diſsimilem gigni prolem putant. Empedocles imaginatione mulieris inter concipiendum formari fœtum.*

Quomodo cũ mulieres tũ viri ſteriles reddãtur.

*Sterilitatis in muliere cauſas medici vtero imputant, ſi aliquid horum ei accidat: puta vt fiat denſior, rarior, durior, obſtruatur callo aut carnea mole, item animi languorem, defectum nutritionis, corporis vitioſam conſtitutionem, peruerſionem figuræ, aut deuulſionem. Diocles ſteriles mares fieri, ſiue quòd omnino nullum emittant ſemen, aut minus iuſta quantitate, aut quia ſemen ſit ſterile, aut ob reſolutionem membri, aut obliquitatem colis rectà ſemen eiaculari non valentis ad matricis diſtantiam.*

Mulę cur ſteriles.

*Alcmæo mulas ſteriles eſſe dicit ob ſeminis tenuitatem ſiue frigiditatem: mulas, quia matrices earum non hient. Empedocles, ob exilitatem, humilitatem, anguſtiámque vuluæ, inuerſè ventri annatæ, vt neque rectà ad eam ſemen eiiciatur, neque ſi id fiat, excipiatur. Hinc* Diocles *teſtimonium perhibet, tales ſe matrices mularum in diſſectionibus ſæpenumero deprehendiſſe inquiens: ac fieri poſſe, vt iiſdem de cauſis mulieręs quoque ſint ſteriles.*

Fœtus quomodo alatur.

*Democritus, Epicurus, fœtum in vtero per os ali: itaque ſtatim atque natus eſt, ore ad mammam ferri, nam & in vtero eſſe vbera quędam & oſcula quibus alatur. Stoici per ſecundinam & vmbilicum: itaque hanc ſtatim ab obſtetricibus à partu ligari, & os infanti aperiri, vt de alio cogitet alimento.* Al*cmæo ali per totum corpus, quòd ſpongiæ in morem recipiat quæ alendo ſunt idonea.*

Fœtum octauo menſe natũ viuere nõ poſſe.

Pol*ybus, Diocles, Empirici etiam octauum menſem aptum partui agnoſcunt: ſed fœtum eſſe tum imbecilliorem, ideóque multos perire. ac tametſi ferè in vniuerſum nemo octauo menſe natam prolem alandam cenſet, tamen multos ſic natos in viros euaſiſſe.*

*Eſt opus Ariſtotelis, quo in opere quatuor ſtatuit animalium genera, terreſtria, aquatica, volucria, cœleſtia.*

*Empedocles hominum membra incipere*



Quantũ temporis ad formãdũ in vtero animalis fœtũ requiratur.

*conformari ait à die trigeſimo ſexto, perfici membra die vndequinquageſimo. Aſclepiades maſculorum, quòd ſint calidiſſimi, initium vigeſimæ ſextæ diei defert, nonnullos etiam maturiùs auſpicari dicens: perfici membra die quinquageſimo. Femellarum initium bimeſtre, finem conformationis exitum quarti menſis, ob inopiam caloris. Brutorum perfici fœtus contemperatione elementorum.*

*Ariſtoteles ſomnum corpori cum anima facit communem, eſſe enim euaporationem humidi è pectore in caput, & refrigerationem caloris in corde ab alimento ſubiecto, mortem eſſe abſolutam refrigerationem: ſoliúſque corporis eſſe, animam eſſe immortalem.*

Plato, *Empedocles, ſtirpes quoque anima præditas eſſe, & in animalium numero cenſent: eo argumento, quod & nutent, & ramos habeant directos, qui inflexi ſi remittantur, ſuum repetant locum atque rectitudinem.* Ariſtoteles *viuere dicit, animalia eſſe negat quod animalia appetitu, ſenſúque & quadam porrò ratione ſint prædita.*

*Erraſiſtratus febrim ſic definit. febris motio eſt ſanguinis illapſi in pulmonis vaſa, non proficiſcens à noſtra voluntate, ſicut enim mare nemine commouente quieſcit, vento autem contra naturam incidente violento totum*

*exagitatur, inque circulos torquetur: ſic & in corpore vbi commotus fuerit ſanguis, incidit in vaſa ſpiritui deſtinata, ibique excandeſcens calorem toti corpori adfert, placet autem ei febrim morbi eſſe appendicem. Diocles, inquit: quæ videntur conſpectui nobis exhibent ea quæ in obſcuro ſunt. Hoc autem apparet, febrim vulneribus, ardentibus abſceſſibus, & bubonibus comitari.*

Senectus vnde accidat.

*Stoici vno ore dicunt ſenectutem accidere ob caloris defectum, quibus enim plus eſt caloris: ij ſenectuti moram longiorem producunt.*

## Ex Plutarchi libello qui, parallela, id eſt hiſtoriarum Græcarum cum Romanis coniuncta recenſio, inſcribitur.

Seueritas parentũ ĩ liberos.

*PErſis Greciam populantibus Pauſanias Lacedæmoniorum dux acceptis à Xerxe 500. talentis voluit Spartam prodere. Re cõperta, pater Ageſilaus eum vſque ad fanum Mineruæ Chalciœci perſecutus eſt, obthuratiſque fani foribus latere coctlo, fame necauit: mater etiam inſepultum abierit. Chryſermus*



*hiſtoriarum libro ſecundo.*

Tarquinius ſuperbus filios ſecuri percuſſit.

*Brutus ab vniuerſis ciuibus conſul creatus, Tarquinium Superbũ, qui tyrannicè ſe geſſerat, in exſuliũ egit. Is ad Etruſcos confugit eorumq; opera Romanis bellũ fecit, filij patrem prodere voluerunt, réque detecta ſecuri ſunt percuſſi. Ariſtides Mileſius Italicis.*

Ebrietas.

*Cyanippus Syracuſanus cum diis ſacrificaret, ſolum Bacchum præterijt. Iritatus deus ebrietatem ei immiſit, per quam in obſcuro loco filiam Cyanen compreſſit, ea patris digito detractum annulum nutrici adſeruandum tradidit, agnitionis argumento futurũ. Peſte oborta, cum Apollo Pythius reſpondiſſet inceſtum hominem eſſe dijs auerruncatoribus malorum immolandum, Cyane ſenſum oraculi alios fallentem percipiens, crinibus arreptum patrem protraxit, ac eum, ſéque inſuper ipſum iugulauit. Daſitheus tertio rerum Sicularum.*

Zelotipiæ exit⁹.

*Cyanippus genere Theſſalus idẽtidẽ venatũ exibat, Vxor eius quã recens duxerat, eum cũ alia muliere cõſueſcere cõſpicata, quod ſæpenumero in ſyluis maneret, veſtigia mariti ſecuta in quodã loco arboribus cõſito delituit, euẽtũq; præſtolata eſt. Ramis autẽ agitatis, canes ferã eſſe rati impetum fecerunt, mulieremq; mariti amantem inſtar brutæ beſtiæ dilaniauerunt. Cyanippus inſperatæ rei ſpectaculo oblato ſeipſum iugulauit. Autor Parthenius poëta.*

Epaminũdas filiũ coronatũ iugulauit.

Epaminundas Thebanorum dux bellũ contra Spartanos gerens, ad comitia in vrbem eſt profectus, cùm priùs iniũxiſſet hoc Steſimbroto filio ſuo, ne cum hoſte confligeret, Spartani eius abſentia cognita, iuueni timiditatem exprobrauerunt, quod ille indignè ferens, oblitus paterni mandati pugnã conſeruit & vicit. Pater autẽ iratus ei coronato collũ abſcidit. Cteſiphon tertio libro rerum Beoticarum.

Romani bello in Etruſcos ducem præfecerunt Valerium Torquatum, is cùm vidiſſet filiam regis Tuſcorũ Cluſiam, eam petijt: cumq́; non impetraret, vrbem obſedit. Cluſia de turri ſeipſam deiecit, veſte autẽ ſinuata (curauerat hoc Venus) incolumis ad terram delata eſt, cui cùm vitium Torquatus obtuliſſet, ob iſthæc facta communi Romanorũ decreto deportatus eſt in Corſicam quæ eſt inſula ante Italiam. Theophilus Italicorum tertio.

Proditionis & auaritiæ exitus.

Brennus Gallorum rex Aſiam vaſtans ad Epheſum venit, ibique puellam plebeiam adamauit, ea ſe corporis ſui vſuram ipſi conceſſuram, Epheſúmque tradituram pollicita eſt pacta mercedis loco armillas & mundum muliebrem. Brennus militibus mandauit vt quicquid auri haberent, id in ſinum auaræ cõiicerent, itáque illa multitudine auri obruta periit. Tradit hoc Clitophon primo lib. rerum Gallicarum.

Cùm



Cùm diuturnum fuiſſet inter Tegeatas ac Pheneatas bellum, placuit vtrinque mitti fratres tergeminos. qui de ſumma rei decernerent. Tegeatæ Reximachi, Pheneatæ Damoſtrati filios delegerunt. Conſerta pugna, duo de filiis Reximachi ceciderũt: Tertius Critolaus calliditate duos fratres hoſtes vicit: ſimulata enim fuga eos dum inuicẽ diuulſi inſequũtur interfecit. Redeunti cùm omnes gratulẽtur victori ſola ſoror eius Demodice gaudio abſtinuit, ob interfectum ea pugna à fratre Demodicũ, cui deſpõſa fuerat, quod indignè ferens Critolaus, ſororem trucidauit: cædiſq; poſtulatus, à matre abſolutus eſt. Demaratus Arcadicorum 2.

Horatiorũ tergeminorũ certamẽ.

Romani & Albani bello conflato, tergeminis rem decernendam permiſerunt, Albani Curiatiis, Romani Horatiis, vt ventum eſt ad conflictum. Curiatij duos de Horatiis obtruncauerunt. Tertius ſuperſtes ſimulatæ fugæ auxilio Curiatios ſingulos inſequentes trucidauit, Gaudentibus ſola victori non eſt gratulata ſoror Horatia, cuius ſponſum Curiatium frater necaſſet, ab eóque ipſa eſt interempta. Ariſtides Mileſius in rerum Italicarum commentario.

Metellus vir primarius in ſuburbium pergens à coruis retentus fuit alis eum plangentibus. Eo oſtento territus, in vrbem rediit: cumq́; videret Veſtæ ædem flagrare, Palladio inde

O

*rapto excæcatus eſt: poſteaq; temporis expiata ira numinis vſum oculorum recuperauit.* Ariſtides *Mileſius Italicis.*

Erecthe⁹ filiā immolauit.

*Erectheus bellum contra Eumolpum gerēs, doctus victorem ſe fore ſi filiam loco victima immolaſſet, re cum vxore* Praxithea *communicata, filiam hoſtiæ in morem mactauit. Meminit Euripides Erechtheo.*

*Cyanippus genere Theſſalus identidē venatum exibat. Vxor eius quā recens duxerat, cū cum alia muliere cōſueſcere ſuſpicata, quòd ſæpenumero in ſyluis maneret, veſtigia mariti ſecuta, in quodā loco arboribus conſito delituit, euentūq; præſtolata eſt. Ramis autē agitatis, canes ferā eſſe rati impetū fecerūt, mulieremq; mariti amantē inſtar brutæ beſtiæ dilaniauerūt. Cyanippus inſperatæ rei ſpectaculo oblato ſeipſum iugulauit. Autor* Parthenius *poëta.*

Zelotipiæ exitus.

*Smyrna (quā Myrrhā* Latini *vſurpāt) ob iram Veneris Cyniram patrē deperit, & amoris tormentū nutrici aperuit. Hæc dominū aſtu ſubiuit, narrans in vicinia virginem eſſe quæ ipſum adamaret, palàm autē adire præ pudore non poſſet, ita pater cum filia ignota cōcubuit: quodam verò tempore cernere amaſiā cupiens, lumen popoſcit, & filiam agnoſcens, ſtricto enſe inceſtam ſecutus eſt, illa Veneris prouidentia in arborem myrrham mutata eſt. Theodorus in transformationibus.*

Inceſti exempla.



*Valeria Tuſculanaria propter iram Veneris amore patris Valerij correpta, rem cum nutrice communicauit, hæc fraude dominū ad filiæ cōcubitum induxit, à virgine eum deperiri inquiens vicina, & quæ cū ipſo vereatur concumbere ſi agnoſcatur.* Pater *cum filia cōgreſſus per ebrietatē poſtulauit, nutrix* Valeriam *excitare occupauit, quæ profuga cum ruri degeret, vterúmque gereret, aliquando deiecta eſt per præcipitium, incolumis tamen ſaluo etiam fœtu, quem ſuo tempore peperit, nomine Syluanum (Græci Ægipanem vocant) Valerius præ mœrore de eodem ſe præcipitio deiecit.* Ariſtides *Mileſius tertio Italicorum.*

*Calpurnius Craſſus vir illuſtris Reguli legatus, in Maſſylos miſſus vt Garætiū caſtellum ſuperatu difficile oppugnaret, captus fuit, cumq; eſſet* Saturno *immolādus, Byſatia regis filia adamans eum victorē prodito patre fecit, ac ſeipſam ob ipſius diſceſſum iugulauit. Heſianax tertio rerum Africarum.*

Priamus Polydorum *in Thraciam expoſuit cum auro apud* Polymeſtorē *affinem, cum iam excidiū Ilio impēderet.* Polymeſtor *Troia capta* Polydorum *necauit, vt auro potiretur ipſe. Hecuba eò loci delata, aſtu eam circumuenit vt aurum datura, captiuiſque adiuuātibus oculos ei manibus eruit. Euripides tragœdiæ ſcriptor hoc perhibet.*

Auaricia.

*Phocum Aeaci è Pſamathe, filium, dilectúmque patri, Telamon eduxit venatum: aproque oblato haſtem in fratrem quem oderat contorſit, cúmque interfecit. Pater exſulio mulctauit Telamonem. Scribit hoc Dorotheus primo transformationum libro.*

Inceſtus.

*Æolus Etruriæ & vicinorum locorum rex Amphithea filias ſex, totidémque filios habuit. Horum minimus natu Macareus cum ſororum vna corpus miſcuit, ea cum puerulum peperiſſet, miſſo à patre ad prolem necandam enſe, impium hoc rata, interfecit ſeipſam. Idẽ fecit Macareus. Adductum ex Soſtrati libro rerum Etruſcarum ſecundo.*

Sodomiticũ peccatum.

*Ariſtonimus Epheſius filius Demoſtrati mulieres exoſus aſinam iniit: quæ ſuo tempore filiam peperit formoſiſsimam, Onoſcelin nomine, quod ſonat Aſinnis cruribus præditam. Ab Ariſtotelis libro paradoxorum ſecundo.*

Ancillæ calliditas

*Sabini bello cum Smyrnæis contracto, Smyrnam obſederunt, miſsíſque legatis denunciarunt ſe non ante obſidionem ſoluturos, quam ſuarum vxorũ copiam ipſis Smyrnæi feciſſent. Malè tum cum Smyrnæis actũ fuiſſet, neceſsitate circumuentis, niſi quædam formoſa ancilla ad dominum ſuum Philarchum accurrens ſubieciſſet hoc conſilij, ancillas ornatas loco liberarũ eſſe mittendas. Quod*



*cum exſecuti eſſent Smyrnæi hoſtes ab ancillis defatigati, in poteſtatem Smyrnæorum venerunt. Itaque hodiéque Eleuteria feſtiuitas, quaſi liberarum diceres, apud Smyrnæos celebratur, in qua ſeruæ liberarum ornatu decoratæ incedunt. Doſitheus tertio Lydiacorum.*

Victima humana.

*Peſtilentia Lacedæmonem vrgente, diuinitus ſignificatum eſt ceſſaturam luem, ſi pro more generoſam immolarent virginem. Helena autem cùm eſſet aliquando ſorte ducta, & ornata produceretur, aquila deuolans gladiũ abripuit, & in armentum deferens buculæ impoſuit, quo factum eſt vt cæde virginis abſtineretur. Ariſtodemus tertia congerie fabularum.*

A feris nutriti.

*Philonome Nyctimi & Arcadiæ filia, venatum cum Diana ſolebat proficiſci. Illam Mars paſtoris ſumpta forma vitiauit, ac fœtu impleuit. Geminos cùm partu edidiſſet, patris metu in Erymanthum eos abiecit: ij fatali quodam prouidentiæ decreto incolumes delapſi ſunt in excauatam quercum. Lupa autem, quæ ibi ſuum habebat luſtrum, ſuis catulis in fluuium abiectis, mammam infantibus præbuit. Tyliphus paſtor, qui ſuis iſtud vidiſſet oculis, ſuſtulit pueros, ac pro ſuis educauit, nominatos Lycaſtum & Parraſium, qui & in regnum Arcadiæ ſucceſſerũt.*

*Ita ſanè refert Zopyrus Byzantius libro hiſtoriarum tertio.*

*Æmulius fratrem Numitorem tyrannicè tractans, filium eius* Aenitum *in venatione interfecit: & filiam Syluiam* Iuliam Iu*nonis ſacerdotem fecit, Hanc Mars pragnantem reddidit, cúmque gemellos partu edidiſſet, tyranno veritatem ipſa confeſſa eſt.* Is *in metum venit, proiecitque vtrumque ad ripam* Tibe*ris, amne autem deuecti ſunt ad locum, vbi lupa catulos alebat. Lupa his abiectis nutriuit infantes. Fauſtus qui ſpectandæ rei interuenerat, pueros educauit, Remi & Romuli nominibus impoſitis. Hi ſunt qui Romam condiderunt. Narratio eſt* Ariſtidæ *in Italicis.*

Malũ inuentũ inuentori peſſimũ.

*Phalaris* Agrigentinorum *tyrannus crudelis hoſpites torquebat & excruciabat, Perilus faber ærarius æream buculam confecit, tyrannóque obtulit, vt in ea peregrinos viuos cremaret. Phalaris tum duntaxat iuſtus, ipſum iniecit, videbatur autem mugitum edere bucula. E ſecundo libro quæſtionum ſiue cauſarum.*



## Ex Plutarchi libello qui inſcribitur, Compendium commẽtarij quo oſtenditur Stoicos quàm poëtas abſurdiora dicere.

*Stoicorum ſapiens incluſus non prohibetur, præcipitatus non patitur vim, in tormentis non cruciatur, ſi vratur non læditur, deiectus in palæſtra tamen inuictus manet, munitionibus circumuentus non obſidetur, ſi vendatur ab hoſtibus capi nequit. adeóque ſimilis eſt earum nauium, quibus cum inſcribatur proſper curſus, prouidentia ſeruans, cõmodum miniſterium, eæ interim tempeſtatibus iactantur, colliduntur, euertuntur.*

A*mor enim Stoicus, inſtar Scarabeorum, (qui perhibentur vnguento ſuauiter fragante omiſſo, malè olentia ſectari) cum turpiſſimis & fœdiſſimis verſans: hos auerſari, vbi ſapientia eos formoſos reddidit, docet.*

*Licet enim ſumenti è Stoicorum ſchola virtutem dicere,*

Optato quod vis, aſſequeris omnia.

Virtus Stoicorũ

*Virtus ijs diuitias confert, regnum parat, fortunam conciliat, fœlices facit, nullius rei indigentes, totos ex ſe aptos, etiã ſi ne denarius quidem ſit in patrimonio.*

*Mendicat quidem Ithacenſium rex, vt quis ſit latere poſsit, ideóque ſe ipſum facit quàm maximè.*

Mendico ſimilem miſero.——

*At Stoica qui eſt à ſecta, alta contentáque voce proclamans, Ego ſolus ſum rex, ego ſolus ſum diues, ſæpenumero conſpicitur apud alienas fores, dicens:*

Da pallium Hipponacti, nam rigeo gelu,
Tremórque membra quaſſat.——

## Ex Plutarchi libello qui, de vnius in Republica dominatione, populari ſtatu, & paucorum imperio, inſcribitur.

Reipub. tres ſpecies.

*Denique politeia appellatur ordo & cōſtitutio ciuitatis, ad quam diriguntur actiones. quo modo tres politiæ, id eſt formæ reipublicæ dicuntur: Monarchia, quæ vnius eſt dominatio: Oligarchia, quæ paucorum: Democratia quæ penes populum ſummam gubernationis ponit.*



*Sic ciuilis vir probè adminiſtrabit Oligarchiam Laconicam, qualis à Lycurgo inſtituta fuit, æquales dignitate & potentia viros placidè ad ſocietatem gerendæ reipublicæ inuitans: probè etiam ſe accommodabit Democratiæ, tanquam variis neruis & ſonis inſtructo inſtrumento, aliquando remittens, interdum intendens, tempeſtiuéque fræna laxans, & rurſum contrahens, vbi multitudini reſiſtendi locus datur. Quod ſi ei detur optio formam reipublicæ tanquam muſicum inſtrumentum ſuo arbitratu capeſſendi, nullam profecto delegerit aliam quàm Monarchiam,* Platonis *fidem ſecutus. Ea enim ſola poteſt perfectum iſtum &* ὀρθὸν *ſiue rectum virtutis tonum & contentionem ſuſtinere, & vtilitatem neque neceſsitatis, neque gratiæ cauſa inflectere. Reliquæ id habent, quòd ferè is qui imperat, ſub imperio & poteſtate eſt, & qui gerit eas ipſe geritur fertúrque, quòd non habet vim ſolidam & ſtabilem qualis eſt in monarchia. ſed ſæpe cogitur* Aeſchyleum *illud exclamare, quo vſus eſt Demetrius Poliocetes amiſſo imperio:*

Monarchia optima forma reipublicæ.

Tu me creaſti, tu fers exitum mihi.

# Ex Plutarchi libello qui, Gryllus ſiue Bruta animantia ratione vti, inſcribitur.

*ATqui Brutorum inter ſe & aduerſum homines certamina vides, vt ſine arte ac fraude aperta & nuda cum virium fiducia peraguntur, vt ſuo freta robore ſe defendant, neque legem vocantem ad pugnam, neque actionem deſertæ militiæ metuentia, ſed quia natura metuunt ſuperari, vſque ad extremũ perdurantia inuicta. non enim vincuntur quando corpore ſuperantur, neque deſpondent animum ſed inter pugnandum moriuntur.*

*Neque leo leoni ob fortitudinem ſeruit, aut equus equo: ſicut homo homini ſeruit, ac facilè amplectitur timiditatis affinem ſeruitutem.*

*Ex ijs tamen quæ dixi, liquet viros non naturali eſſe præditos fortitudine (alioquin hæc etiam mulieribus adeſſet) ſed legum neceſsitate coactos, non ſponte veſtra, moribus, repræhenſionibus, aduenticiiſque opinionibus, ſeruientem, verbiſq; effictam meditari fortitudinem: laboréſque & pericula ſubſiſtere, non quod animos aduerſum ea geratis confidentes, ſed quòd alia his magis metuitis.*



*Itaque apparet fortitudinem veſtram, prudentem eſſe timiditatem, confidentiam autem metum cum ſcientia coniunctum alia per alia euitandi.*

*Cæterum Penelopes tuæ caſtitatem innumeræ cornices crocitantes ridiculam eſſe oſtendent atque contemptui exponent, quarum vniuſcuiuſque ſi moriatur mas, viduitatem non per exiguum tempus, ſed per nouem ætates hominum ſeruant, vt ſi libeat comparare, vna quæuis cornix nouies caſtitatem tuæ ſuperet Penelopes.* Viduitas & caſtitas cornicis.

*Voluptas ea, quam ex fragrantibus, & odore ſuo exhalante olfactum afficientibus percipimus, præterquam quòd ſimplicem ſui præbet, eámque gratis vſuram, ſimul etiam diſcernendo alimento conducit. Nam lingua & eſt & dicitur norma ſaporum, vt dulcis, acris, auſteri, reliquorum: quando ij confuſi offeruntur ſenſui.* Odoratus. Lingua norma ſaporum.

*Eſt ergo temperantia contractio quædam cupiditatum, & ordo, perimens ſuperuacaneas & adſcititias, tempeſtiuè autem & mediocriter cum decori ratione obſequens neceſſariis.*

*De cætero autem moleſtus nobis non eſt odoratus ſicut vobis, quos cogit ſuffitus,*

*cinnamoma, nardos, malobathra, calamos Arabicos, cum ſubtili quadam medicatrice arte aut ſeplaſiaria conquirere & vnà vorare, magna pecunia parum virilem, & potius puellas decentem, nulláque omnino vtilitate comitatam delectationem redimentes.*

*Atqui porcæ ſues, & capros capræ, aliæq; fœminæ ſui generis mares proprio odore alliciunt, purumq; rorem prata, herbáſque vbi redolent, communi amore, ad miſcendum corpora cientur.*

Fœdi amores.

*Agamemno quidem* Bœotiam *perluſtrauit* Argæum *venans ſubterfugientem, falſiſque mare & ventos onerans criminibus, tandem pulchrè pulchrum ſeſe in lacum* Copaidi *demerſit, vt ibi amorem extingueret, ac ſe cupiditate liberaret. Itidem Hercules imberbi ſectans amaſium, deſeruit optimos ſocios claſſemq; & inſtitutum prodidit.*

Galli pœna ſi aliũ conſcenderit abſente gallina.

*At gallus ſi gallum conſcendat abſente gallina, viuus comburitur, aruſpice aliquo pronunciante graue atróxque id eſſe oſtentum. Ita ipſi homines confeſſi ſunt, caſtitate à brutis ſuperari, eáque naturæ vim non facere voluptatum percipiendarum cauſa.*

Hominẽ in alimẽti vſu peccare.

*Primum enim vnicuilibet animali generi ſuum eſt quoddam cognatum naturæ alimentum: aliis herba, aliis radix, aut fructus, & quæ carne veſcuntur, nullum alium*



*fructum ea appetunt, neque infirmioribus alimentum eripiunt: ſed & ceruum paſci ſinit leo, & lupus ouem, quantum natura ſtatuit.*

*At verò brutum animal quoduis non tantum ex ſeſe arte ad ſanandum eſt præditum, ſed etiam alimenti quærendi, robur parandi, aduerſa declinandi, conuenientia quærendi, atque etiam ad muſicen, pro modo cuique animalium à natura præſcripto. Nam à quo didicimus, quando ægrotamus, ad fluuium deſcendere cancrorum capiendorum gratia? Quis docuit teſtudines deuoratis viperis origanum poſtea edere? Quis capris* Cretenſibus *præcepit vt ſagittis ictæ dictamnum quærant, quo comeſto cuſpides excidunt. Si enim dicas: verum eſſe, harum rerum magiſtram eſſe naturã, brutorũ intelligẽtiam refers ad principium præcipuum atque ſapientiſſimum.*

*Perdices ſuos pullos docent inter fugiendum occultare ſeſe, & glebam pedibus pro ſe obtẽdere, poſtquam ſupini corruerunt, & vides vt ciconiæ ſuos pullos volare doceant primum id tentantes. Luſciniæ quoque ſuos pullos cãtare docent: & capti ante tempus, enutritiq; inter hominum manus, deterius canunt, quia præpropere à magiſtro ſunt remoti.*

# Ex Plutarchi cõmentario qui, ne ſuauiter quidem vini poſſe ſecundum Epicurii decreta, docet.

EXiſtimant Epicurei, circa ventrem eſſe bonum, reliquóſque carnis meatus vniuerſos, per quos voluptas, non dolor ſe inſinuat: omnéſque pulchras & ſapientes inuẽtione exſtitiſſe ob voluptatem quæ circa ventrem verſatur, & ſpem bonam de eo, vt ſapiens dixit Metrodorus.

Quis enim tantum temporis edendo bibendóue extraxit, quanto ſitiunt febricitantes, & eſuriunt obſidione circumuenti? quænam animi relaxatio & cum amicis oblectatio tanta eſt, quanti ſunt cruciatus & torturæ à tyrannis immiſſæ?

Voluptatis via breuis.

Quæ autem cum appetitu eò tendit via, vt pote menſura voluptatis, breuis admodum eſt ac compendioſa.

Voluptatis anim⁹ nihil præter memoriam cõſeruat.

Quanquam vinum quidem diffuſum à tempore conſeruatur, fitq; ſuauius, voluptatis præter memoriam conceptam tanquam odorem quendam, nihil animus aliud conſeruat, quæ in carne vt efferbuit ita extinguitur.



At qui hac maximè re ſapientem excellere ſentiunt, quod euidenter recordatur, inque ſeipſo continet voluptatum imagines, affectiones, motus: ne dicamus nihil eos ſapientia dignum profiteri qui voluptatum eluuiem quaſi quandam è corpore in animo relinqui putant, ſtatim quidem manifeſtum eſt, ex his viui ſuauiter non poſſe.

Voluptatũ recordatio qualis.

At quî fieri quit, vt fundamento concuſſo, non id ſimul concutiatur, quod ei inſiſtit? aut quî explorata ſpes poteſt, gaudiúmque illabefactabile eſſe de re tot iactationibus ac mutationibus obnoxia, quale eſt corpus, cui & foris imminent plurimæ neceſſitates, plurimi ictus, & in ſe intus habet principia malorum ratione auerti vlla quæ nequeunt, aliâs nõ accidiſſent cordatis hominibus difficultates vrinæ, inteſtinorũ morbi, tabes, aquæ intercutes: quorum cum quibuſdam ipſe conflictatus eſt Epicurus, alia Polycenum, Neoclem, Agathobulum è vita eduxerunt.

Non enim foris duntaxat vt mare, ita corpus etiam tempeſtatibus & procellis poteſt exagitari: ſed plus turbarum, earúmque maiorum, intus alit atque effert; ac

*Corporis humani miſeria.*

*rectius tranquillitatem hybernam aliquis quàm carnis incolumitatem ſperauerit ſibi conſtanter ad futuram. Quid enim aliud poëtas mouit, vt homines animalia dicerent in diem viuentia, inſtabilia, incerta, foliorum ſimilia, quæ anni ſtatis temporibus naſcuntur ac pereunt: quàm natura corporis tot calamitatibus, damnis, morbis obnoxia? cuius etiam optimam affectionem metuere iubent, ac diminuere.*

*Siquidem gaudendi materies & bonum ipſis eſt malorum euitatio, neque aliud ſe excogitare poſſe, aut omnino in natura eſſe aiūt, in quo bonum collocetur, eo vno excepto, vndè malum eius expellitur.*

*Animi voluptates.*

*Quas vero dignum æquúmque eſt lætitias & gaudia animi dici, eæ contrarij ſunt vacuæ, neque palpitationem aut morſum admixtum vllum, vllámue pœnitentiam habent. Eæ delectationes bonum habent animo familiare, eique verè conueniens, & genuinū, non adſciticium, non brutum, ſed ſummè cōſentiens rationi, enatum ea ex animi facultate, quæ contemplando vero, diſcendíque ſtudio, aut quæ agendo & honeſti tractationi eſt deſtinata.*

*Cognitio veri.*

*Ipſius autem veritatis cognitio ita eſt amabilis, ita deſiderabilis, vt ipſum hoc viuere & eſſe propter cognitionem data videantur, & quæ*



*quæ mors habet triſtiſſima, obliuio ſunt, ignoratio, & tenebræ. Indignum verò eſt è culinis & proſtibulis accerſitas voluptates cum his contendendo, dedecus inferre Muſis & Heliconi,*

Vbi neque paſtor paſcere conatur
pecus,
Ferróque ſunt intacta loca.

*Nam mathematicæ hæ voluptates verè ſūt paſcua apum vitij exſortia: iſtæ porcorum & caprorum pruritibus ſunt ſimiles, porrò animi facultatē quæ omnis generis affectionibus eſt opportuniſſima opplentes. Sanè res eſt varia & proterua, ſtudiū voluptatis. Neque tamē in hunc vſque diem quiſquam amica potitus præ gaudio ſolemne ſacrificium fecit: aut ſtatim mori optauit, ſi daretur obſonijs bellarijſque regiis impleri: At verò Eudoxus Phaëthontis modo comburi voluit, ea lege, vt ſibi antè liceret ad Solem adſtanti, figuram & magnitudinem, formámque aſtri perdiſcere.*

*Coronæ depræhēſio ab Archimede.*

*Iam Archimedem à deſcriptionibus geometricis vi auulſum ſerui vnxerunt, ille interim ſtrigili lineas in ventre ducebat, & inter lauandum eum ex aqua (vt traditum) ſupra labrum ſolij eliſæ effluxa excogitaſſet coronæ dimenſionem, tanquam furore quodam aut diuino inſtinctu exagitatus proſiluit, vociferans, Reperi, hacq; voce ſæpius repetita*

perrexit ire. Neque vero audiuimus, vel gulæ addictiſsimum quenquam clamare voraui: vel laſciuiſsimum, Amaui: cùm quidem & ſint & fuerint innumeri intemperantes: ſed vt & impuros auerſamur eos, qui cœnarum vehementiori cum affectione animi recordātur: vt qui nimium delectentur exiguis & nullius precij voluptatibus.

Sanè non cum Sophocle ſentiens, qui libenter à voluptate hac tanquam à domino agreſti & furioſo ſe profugiſſe dixit.

Muſicam verò (quantarum voluptatum & elegantiarum fertilem?) eos vitare & fugere, ne ſi velis quidem, ignorare poſſis: ita abſurda ſunt quæ hac de re Epicurus tradidit.

Hominis duæ partes.

At verò quid poteſt abſurdius fieri, quàm cùm duæ ſint, è quibus componitur homo partes, corpus & anima, quarum quidem hæc principatum obtinet, corporis proprium quoddam, domeſticum, & naturæ conueniens eſſe bonum, nullum animæ? ſed eam deſidentem in corpus habere oculos conuerſos, eiúſque affectionibus arridere, vnáque voluptate & gaudio frui? ipſam ab initio immobilem, omniſque affectionis vacuam, nihil omnino habere quod deligat, quod appetat, quo gaudeat?



Beneficii partē maximā in actione cōſiſtere. Actionū voluptas.

Cæterum ipſi hoc Epicuri dicunt, ſuauius eſſe afficere quàm affici beneficio. Non abnuerim etiam verbis beneficium poſſe conferri, ſed certe in actione pars maxima & potiſsima conſiſtit: quod & benefaciendi vocabulū indicat, & ipſi fatentur. Paulo enim antè audiuimus ipſum dicentem, quales voces emiſerit Epicurus, quales ad amicos litteras dederit, prædicans & ſummis vehens laudibus Metrodorum, quod is præclare & egregio conatu ex Aſtu in Piræum deſcendiſſet Mithro Syro opem laturus, cùm quidē nihil tum egerit Metrodorus. Quis ergo & quantas exiſtimatis fuiſſe Platonis voluptates, cum ab ipſo profectus Dio euertit Dionyſium, & Siciliæ libertatem reddidit? aut Ariſtotelis, quando patria humi proſtratam erexit, ciuéſque poſtliminio reduxit? aut Theophraſti & Phidiæ, vbi patriæ ſuæ tyrannos exciderūt? quid enim apud vos, quibus iſthæc ſunt notiſsima, commemorem quàm multis ſubuenerint viris, non tritico mittendo, aut farinæ modio: ſicut Epicurus miſit quibuſdam, ſed exſulibus reditum conficiendo, vinctis liberandis, reddendiſque vxoribus & liberis his qui eos amiſerant?

Sed ne ſi cupiam quidem, poſsim præterire ineptias hominis, qui cum Miltiadis &

*Themiſtoclis res geſtas ſub pedibus collocaſſet & extenuaſſet, de ſeipſo ad amicos hæc ſcripſit. Strenuè ac magnificè res noſtras in frumento comparando adminiſtrauiſtis, veſtraq; erga me beneuolentiæ ſigna ad cælum vſque pertinentia edidiſtis.*

*Enimuerò animus res eſt minimè iners aut exilis aut abiecta, neque cupiditates ſuas, quomodo polypi flagella ſua, tantùm vſque ea quæ eſui ſunt extendit, ſed has celerrimè præcidit ſatietas momento temporis, & minima horæ portiuncula.*

Sobriè. *Quid enim referam noluiſſe cœnare Epaminundam, cùm cœnam vidit quàm pro re familiari ſumptuoſiorem, ac dixiſſe amico: Putabam te ſacrificare, non inſolenter luxuriare?*

*Sed ſicut inquit Hippocrates è duobus doloribus minorem à maiori obſcurari: ſic voluptates etiam corporeæ à voluptatibus agendo & honeſti ſtudio partis ob animi lætitiam ingentem ac incomparabilem oblitterantur & extinguntur.*

*Quod ſi dulce eſt gloria eſſe præditum, nimirum moleſtum erit eſſe inglorium, atqui nihil eſt ab omni gloria alienius, quàm amicis actionibúſque carere, deū nullū putare, ſoli vacare voluptati, omnes res negligere.*

*Præſtat enim inſitam eſſe opinioni de deo*



*ac contemperatam affectionem quandam mixtam è verecundia & metu, quam hoc dum fugimus, neque ſpem nobis, neque gratiam, neque fiduciam bonis præſentibus, neque rebus aduerſis conuerſionem ad deum relinquere.* Opinio de diis qualis eſſe debeat.

*Verum pauci homines ita deum timent vt non præſtet non meminiſſe.* Metus deorum rectus.

*Sententiam verò Hermogenis de diis, par eſt verbis ipſius referri. Hi, inquit, qui & ſciunt omnia dij & poſſunt omnia, ita mihi ſunt amici, vt propter curam quam pro me gerunt, nunquam eos lateam neque noctu neque interdiu, quamcúmque rem agrediar aut acturus ſim. vtq; præſcire poſſum exitus ſingularum rerum, eos mihi ſignificant mittendis nuncijs ſuis, omnibus, ſomniis, auguriis.*

*Conſentaneum quidem eſt pulchra eſſe quæ à diis veniunt. ſed hoc ipſum, ſuggeri ea diuinitus, magnam voluptatem conciliat, fiduciámque immenſam & animi elationem ac gaudium veluti arridens bonis.*

*Talis eſt enim planè oratio Epicureorum in morbis atrocibus & doloribus ingentibus. Speras aliquid boni à diis ob tuā pietatē: animo es inflato: beata enim & interitus exſors natura, neq; gratia capitur, neque ira: melius aliquid poſt vitā oblatum iri ſentis quam in vita? in errore es, quod enim diſſolutū eſt, ſenſu* Conſolatio Epicuri in morbis atrocibus.

*caret, quod ſenſu caret, nihil ad nos.*

Pulchra audienda

*Nam ſecundum Empedoclis ſententiam.*

Quæ ſunt pulchra, iterum atque iterum eſt audire neceſſe.

*Primo omnium, ſicut athletæ non niſi peracto certamine & parta victoria coronantur: ſic illi victoriæ viuendo impetratæ præmia bonis poſt vitam dari iudicantes, mirum dictu eſt quantum huius ſpei gratia ſibi de virtute plaudant: qua in ſpei copia videre eſt etiam eos qui nunc ob opes & potentiam inſolenter ſe ac impotenter gerunt, melioréſque ſtulte deſpiciunt, dignas pœnas luere.*

*Cæterùm in promptu eſt cogitationem de amiſsione bonorum tantum adferre doloris, quantum gaudij exhibent ſpes de bonis præſentibus firmæ, eorúmque fruitio.*

Amittẽdi bona metus.

*Contrà autem quibus è bonis in nihilum mutatio imminet, eorum video terribiliſsimũ exitum, quo beatitas finietur. non enim natura ſenſus amiſsionem metuit tanquam initiũ alterius rei alicuius, ſed quia præſentium bonorum eſt abolitio.*

A priuatione ad habitum nullus regreſſus.

*Itaque ergo non Cerberus, neque Cocytus infinitũ mortis metũ reddidit: ſed minæ iſtæ, nos in nihilum iri redactum, vnde ad Eſſe nõ datur mutatio aut reditus ijs qui interierunt. Bis enim non licet naſci: & de Epicuri ſententia oportet æuum aboleri.*



# Ex Plutarchi libello, An rectè dictum ſit, latenter eſſe viuendum.

*PHiloxenum Eryxidis F. Gnatonem Siculum obſoniorum nimia cupiditate impulſos, narium ſordes emungere in patinas ſolitos ferunt, vt aliis ab edendo deterritis ipſi ſoli implerentur propoſitis cibis, atque etiam iſti nimio gloriæ ſtudio repleti, gloriam apud alios traducunt tanquam riuales ſuos, vt ipſi ea abſque certamine potiri poſsint.*

*Ego ſanè dicere non verear, Ne ſi malè quidem vixeris, dandam tibi operam eſſe vt lateas. immò enim innoteſce, redi ad ſanitatẽ, corrige peccatum, Siue virtus tibi adeſt; noli eſſe inutilis: ſiue vitium noli negligere medicinam.*

Vitia nõ tegenda.

*At verò priſci ægrotos ſuos in publico proponebant, vt prætereuntium quiuis ſi quid vel ipſe eodem morbo conflictatus, vel ſimiliter laboranti opitulatus medelæ noſſet, id ægrotanti ſignificaret: aiúntque artem hoc modo experientia adiuuãte creuiſſe. Hoc modo etiã vitæ vitia animíq; prauæ affectiones*

*expediebat detegere, vt cuiuis liceret iis inſpectis & conſideratis dicere, Iratus es? hoc caue, riualitate vexaris? iſtud facito amas? ipſe quoque aliquando amaui, ſed reſipui. Nunc dum vitia ſua negant, occultant, velant, penitus ea in ſeſe defigunt. Si verò bonis ſuades vt lateant, Epaminundam iube bello gerẽdo, Lycurgum legibus ferẽdis, Thraſybulum tyrannis occidẽdis, Pythagorã inſtituẽdis diſcipulis, Socratẽ diſputationibus ſuperſedere.*

Doctos & litteratos viros in bello neceſſarios.

*Si Themiſtocles Athenienſibus ignotus fuiſſet, non repuliſſent Græci Xerxem: ſi Camillus Romanis periiſſet Roma: ſi Dioni Plato, non fuiſſet liberata Sicilia. Nimirũ ſic ſentio, ſicut lumen non manifeſtos tantùm nos, ſed & vtiles inuicem facit: ita noticia in gloriam modò, ſed & agendi materiam virtutibus parari.*

*Sicut contra in ocio deliteſcens ingenium viri velut æruginem ac ſenium contrahit. Quies enim alta, vitáque in ocio depoſita non corporea modò ſed & animos tabefacit.*

*Ipſam verò animam nonnulli philoſophorum lumen, ſuapte natura eſſe ſtatuunt cùm aliis vtentes argumentis, tùm quod nullam rem anima magis auerſatur quàm ignorantiam, & omnia lucis expertia vitat, tenebriſq; turbatur, metuit ac ſuſpecta habet, ita autem ei dulce eſt lumen, ita deſiderabile, vt*



*nihil aliud iucundum ipſi ſine eo aut in tenebris velit admittere: ſed omnem ei voluptatẽ, iocum, ac delectationem lux admixta veluti cõmune condimentũ ſuauẽ reddat atq; gratã.*

*Sed re vera vnicum eos qui malè vixerunt manet ſupplicium, obſcuritas & ignoratio, & abolitio in nihilum redigens, ac obliuione in fluuium illum illætabilem abripiens, inq; abyſſum demergens, & in vaſtiſſimum mare, inutilitate & ocio, ignorationéque & obſcuritate omnia inuoluens.*

Expectatio malè viuentiũ.

## Ex Plutarchi commentario.

### *An vitioſitas ad infœlicitatem ſufficiat.*

*PRauitas abſque vllo apparatu ſimul atq; animum attigit, adfligit atque deiicit, implet dolore, lamentis mœſticia, pœnitentia hominem.*

*Excandeſcentiæ autem nunquam quietem impoſueris, aut luctui ſilentium, aut metuenti vt ſubſiſtat perſuaſeris, aut ob pœnitentiam ægro ne vociferetur, neue in crines inuolet ſuos, aut femur pulſet. Adeò vitium & igne eſt & ferro violentius.*

*Fortunam adferre abundantiā omnis generis instrumentorum, quibus vita miſera & miſeranda poſsit effici. puta latrocinia, bella, tyrannorum homicidia, tempeſtates marinas, fulmen de cœlo inmiſſum: tū cicutas, gladios, calumniatorū conductas copias, febrium incēdia, cōpedes, carcerum circūuentionem. quanquam pleraque horum prauitati potiùs debētur quàm fortunæ. ſed ſint omnia fortunæ. Vitioſitatem porrò nudam adſtare, neque aduerſus hominē vlla re externa indigentem: & è fortuna quærere:*

*Fortuna, quo pacto efficies miſerum hominem? Minaris paupertatē? deridet te Metrocles: qui hyeme inter oues, æſtate in veſtibulis templorum dormiens, prouocat ad certamen de fœlicitate Perſarum regē Babylone hyementem, & æſtiuo tempore in Media degentem. Seruitutem, vincula, venditionem inducis? ſpernit te Diogenes, qui cum à prædonibus venderetur, præconis voce proclamauit, Ecquis enmere vult dominum.*

*Sanè ignem tuum Decius Romanorum imperator anteuertit, quo tempore extructo in medio exercituum rogo, ex voto ſeſe pro patriæ principatu Saturno immolauit.*

*At enim è magnis opibus, domo ſplendida, victu magnifico ad lacernam, peram, & quotidiani cibi emendicationē rediges? hæc vero*



*beatitatis principia Diogeni, libertatis gloriæq; Crateti fuerunt. Inquies, in crucē te ſuffigam, aut ad palum, atqui Theodori nihil intereſt, humine an ſublimè putreſcat. ſepultura iſthæc Scythis beata putatur.*

Humi an ſublime putreſcere nihil intereſſe.

## Ex Plutarchi libello, De amore prolis.

*SIcut itaque aſinum habena & fræno dominus dirrigit: ſic & in homine ratio, penes quam principatus eſt, modò has modò alias inueniens digreſsiones ac diuerticula, nullum conſpicuum aut euidens relinquit naturæ veſtigium.*

Vt equū fræno, ita hominem ratione regi.

*Deinde miſcetur mas fœminæ, non omni tempore: quia non voluptas ei, ſed procreatio eſt finis propoſitus. Itaque verno anni tempore, cùm auræ ſpirant genitabiles, & temperie prægnantibus commodæ, coit cum mare fœmina manſueta & deſiderabilis ſuaui corporis odore, & peculiari corporis ornatu exſultās, rore & pura herba impleta, ac vbi ſe concepiſſe ſentit, modeſtè abit, & ea proſpicit quæ ad fœtum perferendū edendúmque pertinent.*

Vrſa.

*Vrſa animal quo neque deformius eſt aliud, neque moroſius, informes artubúſque carentes catulos parit. lingua autem tanquam inſtrumento format membra, vt non ſolum párere, ſed etiam fabricari videatur fetum.*

Perdices.

*Perdices quando vnà cum pullis exagitantur: eos præuolare ſinunt ac fugere, ídque machinantur in propinquo voluentes ſe ac poſt pullos relictæ, vt aucupes ipſas captent: deinde paululum curſu prouectæ, rurſum ſpe capiendi aucupem lactant, donec ita parta pullis ſuo periculo ſecuritate longiùs producant perſequentem.*

Gallinæ.

*Gallinas autem quotidie ante oculos habemus, ac cernimus quomodo pullos ſuos foueant, alios paſſas ſub alas recipientes, aliis tergum conſcendendum & vndiquaque aditum præbentes ſimúlque blandam & gaudij indicem vocem edentes. eædem canes & angues fugiunt, cùm ſibi metuunt, cùm verò pullis timent, defendunt, & vitia quàm vires patiantur iis propulſandis certant.*

*Enimuerò huiuſmodi affectiones opinabimur iſtis animalibus ingeneraſſe naturam, de gallinarum, canum, vrſarum propagatione ſolicitam: non nobis hoc modo pudorem voluiſſe incutere? nimirum reputantes, iſta naturam ſequentibus exemplorum loco eſſe: duris autem ſuam exprobrare inhumanitatem,*



*propter quos ſola hominis incuſatur natura, quod amorem gratuitum non ferat, neque niſi vtilitatis cauſa diligere norit. In admiratione enim eſt is, qui in theatris pronunciauit:*

Hominẽ amorem gratuitũ nõ ferre, cúmque mercedis ergò diligere.

Mercedis ergò nanque hominem
homo diligit.

*Quòd ſi ſermonis intelligentia brutis concederetur, & coactis in theatrum commune equis, bobus, canibus, volucribus, mutato carmine pronunciaret aliquis, neque à canibus catulos mercedis gratia, neque ab equis equuleos, neque ab auibus pullos, ſed gratis & naturæ impulſu diligi: omnium brutorum affectionibus hoc vt rectè ac verè dictum approbaretur. Turpe enim, proh Iuppiter, fuerit, beſtiarum procreationes, partus, dolores in partu, educationes gratis eſſe à natura: homines verò fœnus, mercedem, arrabones iſtarum rerum cauſa exigere. Sed neque verum hoc eſt neque dignum creditu. Natura enim ſicut in plantis ſilueſtribus, vt labruſcis, caprificis, oleaſtris principia fructuum mitium cruda & imperfecta gignit: ita brutis quoque amorem fœtus inſeuit imperfectum & non pertinentem ad iuſtitiam, neque vltra vtilitatem ſeſe proferentem. homini verò, quem protulit vt animal eſſet ratione præditum ac ciuile, iuſtitiámque, leges, & deum coleret, vr-*

Homines à natura eſſe amãtes prolis.

beſq; conderet & amicè cum alijs viueret: ſemina quoque harum rerum præclara, pulcra, & fœcunda inſeruit, amorem ſcilicet prolis: ſecuta in hoc prima principia, quæ in ipſa corporis inſunt conſtructione.

Sola lactis confectio ac diſpenſatio ſufficit ad demonſtrandam naturæ prouidentiam atque induſtriam.

Verum poſtquam genitale ſemen cõplexus eſt vterus, actis iam radicibus, (primum enim in vtero vmbilicus naſcitur, vt ait Democritus, & tanquam retinaculum aut pedamentũ conceptæ ſobolis) ibi tum mẽſtruæ illos purgationi aptos meatus natura occludit, ſanguinemq; vagum arripiens, eo alimenti loco vtitur, fœtúmq; humectat eo, qui iam cogitur & fingitur, donec iuſto dierum numero in vtero exacto auctus, alium locum is, aliúmque victum requirat.

Vmbilicũ in vtero primũ naſci.

Nihil enim eſt ita imperfectum, inops, nudum, informe, ſpurcum vt homo à partu ſtatim conſpectus, cui ſoli ferè ne exitum quidẽ in lucem mundum natura conceſſit: ſed ſanguine inquinatus, tabóque opletus, & occiſo magis quàm nato ſimilis, à nemine tangi, tolli, ſuauiari, ac amplexu foueri poteſt, niſi natura inſitum gerente amorem.

Hominis imperfectio.

Itaque aliis quidem animalibus infra ventrem vbera in mammas deſinunt: mulieri ſu-



pernè ad pectus naſcuntur, vt in promptu ſit oſculari, amplectique & fouere infantem, nimirum quia alendi & pariendi finis eſt non neceſſitas, ſed amor.

Cur mulier mammas ſupernè habeat.

Hominis educatio laborioſa eſt, incrementum tardum, virtus ita in longinquo ſita, vt pleriquæ parentes priùs: ex hac vita decedãt, quàm filij virtutem demonſtrent.

Balbutientes eos, & litteras in ſyllabas cogẽtes audiuerũt: comeſationes, potationes, amores aliáque id genus filiorum delicta videre patribus contingit, adeo vt illa dũtaxat Eueni inſcriptio memoretur ac laudetur:

Per tẽpus patri eſt filius omne dolor.

Arena, puluis & pennæ auium varias voces edentium tanto nõ ſunt numero, quantus eſt hæreditates ambientium.

Danaus filiarũ 50. pater fuit, qui ſi prole caruiſſet, vel plures habuiſſet hæredes, Tũ diuerſa eſt ratio filij enim gratiã hãc ob cauſam non habẽt, neque colunt ac venerantur, eo nomine: ſed vt rem debitã, hæreditatẽ expectãt. Iam quod Euripides dixit,

Danaus pater 50. filiarum.

Hominib⁹ amicos cõciliat pecunia.
Rebúſq; plurimũ i mortaliũ poteſt:

Pecuniã amicos hominibus conciliare.

Enimuero ſicut in metallis aurum quanquam multa terra permixtum atque tectũ, tamen enitet: ſic natura etiam in vitioſis factis atque affectibus amorẽ prolis declarat.

# Ex Plutachi libro, de Iſide & Oſiride.

*MAximè autem cognitionem deorum pro captu humanæ naturæ conſectantes, ab ipſis petimus nobis eam concedi: quia neque maius homo accipere, neque dignius dare munus homini deus poteſt veritate.*

Nõ barbã aut palliũ philoſophum facere.

*Non enim ô Clea philoſophum barba & pallium, neque Iſiacum lini geſtatio aut tonſura faciunt: ſed Iſiacus is verè eſt, qui quæ oſtenduntur & aguntur de diis iſtis, ritè comparat cum rebus, & veritatem cum philoſophica inquiſitione indagat.*

*Vulgo enim etiam uſitatiſſima iſta atque minima ſunt incognita, cur capillos ponant ſacerdotes, cur lineas gerant veſtes: quidam ne curant quicquam his de rebus cognoſcere: alij lanis eos ut & carnibus ouium religionis gratia putant abſtinere, radi capita ob luctum, linum geſtare ob colorem quem flos lini habet ſimilèm nitori ætheris mundũ ambientis.*

Purũ tãgi à nõ puro nefas.

*Vera autem omnium horum cauſa eſt, quod purum tangi à non puro nefas eſt, (ut ait Plato) atqui nullum excrementum alimenti, nullum reiectaneum caſtum purúmue eſt: cæterũ ex excrementis naſcuntur lanæ, villi, crines, vngues, atque germinant.*

Vngues vnde naſcantur.

*Linum porrò è terra naſcitur immortali, & fructum fert eſui aptum, veſtem exhibet tenuem ac puram, quæ gerentem non grauat, & eſt apta omnibus anni temporibus, minimèque pediculos gignit, ut aiunt, Sacerdotes autem ita abhorrent ab excrementorum natura, vt non legumina modò pleraque auerſentur, & carnes ouillas ac ſuillas, quæ multũ ſuperuacanei gignunt: ſed ſalem quoque cibis detrahant quo tempore purè ac ſanctè viuũt, cùm aliĳs hoc de cauſis, tùm quod ſal appetitu exacuẽdo magis bibulos & voraciores reddit.*

Linũ pediculos nõ gignere.

*Iam vinum ĳ, qui Heliopoli Solem colunt ſacris, nullum prorſum in templum inferunt: quod non conueniat interdiu bibere, domino & rege inſpiciente: reliqui vino vtuntur ſed modicò admodum: habebántque multos ritus quos purè caſtéque obeunt, vini expertes, vbi philoſophando, rebus ſacriſque docendis ac diſcendis tempus exigitur.*

Vini modicus vſus.

*Reges quoque ex ſacrarum præſcripto litterarum certa menſura vinum bibebant, vt ſcribit Hecatæus, quia & ipſi eſſent ſacerdotes.*

Sacerdotes piſcibus abſtinere.

*Sacerdotes omnibus abſtinent piſcibus. Primi autem menſis nono die cum reliquorum Ægyptiorum vnuſquiſque ante fores domus ſuæ aſſum piſcem edat: ſacerdotes non gu-*

*ſtant, ſed ante ianuã ædiũ comburunt piſces.*

*Altera manifeſta eſt & in promptu cauſa, piſcem cibi genus eſſe non neceſſarium ſed ſuperuacaneum & ſuffragatur Homero, qui neque Phæaces iſtos delicatos, neque Ithacenſes inſulares piſcibus uti ſcripſerit, ac ne ſocios quidem Vliſsis in mari támque longa nauigatione priùs quàm extrema adegit eò inopia.*

Lac ſuis leprã generare.

*Suem quoque alienum à ſacris animal cenſent, quod maximè coëat Luna decreſcente, & lac eius bibentium corpora lepram aſperámque ſcabiem efferant.*

*Quod Sai eſt Mineruæ, quam eandem cum Iſide arbitrantur, fanum, hanc habebat inſcriptionem: Ego ſum omne quod exſtitit, eſt, & erit: meúmque pelum nemo adhuc mortalium detexit.*

Iuſticia donis & colloquiis nõ obnoxia.

*Thebis ſimulacra fuerunt dedicata iudicum manibus carentium, & princeps iudicum oculis in terram deiectos habens: quo innuebatur iuſtitiam donis & alloquiis non eſſe obnoxiam, annuli erat ſcarabeus; hoc enim inſectum ſexu fœmineo caret, omnes ſunt maſculi, & ſemine in materiam in globum redactam immiſſo propagant genus, non alimento magis quàm procreationi locum parantes.*

Scarabeos ſexu fœmineo carere.

*Metitum furtim Typhonem corpus Oſiridis, ad magnitudinem eius apparaſſe arcam*



*elegantem, exactéque ornatam, eámque in conuiuium intuliſſe, quam ubi conuiuæ cum voluptate & admiratione ſpectaſſent, per iocum promiſiſſe Typhonem ſe dono arcam huic daturum, qui incluſus quantitatem eius exæquaret: cum omnes periculum feciſſent, neque cuiquam quadraret, Oſirim in eam ingreſſum decubuiſſe ibi eos qui inter erant accurriſſe, & operculum arcæ iniecíſſe, & quà clauis externè, qua liquido plumbo immiſſo cùm obfirmaſſent, ad Nilum detuliſſe, ac in mare demiſiſſe per Taniticum oſtium: quòd eam ob rem hodie nominatur abominabile eſt Ægyptiis.*

Oſiridis hiſtoria.

*Videri poteſt etiam id, quod Pythagorici dicunt mare lacrymam eſſe Saturni, innuere non purum id eſſe neque noſtro generi familiare.*

Mare Saturni lacryma.

*Nam Ægyptus olim fuit mari tecta, itaque in metallis & montibus multa etiamnum inueniantur conchylia: & omnes fontes, omnes putei, cùm quidem eorum tanta ſit multitudo, ſalſam atque amarum habent aquam: utpote quòd eò reliquiæ ueteris maris obſoletæ confluxerint.*

*Etenim in plenilunio deficis luna, Sole ipſi ex aduerſo ſtante in terræ umbrã incidẽs: ſicut in arcã fertur incidiſſe Oſiris. Rurſum*

Eclipſes. *ipſa Solem occultat & conſpectui ſubtrahit vltima menſis die, neque tamen Solem omnino interimit, vt neque Iſis Thyphonem.*

*Exiſtimant enim alij duos eſſe deos, quaſi contrariis deditos artibus, vt bona alter, alter mala opera conficiat, alij eum qui eſt melior, deum, qui deterior dæmonem dicunt.*

Accipiter. Accipitre etiam picto Oſirin ſæpe proponunt, auis enim ea pollet acumine viſus & volatus celeritate, eáque eſt natura, vt celerrimè alimentum digerat, fertur etiam cadaueribus inhumatis terram inijcere ſuperuolans, & cum in Nilum bibendi cauſa deuolat, pennã conſtituit rectam, ac inclinatus eam poſtquam bibit, oſtendit ſe euitato crocodilo incolumem euaſiſſe, ſi enim rapiatur, manet penna recta ſicut eam fixerat.

Felis natura. *Dicitur enim felis vnum principio parere catulum, deinceps duos, tres, quatuor, vnóque ſubinde plures donec ſeptem vno partu edat, ita duodetriginta in ſumma parit, qui eſt numerus dierum lunæ, verùm hoc fortaſſe fabulæ ſit ſimilius, ſed felis oculorum pupillæ impleri dilatarique videntur ſub plenilunium, & Lunæ lumine decreſcente attenuari atque langueſcere.*

*Harpocrates neque Deus imperfectus ac infans putandus eſt, neque vllum leguminũ: ſed præſes atque corrector recentis, imperfectæ,*



*& incompoſitæ hominum de diis ſententiæ, itaque & digitum ori impoſitum tenet, argumentum taciturnitatis & ſilentij, & menſe Meſore offerentes ei legumina, dicunt: Lingua eſt fortuna, Lingua genius.* Taciturnitatis argumẽtũ.

*Quippe eorum quæ homini obtingere poſſunt omnium nihil diuinius eſt oratione, præcipuè de diis, neque maius res vlla ad felicitatem momentum adfert.*

*Theopompus narrat eos qui ad Solis occaſum habitant cenſere & appellare hyemẽ Saturnum, æſtatem Venerem, ver Proſerpinam: & omnia naſci ex Saturno atque Venere.*

*Ita rectiſsimè apud philoſophos dicitur, Qui vocabula non diſcent rectè intelligere, eos etiam de rebus ipſis falli.*

*Sanè ſoli omnium Ægyptiorum Lycopolitæ ouem edunt, quia idem lycos, id eſt, lupus, facit quem pro deo habent.*

*Nam felem etiamnum ſunt qui dicant ac credant multi per aurem concipere, partum per os emittere, qua ſimilitudine orationis ortus refertur.* Felẽ per aurẽ concipere.

*At in cantharorum genere perhibitum eſt nullam eſſe fœminam: mares omnes ſemen eijcere in materiam ab ipſis in globum conformatam, quam volutant ex aduerſo impellentes ſicut Sol videtur cœlum in contrariam* Canthari omnes mares.

*partem conuertere, ipſe ab occaſu verſus ortũ proficiſcens.*

*Aiunt huic ſoli crocodilo in humore verſanti oculos contegi à membrana tenui ac perlucida, quæ à fronte deſcendat: ita vt videns, non videatur ipſe, qua in re principi Deo reſpondet.* Præterea, *quo loco regionis crocodilus fœmina parit, cum conſtat incremẽtorum Nili fore limitem, cum enim in humido parere non poſſint, & metuant longiùs ab aqua parere, ita præcisè norunt futuræ eluuiéi modũ, vt fluuio quidem à partu & fouendi gratia accedant, oua tamen ſicca & humoris expertia conſeruent, pariunt 60. totidémque dies excludendo fœtui impendant, tótque annos viuunt crocodili, qui diutiſsimè. Sexagenarius autem numerus prima eſt menſura iis qui aſtrologiam tractant.*

Crocodilos 60. oua parere, totq; diebus ouis incubare, totq; annis viuere.

*Hominum autem animæ quandiu hîc à corporibus & affectionibus continentur, nihil habẽt cum Deo cõſortij, niſi quatenus philoſophiæ adiumento veluti per ſomnium intelligentia eum attingunt, at poſtquam ſolutæ migrauerunt in purum, & viſui atque perpeſſionibus non obnoxium domicilium: ibi tum earum ipſe Deus ductor eſt.*

Remediũ cõtra peſtem.

*Etenim medici cenſent aduerſus peſtem remedio eſſe copioſam flãmam; vtpote quæ aërẽ attenuet, hoc autẽ fit rectiùs, ſi odorata ligna*



*vrantur, vt cupreſſi, iuniperi, piceæ, &* Acro *medicus Athenis tempore magnæ peſtis gloriam ſibi parauit, iubendo ignem ponè ægrotantes accendi: nam iuuit non paucos.*

*Ariſtoteles etiam affirmat, vnguentorũ, florum, pratorúmque ſuaues fragrantias non minus ad ſanitatem facere quàm ad voluptatem: quòd ea cerebrum natura frigidum & ad concretionem procliue ſenſim ſuo calore & leuitate relaxent.*

Florum odores ad ſanitatẽ facere.

*Odores enim ſæpe ſenſum deficientem reuocant, ſæpe etiam contra hebetant ac ſopiunt, diffuſis ob leuitatem per corpus exhalationibus: ſicut medicorum nonnulli ſomnum oboriri aiunt, quando alimenti vapor veluti ſerpens leuiter circum inteſtina, & ea contrectans titilationem quandam inducit.*

## Ex Plutarchi commentario, De iis qui ſerò à numine puniuntur.

T*Hucydidis eſt ſententia, vltionem maleficio quamproximè adiũctam ſtatim viam intercludere iis qui quamplurimùm malicia bonos habente ſucceſſus vtuntur.*

Nam cùm perdifficile ſit homini plebeio conſilium medici deprahendere, quod ſecutus non antè ſed pòſt ſectionem adhibuit; neque heri lauit ægrotum ſed hodie, certe de deo non facilè aliud quicquam firmum homo pronunciabit, quàm eum, vt qui optimè opportunum medendi flagitÿs tempus habeat cognitum, medicamenti inſtar pœnam ſceleri cuiuis imponere, neque eadem in omnibus magnitudinis menſura, neque eodem temporis articulo definitam.

Tempus pœnæ ſoli deo notum.

Idem ille Plato viſum in nobis à natura fuiſſe accenſum ait, vt ſpectandis admirandiſque cæleſtium corporum motibus anima noſtra amplecti condocefacta decorum & ordinem, odium conciperet incompoſitorum & vagorum motuum, temeritatémque & caſui fidentem leuitatem fugeret tanquam omnis vitÿ & erroris originem.

Propterea deus malis interpoſita mora ac tardè pœnas infligit, non quod vereatur, ne accelerando ſupplicio erret aut committat cuius pœnitentia aliquando ducatur, ſed vt in vindicandis aliorum peccatis ſæuiciam & vehementiam nobis hoc exemplo ſuo eximat: docens nos per iram, aut cùm maxime feruet & palpitat animus tunc nos debere quaſi famis ſitiſue replendæ gratia inuadere in eos qui nos irritauerunt: ſed imitatione ductos eius

Cũctatione dei in puniẽdo, nos debere imitari.



manſuetudinis & cunctationis, ordine & accuratione adhibito temporis ſpacio in conſilium, quod minimè, locum parabit pænitentiæ, ad puniendum nos conferre.

Medicinam enim animæ, quæ Iuſtitia cognominatur, omnium eſſe artium maximã, præter ſexcentos alios etiam Pindarus teſtatur, principem & dominum omnium deum appellans Ariſtotechnam, id eſt artificum præſtantiſſimum: quippe iuſtitiæ adminiſtratorem, quæ ius habet determinandi, quando, quomodo, & quatenus quilibet malorum ſit puniendus. Atque hanc artem Minos Iouis F. didicit, vt Plato ait: indicans ius rectè adminiſtrare, rectámque iuris adminiſtrationẽ intelligere non poſſe, qui eam ſcientiam diſcendo non fuerit conſecutus.

Iuſtitia aĩæ medicina. Iuſtitiam docere quando, q̃uo, & quatenus mali puniẽdi ſũt.

Hinc eſt quod etiam humanis exemplis auditis homines fiunt placidiores, quale eſt Platonis qui cùm ſublato baculo plagam puero intentaſſet, aliquandiu conſtitit, iram (vt ipſe aiebat) puniens. Et Archytæ, qui ruri deprehenſa ſeruorum ſuorum ſocordia & ordinis neglectione, vt ſentit ſe aſperiùs aduerſum eos animo eſſe commotum, nihil egit, niſi quod diſcedens dixit, Bona veſtra fortuna ſit quòd iratus ſum vobis.

Ira compeſcẽda.

Humanæ malefactorum vltiones legitimæ id duntaxat habent, quod viciſſim ægrè

Pœnitēdi locū dari cūctatione puniendi.

faciunt, repoſitóque maleficio ſubſiſtunt, neq; vlterius progrediuntur, quæ cauſa eſt, quòd delicta canum inſtar cum latratu perſequuntur, & facinora extemplò vlciſcuntur: Atqui Deum credibile eſt, quancunque vitio captam animam iuſto ſuo iudicio aggreditur, eius motus perſpicere, ſicubi ad pœnitentiam inflectuntur, tempúſque correctionis largiis, quorum non extrema eſt & incurabilis nequitia.

Conſidera verò quàm multorum hominū mores & vita fuerint mutata, qua occaſione Græci mores τρόπον à mutando, & ἤθη à conſuetudine nominant, quæ in hac re ſemel adhibita plurimum poteſt. Equidem ita ſentio, Cecropem à priſcis fuiſſe biformem dictum, non quòd è bono rege immanis & draconis naturam imitans ſit factus tyrannus: ſed contrà, quòd peruerſus ab initio & terribilis, poſtmodò benignè humanitérque imperauit. Quòd ſi hoc incertum eſt: certe Gelonē nouimus & Hieronem Siculos, & Piſiſtratum Hippocratis filium qui tyrannide per maliciam parta vſi ſunt ſecundū virtutis rationes, & iniuſtè potiti imperiis, mediocriter, & cum vtilitate publica functi ſunt.

Excépla eorū qui mores emēdauerunt.

Nihil enim præſtantes naturæ indoles exiguum efferūt: & ob acumen vehemētia eari atque efficacitas ocioſa eſſe nō poteſt, ſed quæ



æſtu fluctibúſque iactantur; donec mores ſtabiles atque compoſitos ſibi parent.

Legem autem Aegyptiam nónne videntur rectè quidam Græcorum deſcripſiſſe quæ iubet grauidam ſi mortis fuerit damnata, aſſeruari donec pariat?

Serā malorū pœnam aliis prodeſſe.

Nimirū enim Deus quibuſdam malis tanquam carnificibus vſus eſt ad ſumendas de aliis malis pœnas, quod verum eſſe de pleriſq; tyrannis arbitror. Quemadmodum enim fel hyanæ, & phocæ aliorúmque fœdorū animalium coagula aliquid habent ad morbos ſanandos vtile: ſic nonnullis morſu & pœna indigentibus deus iniiciens tyranni alicuius ſæuitiam implacabilem, aut magiſtratus moleſtam aſperitatem, non ante id quod excruciabat atque turbabat ſuſtulit, quàm vitioſos morbo liberaſſet ac purgaſſet. Tale medicamētum fuit Agrigentinis Phalaris, Marius Romanis, & Sicyoniis Deus diſertis verbis predixit, flagellis incutientibus vrbem opus habere: quando ij Teletiam puerum ludis Pythiis coronatum tanquam ſuum ciuem Cleonæis auferentes diſcerpſerunt. Audiuiſtis etiā Homerum alicubi ſic loquentem:

Vrbē opus habere flagella incutientibus.

Filius hoc patre eſt permultū deteriore
Editus, omnigenis potior virtutibus.

*& tamen filius iſte Caprei nullum præclarum edidit aut memorabile facinus: Siſyphi, Antolyci, & Phlegyæ poſteri gloria & virtute inter magnos reges floruerunt. Quin & Pericles Athenis natus fuit è familia ſcelerata: & Pompeius Magnus Romæ patre Strabone, cuius cadauer populus Romanus odio victus deiecit atque calcauit. Quid ergo abſurdi eſt, ſi quo modo agricola ſpinam non exſcindit niſi prius ſumpto ex ea aſparago: & Auſtri ſarmentum non antè comburunt, quàm Ladanum inde collegerint? ſic deus nobilis ac regij generis radicem malam atque aſperam non prius abolet, quàm debitus ex ea fructus prouenerit.*

Pericles è familia ſcelerata natus.

Deū improbū nō abolere niſi prius ex eo percepto fructu.

*Nónne autem ſic ſtatuendum eſt, tempore & modo conuenienti irrogare pœnas præſtare celeriter ac ſubitò immiſsis? quale eſt Callippi, qui quo pugione Dionem ſub amici ſpecie interfecit, eodem rurſus eſt a ſociis ſuis necatus. Et cum Mitius Argiuus in ſeditione eſſet interemptus, ærea ſtatua in foro cùm exhiberentur ſpectacula, incidit in percuſſorē Mitij eúmque occidit. Ariſto, inquam ego, mundum Eriphylæ hîc depoſitum permiſſa tyrannorum abſtulit, donóque ſuæ mulieri apportauit, filius autem ipſius certa quadam de cauſa iratus matri, domum ſuccendit, in eáque totam familiam combuſſit. Beſſus, vt narratur cum*

Modum & opportunitatē ſupplicij conſiderandam.



*patrem ſuum necaſſet, diúque id ſcelus clàm fuiſſet, poſtea temporis ad hoſpites quoſdam cùm iuiſſet cœnatum, nidum quendam hirundinum haſta incuſſa deiecit, pullóſque interfecit, cúmque ij qui aderant quærerent (vt fieri adſolet) quánam re impulſus rem tam inſolentem egiſſet, Non (inquit) auditis hirundines falſo de me vociferari & teſtari, me patris mei eſſe interfectorem? Mirati qui intererāt, hunc ſermonem ad regem detulerunt, réque certis indiciis comperta, pœnas luit Beſſus.*

Molitur damnum ipſe ſibi, qui intentat alij,
Conſiliúmque malum autori fert maxima damna.

Heſiodi verſus.

*Cantharidem ferunt in ſe habere quoddam damni quod iniunxit remedium, aduerſo modo afficientibus præditam facultatibus: ſic malicia ſimul ſecum gignēs id quod animum mordet atque vexat, non ſubſequentem, ſed in ipſo malefacto præſentem pœnam habet.*

*Nam diis quidem omni humanæ vitæ ſpacium pro nihilo eſt: & quod nunc non ante 30. annos, tale eſt, atque hoc, quod non manè, ſed veſperi cruciatur & ſuſpenditur ſceleratus, maximè qui in hac vita captiuus detineatur, tanquam in carcere vnde migrare aut effugere non poſſit, vtcumque interim multum conuiuiorum, negotiorum, numerum,*

*officiorúmque obtingat: ſcilicet ea ſunt ſimilia ludorum, quos alea aut talis in carcere captiui ludunt, fune ſuper capita pendente.*

[Captiuos in carcere puniri antequã ceruices præcidantur.]

*Quanquam quid impedit dicere neque eos qui ad mortem in carcere incluſi tenentur, puniri antequam ceruices præcidantur? neque eum qui cicutam biberit, iámque obambulet & expectet dum cruribus ingruat grauitas: priuſquàm extincto caloris & concretio eum ſenſu ſpolient? ſi extremum duntaxat ſupplicij articulum pro ſupplicio deputamus: animi autem interuenientes tumultus, terrores, metus, pœnitentias (quibus malorum vnuſquiſque commiſſa culpa deuincitur) omittimus, quod perinde eſt ac ſi piſcem qui hamum vorauit negemus captum, antequàm à coquis aſſatum aut in fruſta conciſum videamus. Nam vt primùm quis improbè egit, iam obſtrictus pœnæ tenetur, & ſuauitate flagitij veluti eſca illicò deuorata, conſcientiam intus vrgentem plectentémque habens*

[Statim vt quis improbè egit intus habet cõſciẽtiam vrgentẽ.]

Agitatur, vt mare thynni fluctuat
impetu.

*Quippe ſomnia & ſpectra diurna, oracula, de cœlo ſeruationes, & quicquid aliud diuinitus obijci videtur, tempeſtatibus & terroribus percellit ſibi malè conſcios.*

*Hoc modo narrant Apollodorum aliquando in ſomnis vidiſſe, cutim ſibi à Scy-*



*this detrahi, deinde elixari ſe, & cor ex ipſo lebete ſibi tacitè dicere, Ego tibi horum ſum cauſa rurſúmque, filias ignitas & ardentes in orbem circa ipſum diſcurrere.*

[Somnia ſceleratorum.]

*Hipparchum Piſiſtrati F. paulo ante mortem, Venerem ſanguinem ipſi è patera quadam in faciem conijcere. Pauſanias Cleonicam virginem liberam Byzantij per libidinem ad ſe vocauit, vt ea per noctem potiretur: deinde accedentem perturbatione quadam & ſiniſtra ſuſpicione concitus interfecit: hanc ſæpe dormiens vidit ſibi dicere,*

Perge ad ſuppliciũ valdè eſt dam-
noſa libido.

*quod viſum cùm non deſineret, Heracleam nauigauit ad Pſychopompion, qui locus eſt curandis animabus deſtinatus, puellæque animam deprecationibus inferiiſque certis euocauit, atque ea in conſpectum venit, ac finem ei malorum fore prædixit, vbi Spartam veniſſet: reuerſus autem Lacedæmonem, ſtatim, perijt.*

*Ac profectò, ſi nihil animæ poſt corpus reliquum eſt, ſed morte omne & beneficium & ſupplicium finitur: celeriter ſua flagitia luentibus & morientibus malis benignè ac indulgenter fieri à dijs dixeris rectiùs. Nam vt vitam & tempus nihil aliud*

Celeriter puniti ſerò punitis fortunatiores.

*mali flagitioſis adferre dicas: tamen vbi vitioſitas conuincitur eſſe res ſterilis & ingrata, ac quæ operæ precium nullũ perſoluat tam multis & magnis ærumnis: harum ipſarũ rerum ſenſus animam ſubuertit, quomodo narrant Lyſimachum ſiti victum Getis corpus imperiúmque ſuum in manus dediſſe, cúmque deditícius iam bibiſſet, dixiſſe:* Proh *me hominem prauum, qui tantillæ voluptatis gratia tantum amiſerim regnum.*

Spes malorũ hominum.

*Iocans dicebat Simonides ſe argenti ciſtam ſemper inuenire plenam, beneficiorum autem vacuam. Sic etiam praui homines maliciam in ſe ſuam contemplantes, ob voluptatem vanam ſtatim gratiam habentem inueniunt ſpei inanem eſſe: eandémque ſemper abundare metu, dolore, memoria triſti, & de præſenti ſtatu diffidentiæ, de futuro ſiniſtrarum ſuſpicionum plenam eſſe.*

Cur maiorũ delicta poſteri luant.

*Quæ Euripides libero ore incuſans diis obiicit, maiorum delicta poſteris imputantibus, eadem exiſtima nos quoque tacentes vitio iis dare. Siue enim ſontes puniti ſunt: iniuſtum eſt porrò etiam ab inſontibus pœnas exigi, cùm bis ob idem delictum ne eum quidem puniri qui in noxa fuit, æquitas non ſinat, ſiue ſocordia quadam prætermiſſam pœnam noxiorũ ſerò ab innocentibus exigunt, non rectè tarditatem ſuam iniuſtitia excarciunt.*





*Nam ſi gratiam quæ virtuti refertur arbitramur ad poſteros debere propagari: conſentaneum omnino rationi eſt vt ſentiamus debere etiam pœnas flagitiorum non intercidere, aut ante gratiam deſinere: ſed eodem vſque ſe extendere, vt vtrinque pari ſuum cuique ratione tribuatur.*

*Enimuerò publicæ vrbium ob iras* Deorum *calamitates, rationem in promptu ſitam habent. Eſt enim ciuitas res quædam vnica & continens, animalis inſtar: neque mutationibus ſecundum ætates ſuam exuit naturam, aut ratione temporis aliud fit ex alio: ſed ſemper eaſdem erga ſe affectiones & naturæ ſuæ conſentaneas ſeruat, omnéſque eorum quæ publicè agit aut egit cauſas in ſe continet, quandiu communitas, quæ mutuis complexibus deuincit vnumque corpus efficit, vnitatẽ ſuam conſeruant. Qui verò ex vna vrbe ratione tẽporis inſtituta diuiſione plures atque adeò infinitas facit: is perinde agit ac ſi hominem vnum in multos diducat, propterea quod nunc ſenex eſt, antè iuuenis, olim adoleſcens fuit.*

*Aut quæ cauſa eſt quòd capra, ſi eryngitẽ herbam in os ſumpſerit, totus ſubſiſtit grex totúmque attrahit, donec ſuperueniens & accedens paſtor caprarius eximat?*

*Verum Nyſſeo, Apollocrati, Antipatro*

Philippo, aliiſque itidem omnibus à ſceleratis parentibus ortis, admodum propria quædam progenitorum inſita pars eſt & portio, illiſq; adhæret non moleſta ſiue oneroſa, ſed qua in vita nutriantur, gubernentur, ac ſapiant. Non mirum nec abſurdum, quũ ex illis procedant, ſi ob eorum facinora vindictæ quoque partem deſumant, quandoquidem quæ apud homines beata cenſentur, propter illos conſecuti ſint ac poßideant.

Filij quũ maiorum poſſideãt bona, merito etiã illorum luunt ſcelera.

Nondum ego finem dicendi fecerem, cùm Olympiacus ſermonem excipiens: videris, inquit, huic diſputationi quaſi fundamentũ magnum ſuppoſuiſſe, animæ permanſionẽ. Sanè, inquam, vobis dantibus, aut potius iam antè largitis, ſermo enim huc proceßit ab eo principio, quòd dare Deus cuique quod dignũ eſt ei ponebatur. Tũ ille, Ergo, ait, cẽſes ex hoc, quod Deus ſingulas res noſtras inſpicere, ac diſtribuere pro meritis ponitur, ſequi animas aut omnino interitus eſſe expertes aut aliquandiu ſaltem à morte corporis ſupereſſe?

Deũ cuique dare pro meritis.

At verò Deus non ignorat cuiuſque ingenium & naturam, vt qui animam ſuapte natura magis quàm corpus ſentiat, neque eò rem differt, vt violentiam iam manibus, impudentiã voce, libidinem pudendis proditam puniat. Non enim vlciſcitur ſe accepta iniuria, neque raptori iraſcitur vim paſſus, aut

Pœna nõdum cõmiſſi flagitij.



mœchum odit affectus iniuria: ſed medicinæ faciendæ cauſa ſæpe plectit ad adulteriũ, auaritiam, vel iniuriam faciendam procliuem, vitium veluti morbum comitialem anteuertens priuſquam erumpat.

Hinc eſt, quod non omnia parentum peccata dij in liberos conuertunt, ſed ſi quis de malo naſcitur bonus, tanquam bene affecti corpore natus de morboſo, is generis pœna liberatur, vtpote è malicia vt qualitate ortus, qui verò morbo in ſimilitudinem generis refertur atque redigitur vitioſi, ei conuenit tanquam hæredi debitas pœnas vitij perſoluere.

Qui poſteri puniãtur ob delicta maiorũ.

Theſpeſius Solenſis vir Protogenis, eius qui hic nobiſcum fuit, familiaris atque amicus, cùm primis temporibus perquàm diſſolutè vixiſſet, atque exinde rem familiarem celeriter perdidiſſet, aliquandiu etiam neceßitate impellente malis ſe dedit artibus: & pœnitentia ductus, dum diuitias ſectatur, idem eſt expertus, quod vſu venire intemperantibus ſolet qui vxores dum habent, non cuſtodiunt, dimiſſáſque & aliis coniunctas improbè corrumpere conantur. Is ergo Theſpeſius dum nulla turpi re abſtinet, quæ voluptatem aut quæſtum videretur conciliatura, breui temporis ſpacio opes nõ ſanè magnas, opinionem autẽ maliciæ

Fabula de Theſpeſio Solenſi rediuiuo.

ſummam ſibi parauit. Maximè autē eum mutauit oraculum ab Amphilocho allatū, cùm enim (vt fertur) miſiſſet ad Deum ſcitatum an reliquum vitæ victurus eſſet meliùs, reſponſum fuit. Melius habiturū poſtquā mortuus foret, Ac ſanè hoc illi quodammodo non multum poſt tēporis accidit. De ſublimi enim in ceruicem delapſus, ictu abſque vllo vulnere accepto mortuus eſt: tertiaq; poſt die ſub ipſam funerationem reuixit. Mox recuperatis viribus ad ſe reuerſus, incredibilem quandam vitæ mutationem inſtituit, nam neque iuſtiorem in contractibus vllum eo tempore nouerunt Cilices, neque maiore aduerſum Deos pietate, neque hoſtibus moleſtiorem, neque magis fidū amicis, quo factum eſt vt quibus res cum ipſo erat cauſam cognoſcere tantæ diuerſitatis auerent, non vilem aut vulgarem eam fuiſſe arbitrantes.

Scolopē-dræ marinæ.

Qui verò ſub prætextu & opinione virtutis vitam latente improbitate exegiſſent, hos alij adſtantes cogebant magno cum labore & dolore interiora animæ foras obuertere, contra naturam torquentes ſeſe & flectētes, quomodo marinæ ſcolopendræ hamo vorato ſeſe voluentes inuertunt, quoſdam cute derepta explicantes, oſtendebant intus vitioſos, & nequitiam in ratione animæ partis principe tectam geßiſſent.



# Ex Plutarchi libello qui, Virtutem doceri poſſe, inſcribitur.

Virtutē diſcendo naſci.

SI enim diſcendo virtus naſcitur, qui diſciplinam vetat, is ne exſiſtat ea impedit. Atqui, vt eſt apud Platonem, ob pedis ad lyram inconcinnitatem neque frater fratri bellū facit, neque amicus cum amico litigat, neque ciuitates ciuitatibus orta contentione extrema mala viciſſim inferunt neque ſeditionem ortam dicere poſſis in ciuitate propter accentū, & quomodo pronunciandum ſit Telchines: neque in familia iurgium inter maritum & vxorem de ſtamine aut ſubtegmine. Et tamen telam, librum, aut lyram non tractabit qui non didicit, quanquam nullum inde magnum damnum accepturus: ſed ridiculus fieri veretur, nam (vt Heracletus ait) præſtat inſcitiam celare.

Inſcitiā celare præſtat.

Erroris à puero cō-miſſi culpa pædagogo imputanda.

Pueri obſoniis edendis dediti pædagogo Diogenes pugnum incuſſit, rectè non ei qui non didiciſſet, ſed qui non docuiſſet culpam imputans. Iam participare patinam aut calicem dextrè non poteſt qui non ſtatim à puero di-

*diceret, vt Ariſtophanes ait,*

Non obſonia, non turdos auere,
non pedes
Alternos ponere: --

Homines diſcendo meliores.

*Ariſtippus interrogatus à quodam, Ergo vbique tu es? ridens, Nónne, inquit, ego naulum perdo, ſi vbique ſum? Cur ergo non ipſi quoque dicis, ſi homines diſcendo nō fiunt meliores, perit merces pædagogis data? Hi enim primum accipientes ab ipſo lacte puerum, ſicut nutrices corpus manibus formant, ita iſti animum fingunt, conſuetudine ad prima virtutis veſtigia adducentes. Et Laco interrogatus quid vtilitatis adferret pueris quos inſtituerat: facio, reſpondit, vt honeſta eis ſint ſuauia. Atque ipſi pædagogi docent in viis ambulare capite demiſſo, vno digito ſalſamentum, duobus tangere piſcem, panem, carnem, ſic ſcabere, ſic veſtem gerere.*

Honeſta pueris ſuauia.

*Nonne magis ridiculus ille, qui ſolam prudentiam doceri poſſe neget, ſine qua reliquorum artium vſus eſt nullus, nullū emolumentum. Quod ſi ea princeps eſt, ornatúſque & ordo omnium, quæuis ad vtilitatem componens: iamprimum quæ gratia eſt cœnæ, pueris ita inſtitutis, vt coquere, aſſare, & vinū fundere poſſint, ſi nulla ſit diſpoſitio, nulla ordinatio adminiſtrantium?*



## Ex Plutarchi libello docente, Qua quis ratione ſeipſum citra inuidiam laudare poſſit.

*VNicuique enim, vt ait Xenophon, laus ab aliis profecta ſuauiſſima eſt auditu: aliis autem ea moleſtiſſima, quam ſibi quiſque ipſe tribuit. Primum enim impudentes eos arbitramur, qui ſeipſos laudāt: quia decebat eos pudor, etiam ſi ab aliis laudarentur.*

Laus propria cur ſordeat.

*Quippe gloriam ciuilis vir non vt præmiū aut ſolatium virtutis exigit, aut amplectitur ſuis actionibus comitantem, ſed quod credi & haberi pro probo, cauſam & occaſionem ipſi plurium pulchriorúmque parit facinorum, dicto enim audientibus & amantibus faciliùs & ſuauiùs licet prodeſſe: qui ſuſpecti ſunt aut calumniis onerati, virtute ſua non poſſunt vti, & vim facere beneficium ipſorum fugientibus.*

Gloria.

*Proinde vana eſt laus eorum qui ſeipſos propterea videtur laudare, vt laudētur, ac maximè contemnitur, ab ambitione intēpeſtiua*

Vanæ laudes ſui.

*gloriæ proficiſci credita. Sicut enim qui cibi penuria laborant, cōtra naturam ex ſuis ipſorum corporibus ali coguntur, iſque finis eſt famis: ſic qui laudes eſuriunt, niſi obtingant alij laudatores, decorum violant, dum ob arrogantiam, ipſi ſibi aliquid tribuere ac conferre videntur.*

*Seipſum autem abſque culpa reprehenſionis laudare aliquis poteſt, primùm ſi calumniæ aut accuſationis depellendæ gratia hoc faciat, vt* Pericles: *Ac mihi quidem vos iraſcimini, ei viro, qui nemini veſtrum cedo vel peritia rerum, vel elocutione intellectarum, vel amore patriæ, vel pecuniæ deſpicientia.*

*Non autem reis duntaxat & in periculo conſtitutis, ſed etiam iis qui in aliquam inciderunt calamitatem iactantia faſtus conuenit, magis quàm cùm rebus vtuntur ſecundis, hi enim veluti arripere gloriam, & ambitioni ſuæ indulgere videntur: illi procul ab arrogantia ob temporis rationem deiecti, emergere aduerſus opprimentem fortunam, ac magnitudinem animi fulcire, omninóque fugere aduerſarum rerum miſerationem deplorationémque exiſtimantur.*

*Qui verò coguntur ſeſe laudare, eos tolerabiliores facit ſi non omnia ſibi arrogent: ſed gloriam moleſtam aliis ſentientes, alia fortunæ, alia Deo accepta ferant. Itaque præclarè Achilles:*

Hunc poſtquam ſuperi nobis ſuperare dederunt. Illiad. A.

*Porro ſicut qui oculorum debilitate affectus cauent ne moleſtiam exhibeant, ij nimium ſplendidis vmbræ aliquid admiſcent: ita ſunt qui ſuas laudes non omnino ſplendidas ac puras proferunt: ſed defectus quoſdam & errata aut leuia peccata iniiciendo, importunitatem & inuidiam declinant.*

*Quoniam autem non modò citra aliorum dolorem & inuidiam, ſed etiam cum eorum vtilitate vſurpandæ nobis ſunt noſtræ laudes, ne hoc agere, vt nos laudemus ſed eo ipſo aliud aliquid moliri videamur: primum hoc conſidera, an excitandi ſtudij emulationiſque virtutum gratia apud auditores aliquis ſeipſum laudare poſſit.*

*Cæterum ſupra docuimus, nequaquam ciuile eſſe laudi & gloriæ alienæ ſeipſum opponere. Tamen vbi falſæ laudes nocent ac corrumpunt, ſtudiúmque rerū malarum & prauarum de rebus magnis conſilium animi generant, non inutile eſt eas refutare, aut potiùs iudicato diſcrimine auditorem ad meliorē auertere ſententiam.*

*Sicut enim de præceptis bonæ valetudinis tuendæ vnum eſt, omnino cauere ſibi à locis*

inſalubribus, aut maiori cura valetudinis vti in illis verſantem: ſic de ſeipſo loquendi ſtudiũ quaſdam habet occaſiones & rationes lubricas, & quoſuis prætextu propriam laudem elicientes.

Eum qui laudatur erubeſcere conuenit.

Eum enim qui laudatur, erubeſcere conuenit, abijcere verecundiam non conuenit: & inhibere eos, qui magnum aliquid de ipſis dixerint, non reprehendere tanquam intra modum laudes ipſorum proſecutos.

## Ex Plutachi dialogo, De cohibenda ira.

Sui quiſque peior quã aliorũ iudex.

QVod ipſum efficit potiſſimùm, vt ſui quiſq; peior ſit quàm aliorũ iudex.

Non enim, puto, ratio curationi morbi iam eſt adhibenda, vt vſurpatur elleborus: ſed animo percepta doctrina inhærere debet, iudiciaque continere & cuſtodire.

Ratio animæ moderatrix.

Non enim audit ob tumultum tunc animus quæ foris ſunt, niſi intus ſuam rationem habeat quaſi moderatorem, quæ celeriter accipiat & intelligat ſingulas exhortationes: ac ſi audiat etiam, placidè dicta contemnit: aſperius ſi quis inſtet, irritatur.



Sic & ipſe fiduciam animo concepi, poſſe iram ratione ſuperari. vidi autem non modò frigore affuſo iram ſedari, vt Ariſtoteles narrauit: ſed & metu oblato extingui: Quinetiã, per Iouem, ſubito oborto gaudio, iuxta Homerum, multis efflorvit, atque exporrectus eſt animus ira turbatus. Itaque in hãc veni ſententiã, iis qui operam nauare velint, iram nõ eſſe incurabilem. Nam ne initia quidẽ ſemper habet magna ac vallida, cum & dicteriũ, & iocus & riſus, & nutus, & multa id genus alia multis iræ cauſa fuerint.

Sicut ergo flammam pilis leporis, ellychnio ſiue ſtuppis, aut paleis accenſam facile eſt inhibere: vbi verò ſolidas & craſſas res corripuit, celeriter abſumit: ita qui iram ab initio animaduertit, ſenſimque intelligit eam à ſermone aliquo aut promiſcua ſcurrilitate incenſam fumare, is non magno opus habet labore, ſed plerunque ipſo ſilentio & contemptu oppreſſit, vt enim ignem extinguit qui materiam ei non ſuggerit: ita iram præcauet & arcet, qui eam initio non alit, neque ſeſe inflat.

Iræ initio reſiſtẽdũ.

Atque hoc peritè docuit Homerus, Achillem audito ſermone ſubitò corripi dolore faciens:

Dixit, at hunc nubes circundedit atra doloris.

*lentè autem iraſcentem Agamemnonem, at multis verbis inflammatum, quæ ſi quis ab initio intercepiſſet, non in tantam magnitudinem excreuiſſet iurgium.*

» *Itaque Socrates quoties ſentiret, ſe vehe-*
» *mentius commotum aduerſus amicorum ali-*
» *quem.*

» *Antè fluctum ſubiens maritimum ali-*
» *quod promontorium vocem remittere ſolebat,*
» *vultu renidere, & manſuetiùs obtueri: ver-*
» *gendo in diuerſam partem, & contrarios per-*
» *turbationi motus inſtituendo inuictum ere-*
» *ctúmque ſeruans.*

*Ergo optimum eſt vt placidè nos contineamus, aut fugiamus, occultemúſve nos, & in quietem tanquam portum confugiamus, vbi iræ quaſi morbi comitialis acceſſionẽ præſenſimus: ne cadamus, aut in alios potiùs incidamus. Incidimus autem potiſſimùm & ſæpiſ-*
» *ſimè in amicos. Non enim omnes amamus, nõ*
» *omnibus inuidemus, nõ omnes metuimus. Soli*
» *iræ nihil intactum, nihil inacceſſum eſt, ira-*
» *ſcimur & hoſtibus, & amicis, liberis, paren-*
» *tibus, atque adeò etiam diis, beſtis, anima ca-*
» *rentibus inſtrumentis.*

Morb⁹ periculoſiſſimus cũ facies ægrotantis ſui diſſimilima fit.

*Ac principio, ſicut Hippocrates eũ morbum ait eſſe periculoſiſſimum, in quo ægrotantis facies ſui diſſimilima fiat: ita ſentiens iratos maximè mutare faciem, colorem, inceſſum,*



*vocem, veluti quandam imaginem eius affectionis animo mihi conformaui, admodum indignam rem exiſtimans, ſi ita terribilis & abalienatus aliquando conſpicerer ab amicis & vxore & filiabus, non viſu modò ferus & inſolens, ſed & vocem edens immanem atque aſperam: ſicut ipſe in quoſdam familiarium incidiſſem, qui præ ira neque mores, neq; formam, neque ſermonis elegantiam, neque in colloquio comitatem ſeruare poterant.*

Iratos omnino mutari.

*C. quidem Graccho oratori, qui & mo-* «
*ribus eſſet auſterioribus, & in dicendo ve-* «
*hementior, fiſtula fuit concinnata, quali* «
*Muſici vocem paulatim in vtranque partem* «
*per tonos deducunt, hanc eo orante ſeruus te-* «
*nens, à tergo adſtabat, tonúmque lenem* «
*ſuggerebat, itaque herum à vociferatione re-* «
*uocabat, aſperitatémque & iracundiam vo-* «
*cis auferebat, ita is iram dicentis demulcebat* «
*atque ſedabat.* «

*Ac mihi ſi quis elegans & accuratus comitetur famulus, ægrè non tulerim ſi mihi iraſcenti ſpeculum offeret: ſicut nonnullis vbi lauerint nulla vtilitate exhibetur.*

*Etenim videre ſeipſum contra naturam affecto & conturbato vultu, non parum facit ad damnandam iram.*

*Locus fertur, Mineruam cùm fiſtula caneret, Satyro his verbis caſtiganti.*

Mineruæ fiſtulæ ca nētis correctio.

Non te decet forma iſthæc, pone
fiſtulas,
Et arma capeſſe componens rectè
genas,

*non obtemperaſſe: cùm autē in flumine faciē ſuam eſſet contuita, indignatā fuiſſe, ac miſſa feciſſe fiſtulas: quanquam ars deformitatem cantus ſuauitate hîc quidem compenſabat.*

*Hæc itaque mihi videnti & obſeruanti vſu venit, nimirum vt mecum ſic cogitarem, & memoriæ mandarem, bonum eſſe*
» *in febri, melius autem in ira, linguam ha-*
» *bere teneram ac læuem. Nam febricitan-*
» *tium lingua ſi non ſit naturæ cōuenienter af-*
*fecta, ſignum eſt malum, non cauſa. at iratorum lingua exaſperata & inquinata, cum in abſurda dicta erumpit, inimicitiæ implacabilis effectricem iniuriam effert & maleuolentiæ occultæ delatricem. Vinum ſanè nihil æquè intemperans & inuiſum, vt ira edit, & à vino quæ veniunt riſui & ioco debentur: hæc felle mixta ſunt. Atque inter pocula qui tacet, moleſtus eſt compotori-*
» *bus atque inſolens, In ira nihil magis decet*
» *quàm quies.*

Iratorū lingua.

Ira ebrietate deterior.

Mulieres magis iracūdæ quā viri.

*Itaque & mulieres magis iracundæ ſunt quàm viri, & ægroti quàm ſani, & ſenes iuuenibus, rebus aduerſis vtentes proſperam habentibus fortunam, ma-*



*xime iraſcitur auarus diſpenſatori, gulæ deditus coquo, zelotipus vxori, ambitioſus malè dicenti, omnium moroſiſsimi ſunt qui honores in ciuitatibus petunt, aut factionem, dolorem, (vt ait Pindarus) manifeſtum.*

*Ptolomæus grammaticum ob inſcitiam* «
*ſubſannans & irridens, interrogabat quis* «
*Pelei fuiſſet pater, reſpondit ille, Tu prius* «
*dic, quis Laï fuerit pater: id dicterium ob-* «
*ſcuritatem generis regi exprobrabat, videbatúrque indignantibus omnibus non eſſe impunè ferendum, at Ptolemæus: Si non regium eſt, inquit, ſalsè in ſe dicta ferre, ne ſalsè dicta quidem in alium iácere, regium eſt.*

Punire, non diuinum ſed dæmonium.

*Quapropter Deorum regem Milichion, hoc eſt, placidum, Athenienſes verò, ni fallor, Mæmacten appellant à benefaciendi promptitudine. At ſupplicia exigendi vis non diuina, non cœleſtis eſt. ſed Furÿs & Genÿs conuenit.*

*Quo igitur modo de* Philippo, *cum is Olinthum excidiſſet, quidam dixit,* At certe *tantam is vrbem condere non poſſet: ita etiā iræ dicere liceat, Euertere potes, perdere, deÿcere: at erigere, ſeruare, parcere, tolerare, manſuetudinis eſt, indulgentiæ, moderationis, &* Camilli *opus,* Metelli, Ariſtidæ, Socratis:

inhærere autem & mordere, formicarum eſt & muſcarum.

Verumenimuerò re probè conſiderata, eam quæ ab ira dependet vlciſcendi ſui rationem inuenio plerunque inefficacem & irritam, vt quæ morſu labiorum, ſtridoribus dentium, inanibus incurſionibus, conuitijs præter dementes minas nihil habentibus, conſumitur. Deinde fit quod in curſu pueri ſolent facere, qui quoniam ſibi temperare non valent, ridiculè cadunt priuſquam perueniãt ad metam, ad quã feſtinabant. Itaque non ineptè Rodius ille, aduerſus miniſtrum Imperatoris Romani clamantem & ferocientem, Non curo, inquit, tu
» quid clames, ſed iſte quid taceat. & Sophocles Neoptolemum Euryphilúmque armans, ait eos ſine conuitiis ſeſe iactaſſe. Ferrum quidem nonnulli barbarorũ veneno inficiunt: at fortitudini ira nihil opus eſt, rationem protinctura habenti: furioſi autem impetus iræ, putridi ſunt ac facilè retunduntur.

Rodij dictũ non inelegãs.

Video autem & venatores & oratores per iram grauiter lapſos.

» Ariſtoteles ait Satyro amicos cauſam in
» iudicio dicturo, aures cera obthuraſſe, ne ini-
» micorum iritatus maledictis ob animi ferno-
» rem à propoſito dilaberetur.

Serò tamẽ hoc primùm perſpexi, quod præſtaret ſeruos indulgẽtia peiores fieri quàm ſe-

uicii



uicia & furore aliorum corrigendorum cauſa meipſum peruerti. Secundo videns hoc etiam, multos impunitate eò adduci, vt mali eſſe vereantur, & mutandorum morum initium veniam potiùs quàm pœnã iis præbuiſſe: aliiſq; eos tacitè ad nutum promptiùs, quàm alijs verberantibus & flagellantibus ſeruire: perſuaſi ad imperandum plus conducere rationem ira.

Serui vt puniẽdi.

In imperio plus valet ratio quàm ira.

Cæterum aßidua verberatio non admißis «
præcibus aut excuſatione, nequaquã hoc effi- «
cit in ſeruis vt pœniteat peccaſſe, ſed vt pro- «
ſpiciant, ne ſentiantur peccare.

Proinde quemadmodum Phocion poſt Alexandri mortem, non ſinens Athenienſes ante tempus cõmoueri, nec facilè credere rumori: Si hodie, inquit, viri Athenienſes, Alexander mortuus eſt, & cras & perendie erit mortuus: ſic nimirum oportet hominem iræ impulſu ad vindictam properantem ſibi ipſi ſuggere, Si hic hodie peccauit, & cras & perendie verũ fuerit eum peccaſſe: neque quicquam erit periculi, ſi paulò ſeriùs det pœnas, ſed ſi præproperè punitus fuerit, ſemper videbitur non peccaſſe: quod iam frequenter accidit.

Ad vindictã minimè properandum.

Qui præproperè puniũtur ſemper videtur nõ peccaſſe

Quis enim noſtrûm ita ſæuus eſt, vt cruciet aut flagellet ſeruũ, propterea quòd quinto antè aut decimo die aduſſit cibum, vel menſam euertit, vel tardiùs dicto fuit audiens, at ob

Per iram res maiores videntur, & maiora cõmiſſa quã ſunt.

*hæc ipſa, ſtatim atque fiunt & dum ſunt recentia, turbamur, & implacabiles ſæuique ſumus, ut enim per nebulam corpora: ſic per iram res videntur maiores & grauiora commiſſa, quàm ſunt.*

*Nihil enim perinde in cauſa eſt quòd ira correpti punimus, atque hoc ipſum, quod ira finita non punimus, ſed languemus. cùm quidem id nobis euenit, quod ignauis & pigris nautis, qui tranquillo tempore in ſtatione tenent naues, vento orto nauigant cum periculo, etenim nos rationi in puniendo languorem tribuentes & molliciem, feſtinamus ad pœnam ira tanquam ſubito vento impellente.*

Ad puniendũ nulla cupiditate impelli debẽtur, qui puniunt.

*Qui eſurit, is cibo ſecundùm naturam vtitur, qui punit, is nulla ad hoc debet impelli cupiditate, neque ad eam rem ira velut condimento indiget: ſed quando longiſſimè ab ea abeſt, tunc neceſſariam rem ratione adhibita peragit.*

*Narrat Ariſtoteles ſuo tempore ſeruos in Etruria ad tibiæ cantum ſolitos flagris cadi. Non profectò item, voluptatis perfruendæ gratia exſaturare animum ſumendis ſupplicijs debemus, eáque re gaudere, poſtmodo pœnitentia duci, quorum illud belluinum, hoc muliebre eſt, ſed ita exercenda eſt punitio, vt abſque vllo dolore, abſque vlla voluptate*

Punitio quomodo exercenda.



*pœnæ exigẽda, nulláque iræ anſa reliqua fiat. Atque hæc quidem fortaſſis non iræ videbitur ſanatio, ſed amolitio & cautio qua euitẽtur quæ aliàs per iram peccantur. Sed tamen lienis tumor febris eſt accidens, qui quidem ſedatus, etiam febrim facit leuiorem, vt ait Hieronymus.*

*Cæterum ipſius iræ originem ego contemplans, animaduerti alios alijs de cauſis in irã incidere, quibus tamen ferè omnibus opinio contemni ac negligi ſe adfuit.*

Contemptus iram parit.

*Itaque ad manſuetudinem & erga vxorem & amicos non eſt quicquam plus emolumenti adferens quam facilitas & ſimplicitas: ſi diſcamus præſentibus eſſe contenti, neque multa & otioſa requiramus, qualis ille apud Poëtam:*

Simplicitas.

Eſt laude dignus hic, quia nec aſſis nimis,
Neque gaudet elixis: ſus déque fert, cibus
Quo condiatur pacto.

Frugalitas.

*Arceſilaus cùm perigrinos quoſdam, cumq́; his amicos conuiuio accepiſſet, cibo appoſito panes deerant, quod eos emere pueri neglexiſſent, quis hic noſtrûm parietes vociferãdo nõ rupiſſet, at ille ſubridens: qualis, inquit, res eſt, ſapientem eſſe conuiuis aptum?¦ Socrates à palæſtra ſecum duxerat ad cœnam*

» *Euthydemum, ibi cùm Xanthippe irata ac-*
*curriſſet, ac factis conuicijs, menſam ad ex-*
*tremũ ſubuertiſſet: ſurgens Euthydemus ma-*
» *gno concepto dolore abitum parabat, tum So-*
» *crates: nónne, inquit, nuper apud te gallina*
» *quædam inuolans idem hoc fecit nihil me in-*
» *dignante.*

Socratis cœna.

*Amici enim cum facilitate quadam, ri-*
*ſu, & blanditijs ſunt excipiendi, non ſuper-*
*cilijs contractis, aut horrore ac tremore famu-*
*lis incuſſo.*

Amici quõ excipiendi.

*Condocefaciamus etiam nos, vt vaſculis*
*facilè quibuſuis nec hoc magis vtamur qui*
*illo. Quemadmodum nonnulli poculo quo-*
*piam è multis ſibi delecto, ſicuti narrant Ma-*
*rium adamaſſe conchylij teſtam quod nery-*
*tum vocant, nequaquam biberent ex alio.*
*Similiter affecti ſunt erga lecythos ac ſtrigi-*
*les, ex omnibus vnum adamantes. Deinde*
*ſi quod iſtorum comminutum fuerit, aut pe-*
*rierit, grauiter ferunt, ac pœnas ſumunt.*

*Procliui ergo ad iram abſtinendum*
*etiam eſt à rebus raris & curioſè elabo-*
*ratis, qualia ſunt pocula, ſigilla, & pre-*
*cioſi lapides, hæc enim perdita, magis fu-*
*rorem cient quàm partu facilia & quoti-*
*diana.*

Propenſi ad iram à rebus raris abſtinere debent.

*Proinde iræ neque inter iocos dandus eſt*
*locus; amicitiã enim in odium mutat, neque*



*in diſputatione, nam ſtudium cognoſcendi in*
*libidinem contendendi vertit. neque in iudi-*
*cio: poteſtati enim inſolentiam addit, neque*
*in inſtitutione liberali: animo enim mæſti-*
*tiam ingerit, odiúmque diſciplinæ gignit. ne-*
*que in rebus ſecundis, quia inuidiam auget.*
*neque aduerſis: nam miſericordia ſe priuant,*
*qui miſerantibus infenſi ſunt & cum ijs liti-*
*gant.*

Ira vbique damnoſa.

*At enim nos qui feras cicuramus, & lu-*
*porum demulcemus ac leonum catulos in vl-*
*nis circumgeſtamus: ijdem iræ concedentes,*
*liberis, amicis, familiaribúſque eiectis, ſeruis*
*noſtris ciuibúſque, excandeſcentiam animi*
*noſtri quaſi feram immittimus.*

*Et tamen, ſicut Zeno dicebat ſemen eſſe*
*mixturam atque temperaturam ab omnibus* «
*auulſam animæ facultatibus: ſic omnium a-* «
*nimi perturbationum ſemina videntur in irã* «
*confluxiſſe. Nam & doloris particulam* «
*ſumpſit, & voluptatis & inſolentiæ. habet*
*hoc ab inuidentia, quod aliorum è malis gau-*
*dium percipit: deterior eſt homicidij affecta-*
*tione, non enim in hoc elaborat vt nihil pa-*
*tiatur ipſe, ſed cupit malè ſibi eſſe, dummodo*
*alterum perdat: denique concupiſcentiæ id*
*quod eſt minimè iucundum, in ſe habet iræ*
*ſiquidem diſcenda eſt appetitio, quando alteri*
*quis vult ægrè facere.*

*Nimiæ credulitati fortaſsis hoc iniiciam frænum, quo ſibi Plato cauit. qui neque Heliconem mathematicum abs ſe laudatum dicebat, vt natura mutabile animal: & metuere ſe ne qui in ciuitate eſſent bene educati, vtpote homines & ſemen hominum, alicubi naturæ imbecillitatem demonſtrarent. Sophocles autem nimis nobis videtur inſultare, nóſque premere, hæc dicens:*

Homo animal natura mutabile.

Mortalium res perſcrutans, intelliges
Pleráſque turpes. ——

Improuiſa rationem de ſtatu deiicere.

*Subita enim et improuiſa facilè de ſtatu rationis deiiciunt. Oportet autem, vt Panætius alibi docuit, Anaxagoram immitari vtque is narrata filij morte reſpondit, ſciebam*
» *me genuiſſe mortalem: ita irritantibus iden-*
» *tidem nos delictis hoc accinere, Sciebam me*
» *cùm emerem ſeruum, non emiſſe ſapientem:*
*Sciebam me paraſſe amicum, cuius animi motibus eſſet obnoxius: Sciebam mihi mulierem eſſe, cum acciperem mulierem.*

*Quod ſi quis Platonis iſtud, Numnam & ego talis ſum, ſubinde inſuſurrans intrò rationem auertat, ac aliorum reprehenſionibus de cauendo peccato cautionem ſibi inſerat: næ is non magno vitiorum in aliis odio indulſerit, ſeipſum venia plurima indigere ſentiens.*



*Accuratè conſectari & ſcrutari inquirendo omnia, atque in medium protrahere omnia ſerui negotia, omnes amici actiones, omnia filij ſtudia, omnes vxoris ſuſurros: ea verò res iras gignit multas atque continuas & quotidianas, quarum ſumma eò redit, vt moroſi intractabiléſque reddamur.*

« *Super omnia verò illud Empedoclis ma-*
« *gnum quiddam ac diuinum exiſtimabam,*
« *ieiunum eſſe à malitia. Laudabam interim*
« *Et illas non inuenuſtas, nec abhorrentes à*
« *ſtudio ſapientiæ actas in precibus conſuetudi-*
*nes, annum à re venerea vinóque puros viuere, colentes interim Deum temperantia: aut rurſus à mentiendo certum tempus abſtinere, noſipſos interim obſeruantes, vt vera loqua-*
« *mur tum in ludicris, tum in ſerijs rebus o-*
« *mnibus. Deinde hiſce rebus inſtruebam ani-*
« *mum meum, vt qui non minus amet pietatē,*
« *quàm philoſophiam, vt primùm paucos dies*
« *ſacros ſine iraſcendo tranſigerem, velut abſ-*
« *que temulentia vinóque, non aliter quàm*
« *ſi celebraſſem Nephalia aut Meliſponda,*
« *in quibus vinum attingere, aut luxui in-*
*dulgere fas non eſt: Deinde idem faciebam menſem vnum aut duos, pcnlatim mei ipſius periculum ficiens. Sic tempore proficiebam ad vlteriorem malorum tolerantiam, di-*
« *ligenter attendens & conſeruans meipſum,*

Chriſtiano homine digna appēdix.

cum verbis bene ominantibus, placidum iræq; vacuum, purum, & à dictis improbis & à factis abſurdis, & à cupiditate, quæ ob voluptatem exiguam & inuenuſtam, tum turbas ingentes, tum pœnitentiam turpiſsimam adduceret. unde, vt opinor, etiam deo aliqua ex parte adiuuante, ipſa experientia declarauit illud eſſe verè iudicatum, quod placabilitas hæc & manſuetudo & humanitas, nulli familiarium perinde grata eſt, nulli tam amica, nec tam moleſtia carens, quàm ipſis quibus hæc adſunt.

## Ex Plutarchi, De curioſitate, commentariolo.

Domus tenebricoſa mutanda.

Domum, quæ non perflatur, aut tenebricoſa ſit, vel hyemi tempeſtatibus obnoxiam deſerere fortaſsis optimum eſt. ſi quis tamen ob conſuetudinem loco eo delectatur, poteſt ea feneſtris tranſpoſitis, ſcalis mutatis, ac ianuis aliquibus apertis, aliis clauſis, ſplendidior, perſpicabilior, ac ſalubrior redigi. quo genere mutationis quidem vrbibus magnam vtilitatem conciliauerunt: ſicut meam patriā



ad Fauonium ventum inclinatam, Soliſq; radios ſub veſperam Parnaſo incumbentis excipientem, verſus ortum conuerſam à Cherone ferunt.

Empedocles autem phyſicus quodam montis hiatu, vnde grauis & inſalubris in planiciem exhalabat Auſter, obthurato, creditus eſt peſtem ea regione excluſiſſe.

Empedocles phiſicus peſtem excluſit.

At Socrates circumibat perſcrutans, quibus dictis Pythagoras fidem ſibi paraſſet. & Ariſtippus in Iſchomachum ludis Olympicis incidens quæſiuit quibuſnam diſputationibus Socrates ita animos adoleſcentum afficeret: acceptiſque exiguis ſermonum eius ſeminibus atque documentis ita vehementem ſenſit animi ardorē, vt & corpus marceſceret, & planè pallidus graciliſque redderetur, donec ſitibundus & flagrans Athenas nauigauit, ac ipſo de fonte hauſit, Socratémque & doctrinam eius atque philoſophiam cognouit: cuius philoſophiæ finis eſt, perſpicere ſua mala iiſque liberari.

Scientiæ cupiditas & deſiderium. Philoſophiæ finis.

Niſi pulſato priùs oſtio ingredi in alienam domum non eſt moris: & nunc eius rei gratia ianitores habentur: antiquitus mallei ianuis appenſi ſignum dabant, ne ſcilicet alienus matremfamilias in medio offenderet, aut virginem, aut ſeruum vapulantem, aut vociferantes ancillas.

*Ventorum aiebat Ariſto, moleſtiſsimi ſunt ÿ qui nobis reuellunt pallia. Curioſus autem non pallia vicinorum, neque tunicas, ſed parietes detegit, fores reſerat, & ad teneram vſque virginem, non aliter quàm ventus penetrat irrepítque per omnia, bacchanalia, choreas, ac pannichidas, quæ noctu celebrantur Dianæ, perſcrutans & exquirens quod calumnietur.*

» *Et quidem ſcitum eſt illud Ægyptij, qui*
» *interrogatus quidnam id eſſet, quod velatum*
» *gerebat, ideo, inquit, velatũ eſt, vt ignoretur.*
» *Tu quoque, dicerem curioſo, quid inquiris in rẽ*
» *abſconditam? non celaretur, ſi non eſſet malũ.*

Aconitũ.

*Nam ſicut aconitum aliquis guſtans qua-*
» *litatem eius ſcrutandi cauſa pries perit quàm ſaporem ſentiat: ita qui maiorum mala rimantur, ſæpe priùs ſeipſos peſſundant, quàm cognouerint quod quærebant: nam & hos qui præterito copioſiſsimo hoc Solis, & omnibus circumfuſo ſplendore radiorum, ipſum eius orbem liberè intueri, intróque penetrare ſuo v'ſu conantur, luminibus capi videmus.*

Arcana principũ indagare periculoſum.

*Ideò præclarè Philippides comicus poëta, cùm ei Lyſimachus rex quodam tempore dixiſſet, Quánam mearum rerum te impertiam? reſpondit, Modò ne arcano vllo. Quæ enim ſuauiſsima & pulcherrima habent reges, ea conſpectui ſunt expoſita, cœnæ, opes feſtiuitates ſolennes, beneficia. ſi verò arcani quid eſt, caue acceſſeris aut moueris non occultatur gaudium regis fortuna vtentis ſecunda, non riſus iocantis, non beneficij apparatus terribile eſt quod celatur, triſte, riſu & acceſſu periculoſum: iræ puta alicuius latentis reſeruatio, aut ſupplicij atrocis meditatio, aut riualitas aduerſus vxorem, aut ſiniſtra de filio ſuſpicio, aut de amico diffidentia, fuge etiam illam, & ſe condenſantem nubem: non latebit te id quod nunc occultatur, vbi cũ tonitru & fulgure eruperit.*



Terribile quod celatur.

*Conſidera quæ in cœlo, terra, mari, aëre ſunt. Aut enim magnarum aut paruarum rerum contemplatione duceris, ſi magnarum de Sole inquire, quæ eius ortuum & obituum ſit ratio, examina Lunæ tanquam hoıninis mutationes, quò tantum luminis inſumpſerit, atque id vnde recuperet.*

Primum recens cur ex obſcuro prodear,
Fulgore pleno faciem colluſtrans ſuam:
Rurſúmque, poſtquam viſa fuit pulcherrima,
Spoliata ſenſum luce in nihilum diffluat.

*In hiſtoriis enim inueniũtur caſus & ſubitæ*

In hiſtoriis quid reperiatur.

*mortes virorum, mulierum corruptelæ, inſidiæ ſeruorum, calumniæ amicorum, veneni apparatus, inuidiæ, obtrectationes, familiarũ naufragia, principum de ſuo ſtatu deturbatio. Sed apparet curioſum non gaudere obſoletis, verum recentibus malis: & nouas tragœdias cum voluptate ſpectare, comicis & lætis actionibus non admodum libenter intereſſe, itáque ergo nuptias aliquo, aut ſacrificium, aut ſolennem pompam narrante, ſocors eſt negligenſq; auditor homo curioſus, & pleráq; ſe iam antè audiuiſſe ait, iubétque iſta prateriri, & orationem contrahi, ſi verò quis aſsidens vitium virgini oblatum, matronæ adulterium, litis intentationem, diſcordiam fratrum referat, non iam dormitat aut aliis occupatus eſt rebus,*

Verum aures præbet tum, verbáque plura requirit.

" *& profectò dictum illud, Heu, quod mala*
" *magis, quàm res proſperæ ad aures mortaliũ ferùntur, veriſsimè in curioſos competit. Quippe curioſitas, ſtudium eſt audiendi quæ occultata ſunt & latent. at bonum nemo nactus celat: atque adeò etiam quæ non habent bona, ſolent ſibi effingere homines.*

*Ergo malorum cognitionem curioſus affectans, eo tenetur morbo, quod gaudium ex aliorum aduerſis rebus captat, quod vitium*



*eſt inuidentiæ germanum, inuidentia enim eſt dolor conceptus ob res alterius proſperas, gaudium ſeu voluptatem, qua afficimur ob aliena mala, ἐπιχαιρεκακίαν vno verbo Græci dicant, vtrumque horum naſcitur è malignitate, ſæuo & belluino animi affectu. Ita verò moleſta vnicuiuis ſuorum malorum eſt patefactio, vt multi inuenti ſint qui mori maluerunt, quàm ſecretos morbos ſuos medicis oſtendere.*

Gaudiũ ob aliena mala.

*Curioſi verò hæc ipſa, hiſq; adhuc peiora quærunt: neque hoc medendi, ſed tantum patefaciendi cauſa, iure itaque inuiſi & exoſi ſunt.*

Curioſi merito inuiſi.

*Id genus homines raro rus abeunt, quòd* "
*tranquilitatem & ſilentium ſolitudinis fer-* "
*re non poſſunt. Quod ſi eò interdum accedũt,* "
*magis tum vicinorum quàm ſuas inſpiciunt* "
*vites, & interrogant quot boues vicino* "
*mors abſtulerit, aut quantum vini acorem* "
*contraxerit, atque his mox impleti, curſu ſe* "
*proripiunt.* "

*Quod ſi quis forte obuius, dicat nihil eſſe noui, tanquam offenſus, quid ais? inquit, non fuiſti in foro? non prætergreſſus es curiã? non compellaſti eos qui ex Italia venere? Itaque laudanda Locrenſium lex, quæ ſi quis peregrè reuerſus rogaſſet, nunquid noui, eum mulcta afficiebat.*

Locrẽſiũ lex in curioſos.

Curioſi ſunt garruli.

*Iam neceſſe eſt vt multarum rerum cognitioni loquacitas comitetur: itaque* Pythagoras *etiam adoleſcentibus ſilentium quinquennium durans iniunxit,* ἐχεμυθίαν *à ſermone cohibendo dictum.*

Curioſitatis remedium.

*Proinde cōducibile fuerit curioſis ad morbi depulſionem, ſi quàm maximè fieri poteſt, recordenter quæ antè compererunt. Etenim ſi, quemadmodum Simonides dixit, ſe cùm ex interuallo temporis apperiret ſcrinia, alterum quidem quod erat mercedibus dicatum, inuenire plenum, alterum quod gratiis erat ſacrum, vacuum: ita ſi quis ex interuallo curioſitatis penum aperiat inſpiciátque, multis inutilibus, ſuperuacaneis, & inamœnis rebus plenū, fortaſſis ipſum rei facies offendet, cum apparuerit modis omnibus inamabilis ac nugatoria.*

Pedes an oculos in alienas ædes inferre nihil intereſt.

*Secundum eſt proinde, vt adſueſcamus ianuam prætereuntes alienam non intrò adſpicere, neque ob curioſitatem oculis, tanquā manu quæ intus ſunt apprehendere, habeamúſque in promptu potiùs illud Xenocratis dictum, Nihil intereſſe, pedéſne quiſquam an oculos in aliena domo ponat. Nam neque iuſta, neque honeſta, neque ſuauis adeò eſt iſta inſpectio.*



Senſuum officium.

*Debet autem, puto, ſenſus non inſtar petulantis ancillæ foras euagari, ſed cum à mente emittitur ad res, celeriter eas percipere & renunciare, deinde rurſum modeſtè intus cum ratione eſſe, eique parere.*

*Equidem falſum eſt, quod dicitur Democritum ſponte ſua oculos extinxiſſe, in ignitū ſpeculum eos defigentem luminiſque reflectionem accipientem: nimirum ne obturbarent, animum ſæpè foras euocando, ſed veluti feneſtræ proſpectus in viam obthuratæ, intus eum manere ſinerent, ac immorari rebus ſola mente cernendis.*

Spectacula quæ homines ad ſe trahūt fugiēda.

*Quemadmodum enim Socrates monebat cauendos eſſe cibos, qui non eſurientes ad edendum alliciunt, & potus qui faciunt vt non ſitiens bibas: ita nobis fugienda ſunt ſpectacula iſta & auditiones quæ nullo vſu exigente nos ad ſe trahunt.*

*Etenim Oedipum quidem curioſitas in extremas coniecit calamitates. Quærens enim de ſeipſo, vt qui non Corinthius eſſet, ſed peregrinus, Laio occurrit, eóque necato, matrem cum dote regni vxorem duxit, cúmque videretur fœlix, rurſum ſeipſum quærebat, & prohibente vxore tanto magis examinauit ſenem totius rei conſcium, omni neceſſitate vrgens, tandem re iam ei ſuſpicionem iniiciente, & ſene exclamante.*

Heu, reſtat hoc nunc, dicere quod grauiſsimum eſt:

*tamen affectu inflammatus atque tremiſcens ait,*

Mihíque dirũm auditu, ſed tamen audiam.

*Similis eſt origo vocabuli Sycophantæ: quem* Latini *Delatorem, puto dicerent. Eos enim ſic appellabant, qui, cum prohibitum eſſet ficus exteris vendere aut exportare, qui prodebant ac deferebant exportantes, Sycophantæ dicti ſunt.*

Sycophãtæ.

## Ex Plutarchi libello, De tranquilitate animi.

Calceum podagra, neque diadema dolore capitis liberare.

" *Qvippe qui memoria teneas id quod ſæpius audiuiſti, neque calceum podagra, neque annulum precioſum reduuia, neque diadema dolore capitis liberare.*

*I*taque *ſicut Xenophon præcipiebat, debere nos Deorum maximè meminiſſe, iiſque honorem habere, cùm ſecundæ eſſent res: vt vſu flagitante inuocare eos cum fiducia poſſimus, iam ſcilicet propicios atque amicos:* " *illas*



*eas quoque rationes, quæ aduerſus animi perturbationes auxilio ſunt cordati antequã perturbentur meditari debent vt multo antè præparatæ tanto plus habeant virium.*

*Cæterum is qui dixit animi tranquillitatem affectanti neque priuatim multa neque publicè debere agere, primùm magno nobis emendam facit rem, venalem nimirum inertia tanquã vnicuique infirmo præcipiens,*

Quietus in ſtratis mane tuis miſer. Eurip. Oreſt.

*Deinde id quoque falſum eſt, animo tranquillo eſſe eos qui non agant multa.*

Otioſos non eſſe animo tranquillo.

*Enimuero non multitudine aut paucitate actionum, ſed pulchritudine aut turpitudine animi vel tranquillitas definienda vel perturbatio. nam vt dixi, non minus pulchrorũ omiſſio, quàm actio turpium moleſta eſt.*

*Alexander cùm infinitos mundos eſſe ex* "
*Anaxarcho audiuiſſet: fleuit: ac roganti-* "
*bus amicis quid accidiſſet, Non dignum, in-* "
*quit, fletu vobis videtur, ſi cùm ſint infiniti* "
*mũdi, nos ne vno quidẽ etiãnũ potiti ſumus.* "
*Non enim conſuetudo, vt quidem dixit, vitæ optimum modum electum facit iniucundum: ſed prudentia ſimul optimam & ſuauiſſimã parat vitæ rationem.*

*Ludo enim teſſerarum Plato vitam comparabat: vbi & iaciendum eſt quod ſit com-*

T

Vita humana a-leis comparata.

modum, & iactu quod cecidit rectè vſurpandum, ac iácere quidem in noſtra non eſt poteſtate, ſi verò rectè ſapimus, penes nos eſt quod fortuna obtulit conuenienter accipere, & ſuo quódque diſponere loco, vbi & propria maximè conducant & quæ præter voluntatem eueniunt minimè offendant.

Ex aduerſa fortuna commodi quicquã decerpitur.

Ab altera parte homines cordati, ſicut apibus mel præbet thymus, acerrima & aridiſsima herba, ita è rebus aduerſiſsimis ſæpenumerò conueniens aliquid & commodum decerpunt.

Id ergo eſt primo omnium exercitatione perdiſcendum, vt quo pacto is qui canem lapide ferire cum voluiſſet, icta nouerca dixit, Ne ſic quidem iactum lapidis malè cecidiſſe: ita nos quoque ea, quæ nolentibus fortuna obtulit, aliò transferre ſciamus. Actus eſt in exilium Diogenes, ne hoc quidem malè: nam factus extorris, philoſophari cepit.

Correctio fortuitorum

Zeno Citienſis, audito naui oneraria quam vnicam reliquam habebat, vnà cum mercibus eſſe vi fluctuum obrutã atque demerſam, Laudo, inquit, tuum factum ô fortuna, quæ nos in palliolum & porticum redigis.

Ac profectò ad parandam animi tranquillitatem multum conducit, illuſtres viros conſiderare, qui eadem qua nos fortuna æquo ſunt animo vſi.



Iam quoque id multum ad animi trãquillitatem confert, ſi in his quæ nobis inuitis euenerunt, non negligamus in hæc intueri quæ nobis grata & venuſta adſunt: ſed mixtione vtrorumque inſtituta, meliorum momentis deteriora aboleamus.

Mala bonis compẽſanda.

Atqui huc non ineptè transferri poteſt, quod ſcitè dictum eſt in curioſum:

Aliena quorſũ acutè præuides mala,
In propriis cæcus, hominum inuidiſsime?

Et quemadmodum cucurbitulæ medicabiles deterrimum ſanguinem ex carne eliciunt, ſic tu peſsima quæque tuorum in te congeris ipſum, nihilo illo Chio negotiatore melior, qui cùm vinum multum, primæq; bonitatis vẽderet, ipſe ſibi ad cœnam acidum in vappámque deprauatum conquirebat. Cuius ſeruus cùm ab eo fortè confugiſſet, ſciſcitaretúrque ab eo quiſpiam, qua cauſa impulſus dominum reliquiſſet: Quia cùm in manibus, inquit, ei bona eſſent, mala tamen conquirebat.

Plerique enim bonis & ſuauibus rebus præteritis, ad difficilia & toleratu grauia currũt. Ex horum numero non fuit Ariſtippus, gnarus quaſi in trutina meliorum rerum momentis aduerſus incommoda ſeſe ſubleuare atque efferre, itaque prædio amiſſo quodam egregio, ex aliquo eorum qui

maiorem in modum ſe caſum eius dolere & iniquè ferre ſimulabat; quæſiuit, Nonne tu vnicum poſsides agellum, mihi tres fundi ſunt reliqui? Aſſenſiò. Cur itaque non tuam potius vicem doleam, inquit? eſt enim inſani, ob amiſſa dolore affici, non gaudere relictis: ac ſicut pueruli ſi quis ludicrarum rerum vnã ipſis auferat, reliquis etiam omnibus proiectis plorant ac vociferantur, ita a liqua vna innu fortuna nobis obturbante, iniquè ferendo & lamentando cætera omnia nobis reddere inutilia.

Bonorũ noſtrorũ cõſideratio.

Communia quoque negligenda non ſunt, ſed eorum habenda ratio eſt, & gaudendum quod viuimus, valemus, Solem videmus, bellum nullũ, nulla eſt ſeditio, terra cultui, mare nauigationi liberè proſtat, licet nobis loqui, tacere, res agere, otio frui. Hæc præſentia maiorem nobis animi parabunt tranquillitatem, ſi abſentium imagines nobis fingamus, ſæpius nobiſcum memoria repententes, quàm deſiderabilis ſit ægrotanti ſanitas, in bello conſtitutis pax, gloriæ in tanta vrbe & amicorum copia peregrino & ignoto & quàm ſit moleſtum priuari partis ijs.

Cæterum id quoque ad animi tranquillitatem magnopere conducit, maximè quidem ſe & ſuas res intueri, ſin verò id locum non poſsit habere, non cum præſtantioribus ſe



comparare, quo vitio vulgò laboratur.

Nemo ſua ſorte cõtentus.

Nam verbi gratia, qui vincti ſunt, ſolutorum laudant fortunam, ſoluti liberorum, liberi ciuium, ciues diuitum, diuites ſatraparum, ſatrapæ regum, reges Deorum, tantùm non tonare & fulgurare cupientes.

Ambitio & cupiditas honoris.

At verò Thaſius aliquis, Chius, Galata, vel Bythinius, non contentus ſe aliquo inter ſuos ciues loco, in honore & cum potentia eſſe, plorat ſe non geſtare veſtem patriciam, & ſi ferat, quod non ſit prætor Romanorum: & hoc adeptus, quòd non conſul: & conſul quòd non prior, ſed poſterior fuerit enuncitus.

Cõuiuiũ Pittaci.

Pittacus ille, cui magnam fortitudo, magnam ſapientia & iuſtitia parauerunt gloriam, cum hoſpites conuiuio excepiſſet, vxórque irata ſuperueniſſet, & menſam ſubuertiſſet, hoſpitibus perturbatis, vnicuique, inquit, veſtrum eſt mali aliquid, fœliciſsimus hic, cui hoc tantum:

Hic in foro beatus eſſe creditur,
Cùm foribus apertis ſit ſuis miſerrimus:
Imperat mulier, iubet omnia, ſemper litigat.
Multa adferunt illi dolorem, nil mihi.

Id quoque non leuiter tranquillitati mentis obeſt, quod non mediocribus & ad facultates noſtras accomodatis appetitionibus, tanquam velis, vtimur: ſed ſpe maiorum rerum concepta, poſtmodo fruſtrante conatu geniumque fortunámque incuſamus, non noſtram (quod erat rectius) ſtultitiam.

Etenim non infortunatus eſt, qui iaculari aratro, aut boue leporem venari vult: neque ei qui fruſtrà verriculo aut funda captat ceruum, vllus malus aduerſatur genius: ſed ſtultitia & peruerſitas eum ad tentanda impoſsibilia adigunt.

Dioniſyus maior non contentus omnium ea tempeſtate tyrannorum quòd eſſet maximus, irritato atque exaſperato animo quòd Philoxenum poëtam canendo, Platonem diſſerendo non ſuperaret, alterum in lapicidinas coniecit, alterum in Æginam vendidit.

At verò ſunt quæ ſimul locum habere non poſſunt, ſed inuicem pugnant ſtudia: puta ocio opus habet dicendi exercitatio, & mathematum tractatio, atque aliarum vacatione occupationum, facultas ciuilis, & amicitiæ regum, non ſine negotijs & occupationibus parari poſſunt, tum vini & carnium vſus largior, corpus validum ac robuſtum facit, animum imbecillum, aſsidua rei faciundæ cura & conſeruatio dimi-

Vini & carniũ largior vſus animum imbecillũ facit.



auget, contemptus opum ad philoſophiam eſt perquàm vtile viaticum. Hinc quidem conſtat non omnia eſſe omnium, ſed oportere Pythicæ obtemperantem inſcriptioni, Seipſum noſſe: deinde vti ſuo ingenio ad ea, quæ natura factus eſt, neque ad aliud aliudque inſtitutum vitæ tranſeundo naturæ ipſi vim afferre.

Non omnia poſſumus omnes.

Quippe ſtultis id quod præſens eſt, & exiguiſsimo temporis puncto ſe tangendum præbens, deinde ſenſum effugit, non iam amplius ad ipſos pertinere videtur. Stolidi enim bona etiam præſentia non cernunt, neque curant: quòd cogitationes ſuas ſemper futuris habent intentas, prudentes ea quoque, quæ eſſe deſierunt, memoriæ perſpicacitate ſibi præſentia faciunt.

Memoria bonorum.

Vt enim lyræ aut arcus nerui, ita mundi quoque concentus, viciſsitudine quadam intenditur ac remittitur: & in rebus humanis nihil ſinceri, nihil puri eſt.

Ita in rebus humanis cùm ſint oppoſiti inuicem ordines, quando, vt eſt apud Euripidẽ,

Seiungier non poſſunt à bonis mala
Sed eſt eorum, vt res habeant ſatis bene,
Commixtio quædam.

Ac licet Anaxagoræ affectũ animi, à quo

profectum eſt vt de morte filij hanc vocem ederet, Sciebam mortalem eſſe quem genuerã, non admirantes modo, ſed & imitantes, ad ſingulos fortunæ caſus dicere, noueram me diuitias poſsidere in diem durantes & inſtabiles, noueram magiſtratum ab ijs adimi poſſe, qui eo me ornauerant, noueram mihi eſſe probam mulierem, ſed tamen mulierem, noueram amicum eſſe hominem, facilè, vt ait Plato, mutabile animal.

Carneades de magnis rebus admonebat omnem dolorem mærorémque ab hac vna cauſa naſci, quòd inexſpectatò nobis accidit quippiam.

Inſipientem enim mortis metus, non vitæ deſiderium iubet à corpore dependere, id amplexum, quomodo Vliſſes caprificum tenuit metu ſubiectæ Charybdis.

Mortis cõtẽptus.

Manere vbi ventus, nauigare & vbi vetat,
& hoc iniquè ferentem, & illud metuentem.

Atqui hoc licet dicere, viuus nunquam in me iſthuc admittam, non mentiar, non agam ſubdolè, non defraudabo, non inſidiabor. Hoc enim in noſtra ſitum eſt poteſtate, non paruũ, ſed ingens ad animi tranquillitatem adiumentum. Contra malè factorum conſcientia, veluti vlcus in carne, in animo pænitentiam relinquit, pũgentem ſubinde atque ſaucianũ.

Conſciẽtia.



Per quàm mihi placet illud Diogenis dictum, qui hoſpitem Lacedæmone videns parare ſe magno ſtudio ad quandam feſtiuitatẽ, Quid, aiebat? an non vir probus quemuis diem feſtum cenſet? Et quidem, ſi ſobriè viuimus, admodum illuſtrem. Eſt enim ſanctiſſimum templum ac diuiniſsimum hic mũdus. in hunc inducitur homo cùm naſcitur, non manu factorum & immobilium ſpectator futurus ſimulacrorum, ſed earum, quas mens diuina ſenſiles mẽte ſola cernendorum effigies, in ſe inſitam vitæ motúſque habentes facultatem fabricata eſt. Solem inquam, Lunam, ſidera, fluuios nouam ſubinde aquam edentes, terram ſtirpibus animalibúſque alimenta ſubmittentem, quorum ſacrorum initiatio atque inſtitutio perfectiſsima cùm ſit vita, profectò par eſt eam tranquillitatis animi ac lætitiæ eſſe plenam.

Vita perfecta lætitiæ & trãquillitatis plena.

## Ex Plutarchi, De vitioſo pudore Commentariolo.

Eodem modo animi etiam quædam ſunt affectiones non bonæ, ſed quaſi germina è bono pullulantia ingenio, & quod culturæ

*ſe ſatis exhibiturum ſit tractabile. In his etiã vitioſum cenſeo pudorem, qui vt ſignum eſt non malum, ita cauſam prauitati præbet.*

*Etenim ſæpenumerò in eadem cum impudentibus peccata incidunt verecundi: niſi quòd his ſua errata dolorem incutiunt, non, vt illis voluptatem afferunt. nullo enim ob turpitudinem dolore impudens afficitur: in quem facilè etiam ſpecie tantum turpitudinis oblata prolabitur is qui ineptè verecundus eſt.*

*Hoc vitij δυσωπίαν Græci dixerunt, in quo pudoris modus exceditur: quòd vultus quodammodo cum anima deijciatur. Sicut enim κατήφειαν, hoc eſt mæſticiam, vocant dolorem oculos in terram deijcientem: ſic verecũdiam præ qua intueri in alios non audemus, δυσωπίαν dixerunt.*

*Sanè Cato dicebat ſe adoleſcentes magis eos probare qui erubeſcerent quàm qui paleſcerẽt: rectè condocefaciens probrum magis quàm repræhenſionem timere, & ſuſpicionem quàm periculum.*

*Sicut enim agricola cum euellit ſyluestre germen & infrugiferum, ibi valde impactis ligone ſubuertit radicem, aut admoto igni incẽdit: Cæterum cùm vitem aggreditur putandam, aut mâli arborẽ aut oleã tractat, circumſpectè manum admouet, metuẽs ne quid ex his quæ ſana ſunt reſecet: Itidẽ philoſophus: cum*



*ex adoleſcentis animo exiuit inuidiæ infrugiferum germẽ, quodq; non facilè manſueſcit, aut intempeſtiuum pecuniæ ſtudium, aut cum libidinis intemperantiam exſecat, cruentat premitque ac ſectionem & cicatricem profundam facit.*

*Itaque non oportet adoleſcentibus ita penitus vitioſum pudorem eximere, vt ſecuri fiãt nimiſque inuerecundi.*

Sæpe verecundis ſua fert affectio damnum   Homerus. Illia. ω.<br>
Grande, verecũdis ſua ſæpe affectio prodeſt.

*In cœna tibi ſaturo aliquis præbibit, noli verecundia inepta ductus vim tibi facere, ſed depone poculũ. Alius inter pocula poſcit vt teſſeris ſecum ludas: abijce inanem pudorem, neq; metue dicteria: & Xenophanẽ imitare, qui timidus dictus à Laſo Hermionenſe quòd ludere cum eo teſſeris nollet faſſus eſt ad res inhoneſtas ſe timidiſsimũ etiam eſſe. Incidiſti in garrulum qui tibi inhæret ac te detinet: noli vereri, ſed præciſſo colloquio propera & age quod cepiſti. Huiuſmodi fugæ & repulſiones, quibus vili reprehenſione comitante fatui pudoris vacuitatem meditamur, ad maiora nos præparant. Atque hoc loco tempeſtiuum eſt Demoſthenicum illud commemorare, Is cum Athenienſes ad ferendã Harpalo opem ſe, &*

aduerſus Alexandrum arma capeſcenda incitarent, ac ſubito aduenienté Philoxeno copiarum Alexandri maritimarum præfecto, populus perterritus metu conticuiſſet: Quid, inquit, facient Sole conſpecto, qui aduerſus lucernam oculos attolere non audent? Quid enim facies in magnis rebus, rege aut populo pudorem tibi incutiente: ſi non audes poculũ præbibente familiari repudiare, aut garruli præhenſionem effugere? Sed nugatorem tibi inſultare pateris, non tantum animi habens, vt dicas, Alias te videbo nunc non vacat.

Periclis falſum teſtimoniũ

Ego enim ne Periclem quidem probo, qui amico poſtulanti vt falſum pro ipſo teſtimonium, idque iuratus, diceret, reſpondit, Se vſque ad aras amicum eſſe, nimis enim propè acceſſerat.

Pecuniã petẽtibus recuſare.

Eodẽ modo adſueſcere debemus, vt pecuniã petentibus reluctemur in rebus neque magnis neque recuſatu difficilimis.

At verò nos ſæpenumerò hominibus probis, familiaribus, & indigentibus præteritis, alijs continenter ac proteruè petẽtibus damus, non ſtudio dandi, ſed quia negare non poſſumus.

Quæ cùm ſint agedum in vilibus ac quotidianis rebus eminùs nos cõdocefaciamus, vt neq; tonſore neque pictore pudore inepto impulſi vtamur, neque in diuerſorio incommodo



diuertamus omiſſo commodiore quod ad manum eſt, quia in cãpo nos ſæpe ſalutauerit: ſed adſueſcendi gratia vtamur eo quod melius eſt, etiamſi leue ſit diſcrimen, quomodo Pythagorei obſeruabant, ne vnquam dextro femori ſiniſtrum imponerent, néve parem numerũ pro impari acciperẽt, cùm reliqua æqualiter haberent.

Silentiũ ſapientibus reſpõſi loco.

Etenim ſilentium, Euripides ſapientibus eſſe dixit reſponſum, videmur autem magis eo aduerſus iniquos opus habere.

Paupertatem nõ fateri turpe, & turpius eam non effugere.

Paupertatem enim non fateri turpe eſt, vt ait Thucydides, ſed turpius re ipſa non effugere.

Non enim turpe eſt non omnia poſſe: ſed quod non poſſis, & ad quod factus non ſis, id in te recipere & vi velle cõſequi præter quàm quod turpe, etiam moleſtiſſimum eſt.

Themiſtoclis iuſtitia.

Ageſilaus in quodam iudicio iuſſus à patre ſententiam à legibus alienam ferre: à te, inquit, mi pater, iam inde ab initio edoctus ſum legibus parére itaque etiam nunc tibi obtemperabo, nihil in leges peccando. Themiſtocles Simonidi poſtulanti rem iniuſtam, Neque tu, inquit, poëta eſſes bonus, ſi contra carminis legem caneres: neque ego bonus magiſtratus, ſi iudicarem ſecus quàm eſt iuſtum.

Nicoſtratus Argiuus, Archidamum petentem vt Cromnum ſibi traderet, ac promiſ-

*tentem eo nomine magnam vim pecuniæ, & Lacenæ mulieris quamcunque vellet matrimonium, negauit ab Hercule genus ducere, nam Herculem circumiuiſſe terras, vt malos interficeret: Archidamum conari de bonis malos facere. Ita nos quoque homini, qui vir bonus atque preclarus haberi velit, poſtulanti aliquid improbius & vim facienti dicemus, Indigna eum ſua & nobilitate & virtute agere.*

Herculē circumiuiſſe terras vt malos interficeret.

*In vitioſis autem hoc conſiderabis, an auarus tua importunitate poßit eò adigi, vt talentum det mutuum abſque ſyngrapha, aut ambitioſus, vt primo loco cedat, aut magiſtratus gerendi cupidus, vt petitionem dignitatis omittat ſpe propoſita potiundi. Indignum quippe fuerit reuera, cùm videamus hos in vitioſis iſtis affectionibus rigidos, inuictos, immutabiléſque pertendere: nos, qui profitemur honeſti & iuſtitiæ ſtudium, non eſſe monſtrûm ipſorum compotes, ſed ſubuerti & prodere virtutem. Etenim ſi qui poſcendo pudorem nobis incutere volunt, id faciunt gloriæ ac potentiæ parandæ gratia: abſurdum eſt nos ornandis augendiſque aliјs, nobis ipſis dedecus & infamiam conficere, ſicut qui in certaminibus præmia iniuſtè tribuunt & in deſignandis magiſtratibus ſuffragia ad gratiam ferunt: ij dum aliјs perperam hono-*

Abſurdū eſt nos augendis aliis nobis ipſis dedecus parare.

Honores qui perperā aliis cō-



*res, coronas, & gloriam conciliant, ſeipſos bona opinione & honeſtate ſpoliant.*

ſiliant ſeipſos bona opinione & honeſtate ſpoliāt.

*Sin id pecuniæ cauſa faciunt, quî non videatur flagitium, noſtram nos gloriam & virtutem prodigere, vt crumena alterius fiat onuſtior? Atque hæc pleriſque ad animum accidunt, neque fallit ipſos peccare ſe, ſicut qui magna pocula ebibere coguntur, ægrè & gementes vultúmque diſtorquentes perficiunt mandatum.*

*Sed imbecillitas iſta animi ſimilis eſt temperamento corporis quod neque calorem poſſit ferre, neque frigus. Nam & laudati ab ijs, qui petendo pudorem denegandi incutere volunt, protinus franguntur atque emolliuntur: & ad omnem reprehenſionis ſtrepitum, omnémque ſuſpicionem repulſam petentium tremunt atque expaueſcunt. Oportet autem animo aduerſus vtrunque obſeruato, neque terrentibus neque adulantibus credere.*

*Equidem Thucydides docet, quandoquidē neceſſario potentiā ſequatur inuidia, rectè eū ſibi conſulere, qui ob maximas res inuidiam ſubeat. Nos autem inuidiā haud difficulter vitari putantes, in reprehenſiones autem vt non incidamus eorum, quibus cum viuimus, vtque nunquam eos offendamus, fieri non poſſe videntes: ita bene rem inſtituemus, ſi*

iniquorum potius odia in nos ſuſcipiamus, quàm accuſationes iuſtas, vbi illis iniuſtè operam nauauerimus.

Laudes ſuſpectæ quæ ab improbis proficiſcuntur.

*Enimuerò à laudibus, quas importuni iſti in nos conferunt, prorſum adulterinas, cauendum eſt ſummo ſtudio, ne porcorum in morem pruritu & titillatione deliniti patiamur nos tractari ex iſtorum animi ſententia, deiicique vltrò inclinantes.*

*Nihil enim differunt ab his qui crura proſternere volentibus porrigunt, qui aures adulatoribus præbent, niſi quod turpius ſubuertuntur atque cadunt; vel inimicicias, ac malorum ſupplicia hominum dimittentes, vt miſericordes, humanique videantur: vel contra inimicitias & accuſationes non neceſſarias non ſine periculo in ſe recipientes ſuaſu laudantium, ac ſolos eos viros, ſolos adulationis vacuos, adeóque ſolos qui vocem & ora habeant appellantium.*

*Tales Bio ſimiles eſſe dicebat amphorarũ, quæ auribus apprehenſæ facilè circumferuntur. Quo modo Alexinum ferunt ſophiſtam inter deambulandum multa mala dixiſſe de Stilpone Megarenſi: cúmque eorum qui aderant quidam diceret, Atqui Stilpo te nuper laudauit: intuliſſe,* Optimus nanque vir eſt & generoſiſſimus. *Contrà Menedemus, audito ſe ab* Alexino *ſæpe laudari:* Ego autem, *inquit, ſemper vitupero Alexinũ, malus proinde homo eſt, vel qui malum laudat, vel quem bonus vituperat.*



Homo mal⁹ qui malũ laudat.

*Adeò is talibus rebus ſe mutari aut capi non ſinebat: tenens nimirum Antiſtenei illius Herculis præceptum, qui pueros iubebat nemini ipſos laudanti gratiam habere: quod nihil aliud erat, quàm ne inepta verecundia capti, laudantibus viciſſim adularentur. Ac ſufficit, puto illud* Pindari, *qui dicenti, Ego te vbique & apud omnes laudo, Reſpondit: & ego tibi gratiam refero, facio enim vt verax ſis.*

*Sicut enim viatores vbi in ſaxum impegerunt: & nautæ apud promontorium aliquod nauim ſicubi alliſerunt memores ſui caſus nõ iſta modò ad quæ offenderunt, ſed & ſimilia horum perpetuo horrent atque vitant: ita qui vitioſi pudoris turpitudinem & damna continenter pœnitentiæ morſum ſentiente animo reuoluunt, in ſimili re cohibebunt ſe ipſos, neque facilè rurſus in peccatum prolabentur.*

## Ex libello Plutarchi, De fraterno amore.

*ATqui exemplum vſus fraterni natura nõ longè à conſpectu remouit: ſed in ipſo corpore pleraque neceſſaria fecit, duplicia, germana, & gemella, manus, pedes, oculos, aures, nares, eo ſignificans, omnia hæc ſalutis & mutui auxilij, non diſsidij cauſa & pugnæ ſic eſſe diuiſa, ipſáſque manus in multos atq; inæquales ſciſſas digitos omnium inſtrumentorũ accuratiſsimè & artificioſiſsimè parauit.*

*Id verò omnibus eſt manifeſtum, naturam ex vno ſemine ac principio duos, tres, aut etiã plures fratres gignere, non diſcordiæ ac repugnantiæ cauſa, ſed vt ſeparati faciliùs ſeſe mutuo adiuuarent.*

» *Re vera enim pleræq; amicitiæ nihil aliud*
» *ſunt quàm vmbræ & imagines illius primæ,*
» *quam natura liberis erga parentes, fratribúſ-*
» *que aduerſum fratres ingenuit, quam qui non*
*veneratur & colit, an is fidem facit vllam ſe alijs eſſe beneuolum?*

*At verò reliqui omnes, etiam ſi ſecus ſentiant, tamen hoc dicunt atque canunt, primũ*



*ſecundum Deos honorem ac præcipuũ parentibus naturam, & legem naturæ deſtinaſſe: neque dijs quicquam gratius homines facere, quàm ſi parentibus alumniſque ſuis veteres ſuper nouis feneratas gratias benignè & alacriter perſoluant, neque contra maius eſt argumentum impietatis, quàm parentum deſpicatus & in eos iniuriæ.*

Pietas in Deos & parẽtes.

*Quæ autem liberorum actio, quod officiũ, quæ affectio maiorem parentibus afferat lætitiam, quàm conſtans fratrum inter ſe beneuolentia atque amor?*

Parentib⁹ nulla maior lętitia quàm fratrum concordia.

*Ergo contrà amantes & diligentes mutuò fratres, & quantum natura corporibus deiunxit eos, tantum animi affectionibus & actionibus in vnum coëuntes, & ſtudia, orationes, denique ſeria & ioca omnia inter ſe communia habentes, ſuauem & beatum ſenectutis parentum alumnum mutuum amorẽ*
*parant. Nemo vnquam pater ita dicendi, ho-* «
*norũ pecuniæ ſtudioſius fuit, vt liberorũ, itaq;* «
*neque dicentes, neque magiſtratum gerentes,* «
*neque rem augentes filios tam ſuauiter vidẽt,* «
*quàm mutuo amantes.*

*Apollonidem Cyzicenam, Eumenis regis matrem ac trium præterea filiorum Attali, Philetæri, & Athenæi, prædicaſſe ſubinde ſe beatam, dijſque egiſſe, aiunt, gratias, non propter diuitias vel imperiũ ſed quod tres*

filios videret natu maximi eſſe ſatellites, eúmque in medio ipſorum gladios haſtáſque ferentium abſque metu verſari. Contra Xerxes Ochum filium inſidias fratribus ſtruxiſſe cùm comperiſſet mœrore eſt extinctus. Inimicitiæ enim fratrum cùm ſint, vt dixit Euripides, graues, parentibus ipſis ſunt grauiſſimæ: quippe qui fratrem ſuum odit, eúmq; fert moleſtè, non poteſt non & patrem eius & matrem incuſare. Equidem Pyſiſtratus filiis iam adultis aliam ducens vxorem, dicebat quia hos bonos præclaróſque eſſe putaret, velle ſe plurium his ſimilium patrem fieri.

Xerxẽ periſſe ob filiorũ diſcordiã.

Ergo parentum reſpectu fraternus amor talis res eſt, vt qui fratrem diligit, is ſimul demonſtret parentes quoque à ſe amari.

Expurgandum ergo eſt odium fratrum, quod & parentum ſenectutem malè alit, & peſſimè liberos educat. Adde, quòd etiam apud ciues criminibus obijcit, exiſtimant enim ex tanta neceſſitudine, conuictu, & familiaritate fratres ad inimicitias delabi nunquam potuiſſe, niſi multorum & atrocium ſibi inuicem eſſent flagitiorum conſcij, quippe magnas oportet eſſe cauſas, quæ magnã beneuolentiam amicitiámque diſſipent: vnde fit, vt non facilè locus ſit reconciliationi.

Odiũ fratrum.

Nam ſicut quæ compacta ſunt, etiam glutine ſoluto rurſus colligari & coire poſſunt: corpus autem quod natura viuit, ſi rumpatur aut ſcindatur, difficulter glutinari aut rurſum poteſt coaleſcere, ita quas vſus contraxit amicitias, ex diſſidio accidente nullo negotio redintegrantur, fratres vbi naturali amore exciderunt, neque in gratiam facilè redeunt, & reconciliatio ſemper cicatricem ſordidam ac latente malo infectam retinet.



Amicos & compotores, affines & familiares parari alios poſſe, prioribus armorum inſtar aut inſtrumentorum perditis: fratrem recuperari non magis poſſe quàm manum abſciſſam, aut erutum oculum.

Fratrem amiſſum non poſſe recuperari.

Præclarè enim mulier illa Perſica dixit, cùm fratris ſalutem ſaluti liberûm antetuliſſet, Poſſe aliam ſe prolem nanſciſci, fratrem autem, amiſſis parentibus, nullum.

Mulier Perſica quæ fratris ſalutẽ liberorũ ſaluti anteposuit.

Quid ergo agendum, diceres, ſi cui malus obtigerit frater? Primò omnium tenẽdum hoc eſt, vitium omni amicitiæ generi ſe inſinuare: & vt eſt apud Sophoclem,

Mortalium res ſi cunctas examines,
Inuenies in pleriſque turpitudinem.

nam neque cognatorum, neque ſodalium, neque venereus amor ſincerus, purus, nullóque vitio ſuffuſus reperietur.

Equidem Laco quidam cùm puſillam du

*xiſſet vxorem, dicebat de malis minimũ eſſe diligendum fratribus autem hoc modeſtè ſuaſeris, vt familiariſſima potius ſuſtineant mala, quàm aliena experiantur, illud enim quia neceſſitas imponit, culpa & crimine vacat: hoc quia ſponte ſuſcipitur, repræhenſioni eſt obnoxium.*

Mala familiariſſima ferẽda potius quàm aliena experiri.

*Atqui contrà fratris eſt opus vbi iraſcuntur fratri parentes, partem iræ ſubire atque in ſe recipere, eámque veluti labore adiuuando faciliorem reddere.*

*Cæterum vbi mortuus eſt pater, rectum eſt fratres magis etiam quàm priùs beneuolentiæ mutuæ eſſe tenaces, ita vt primum in deplorando ac mœrendo ſocietas quædam cernatur: deinde ſuſpiciones ac calumniæ ſeruorum atque aliorum quorum alij huic fratrum, alij alijs ſeſe accommodant, repellantur: credantq; fratres cùm alia eſſe vera, quæ de Caſtorum fraterno amore fabulis ſunt prodita, tum quod Pollux quendam de fratre neſcio quid rumuſculi ſibi inſuſurrantem pugno impacto trucidauit.*

Pollux quẽdã de fratre apud ſe ſuſurrantẽ trucidauit.

*Quid enim fraterna charitate præclariùs! quid illuſtrius excogitari poteſt? quid contrà odio, ſimultate, ſeditionéque turpius, & à quo magis ipſa abhorreat natura?*

*Qui autem in re familiari fratres hortatur, maximè quidem vt quod ciuibus præcipiebat Plato meum & tuum exterminent: ſi verò id fieri nequeat, ſaltem vt æqualitatem colant atque teneant: is egregium concordiæ & pacis fundamẽtum iaciens, identidem etiã illuſtribus hoc exemplis confirmet. Quale eſt Pittaci, qui à rege Lydorum interrogatus an pecunias poſſideret: Duplas reſpõdit ſe potuiſſe habere, ſiquidem voluiſſet fratre mortuo.*



Meum & tuum.

*Ergo ei qui fratres præſtat hoc cõſuluerim, primum vt quibus rebus videtur excellere, eas communicet cum fratribus, amicéque eos in ſuæ gloriæ partem adoptet, eloquentia, verbi gratia, antecedis fratrem: vtendam ei tuam facultatem, tanquam cum ipſo communem præbe.*

*Sic Lucullus noluit prior fratre minore natu magiſtratum gerere, ſed ſuo anno prætermiſſo, fratris annum præſtolatus eſt. Pollux ne Deus quidem ſolus, ſed ſemideus vnà cum fratre eſſe voluit, ac in partem mortalitatis venire, vt immortalitate ſua eum impertiret.*

Pollux fratrẽ immortalitate donauit.

*Non debent autem fratres lancium inſtar in trutina, alter altero elato deprimi, humiliatoq; extolli, ſed alter alterius bonis vnà augeri ac viciſſim ad creſcendum aliquid momenti afferre, quo pacto exigui numeri magnis vltro citróque multiplicando ſimul excreſcunt.*

Vt digitorum ſic fratrũ mutuæ operę eſſe debent.

*Quippe etiam inter digitos is qui ſcribere aut pſallere neſcit id ſciente non eſt deteriore conditione, ſed mouetur vnà & omnes quodammodò mutuas tradunt operas: tanquam dedita opera facti inæquales, itaque oppoſiti, vt parui maioribus adiumento eſſent.*

» *Verum ætatis ratione aliæ inter non recti* » *inſtitutos fratres incidunt ſtatim diſcordiæ.* » *Etenim natu maiores iunioribus dum volũt* » *imperare ac præeſſe, omníque in re eos & gloria & potentia anteire, moleſti ſunt & iniucundi, contráque minores frænum auerſando & ferociendo ad deſpectum & contemptum maiorum ſe adſuefaciunt, hinc fit, vt & iuniores fugiant, ægréque ferant admonitiones maiorum, inuideri ſibi, ſéque opprimi ab his putantes: & natu maiores excellentiam vndiquaque affectantes, minorum incremẽta timeant, tanquam ipſos deiectura.*

Offenſæ leues vitandæ.

*Sunt porrò fratribus ætate propinquis etiã alia quædam cauenda, exigua quidem hæc ſed continentia & crebra, prauúmque inuicem offendendi iritandíque ſtudium ingenerantia, quod in immedicabile odium, extremãq; abit maleuolentiam.*

*Imitandique ſunt hoc loco* Pythagorici, » *qui non generis ſed doctrinæ duntaxat ſocie-* » *tate iuncti, ſi quando per iram ad maledicta* » *prorupiſſent, ante ſolis occubitum dextris mu-*



*tuò datis & ſalutatione facta gratiam redin-* « *tegrauerunt.* «

*Operæ eſt precium in præſentia diſceptationem audire barbarorum fratrum, non de particula eam agelli, aut mancipijs, vel pecore, ſed de regno Perſiæ. Mortuo Dario, alij regnum Ariameni, vt de filijs eius natu maximo deferebant, alij Xerxi, qui ex Atoſſa fi-* « *lia Cyri, Dario iam regum gerẽte natus erat.* « *Deſcendit itaque* Ariamenes *è Meda non* « *bellico apparatu, ſed placidè ad iudiciũ, Xerxes, qui præſens ea agebat quæ erant regis, veniente fratre, depoſito diademate, & deiecta tiara quam erectam ferant reges, occurrit fra-* « *tri cúmque ſalutauit, ac dona mittens, dicere* « *eos qui portabant iuſſit: His te nunc honorat* « *Xerxes frater tuus, qui ſi rex iudicio & ſuf-* « *fragio Perſarum declarabitur, proximum ti-* « *bi à ſe locum tribuit. Reſpondit Ariamenes:* « *Ego dona quidem accipio, regnum autem in* « *Perſas mihi cenſeo deberi, honorem tamen fra* « *tribus meis minoribus ſeruabo ſuum, & pri-* « *mo inter fratres Xerxi. Inſtante porrò iudi-* « *cij die Perſæ communi ſententia, Artabanum* « *iudicem deſignauerunt. Hic Xerxi, quòd* » *multitudini fideret, iudicem recuſanti* Atoſſa « *obiurgans, Quid fugis, inquit,* Artabanum *pa-* « *truum & Perſarum optimum fili? idque cer-* « *tamen metuis, in quo præclarũ eſt, ſi vincare,* «

Fraterna beneuolentia.

» fratrem regis Perſarum ſecundo te loco vocari?
» Xerxe obtẽperante, & cauſa cognita Arta-
» banus pronunciauit Xerxi regnum cõuenire.
» Ariamenes autem proſiliens ſtatim fra-
» trem adorauit, dextráque apprehenſum ſuum
» in ſolium regium collocauit. Exinde primo
» apud eum loco habitus, beneuolum ſe præbuit:
» ita quidem, vt pro gloria fratri nauali apud
» Salaminam prælio præclarè pugnans cecide-
» rit. Atque hoc tanquam purum & inculpa-
» bile exemplar beneuolentiæ & magnanimi-
» tatis propoſitum eſto.

Antiochi in fratrẽ beneuolentia.

Antiochi verò vt iure cupiditatem re-gnandi vituperaueris, ita amorem erga fratrẽ non planè ea obrutum mirari decet. Bellum Antiochus regni cauſa faciebat Seleuco fratri, minor ipſe ætate, matre auxilium ferente, vigente eo bello, pugna cum Gallatis congreſſus Seleucus & victus, nuſquam apparebat, credebatúrque periiſſe, toto exercitu à barbaris occidione occiſo. Antiochus hoc nuncio allato, purpuram depoſuit, pulláque ſumpta veſte, & clauſa regia fratrem luxit, paulopoſt audito eum viuere & alium exercitũ colligere, progreſſus diis ſacrificauit, vrbibusq; ſibi ſubiectis imperauit vt ſacrificarent & ſerta gererent.

Depræcationi dãda venia.

Iam petere gratiam delicti non minorem demonſtrat beneuolentiã atque amorem, quã eam facere peccanti, ergo neque negligere debemus ira commotos, & deprecantibus nequaquam repugnare: ſed & ipſi vbi quid offendimus, anteuertere deprecatione iram: & ipſam, vbi nos ſumus læſi, deprecationẽ danda venia.



Celebris eſt in ſcholis fama Euclidis Socratici, quòd audita iniqua & belluina voce fratris, qui diceret, Peream niſi te vlciſcar, reſpõdit: Ego verò peream, niſi tibi perſuaſero, vt poſita ira nos ames ſicut olim.

Cãbyſes fratrẽ interemit.

At Cambyſes ſomnio territus fratrem ſuũ quem regem Aſiæ futurum erat imaginatus, nulla interpoſita quæſtione, nulla demonſtratione, interfecit: quo factum eſt vt ipſo mortuo regnum à ſtirpe Cyri in Darium transferretur eiusq; poſteritatem, qui non fratres modò, ſed amicos etiam admittere in ſocietatem rerum & potentiæ nouerat.

Gallina Aeſopi.

Quare ſicut gallina illa apud Æſopũ feli percontanti ficta beneuolentia ex ægrotante ipſa, Quomodo valeret, reſpondit: Bene, ſi tu diſcedas: ita tali homini ſermonem iniicienti de diſcordia & arcana eruere molienti quædam dicendum eſt, Nihil mihi cum fratre eſt litis, ſi vterque noſtrũ calumniatoribus aures non præbeamus.

Proinde (ipſa diſputatiõe id qđ cõtinuò ſubſequitũ ſuggerẽte) qđ rectè dixit Theophraſtus

*Si omnia amicorum ſint communia, maximè debere amicorum communes eſſe amicos: id non vltimo loco fratribus eſt præcipiendum. Dum enim ſeorſum ac pro ſe alij cum aliis conſuetudinem vitæ ſocietatémque colunt, ipſi inuicem diuelluntur, quia dum amant diuerſos, ſequitur vt gaudeăt etiam diuerſis, diuerſos æmulentur, à diuerſis ducantur.*

*Neque verò communes amicitiæ admittunt calumnias, aut offenſiones: ſed etiamſi quid iræ aut obiurgationis inciderit, eluunt id in medio interpoſiti amici, atque exceptum diſsipant: ſi quidem ambobus ex æquo faueant.*

» *Sic* Plato *ſororis ſuæ, filium Speuſippum*
» *è magna negligentia & intemperantia reuo-*
» *cauit nulla voce, nullo facto ei moleſtus, nam*
» *fugienti parentes criminum eum cõuincentes,*
» *& maledictis eum inceſſentes, placidum ſe*
» *& iræ vacuum dans magnum homini pu-*
» *dorem, ſuique & philoſophiæ admirationem*
» *incuſsit, cúmque à multis repræhenderetur,*
» *quòd non caſtigaret adoleſcentem: Ego verò,*
» *inquit, caſtigo, vita meæ ratione ipſi demon-*
» *ſtrans quod ſit honeſtorũ & turpium diſcrimen.*



# Ex Plutarchi, De garrulitate, libello.

*SAnè difficilem curatu morbum philoſophia garrulitatem ſuſcipit, mederique ei conatur, nam oratio, quæ aduerſus eum morbum valet medicina, audientium eſt: garruli verò neminem audiunt, ſemper loquũtur, idq; adeo primũ mali ijs qui tacere neſciunt adeſt, quòd nihil audiunt.*

Garruli neminẽ audiunt ſemper loquuntur.

*Eſt enim iſta impotentia quaſi vltrò accita quædam ſurditas, hominum, vt apparet, vitium naturam culpantium, quòd vnicam ea linguam, duas aures dedit.*

*Si tamen videbitur, nihil intentatum eſſe relinquendum, hoc dicamus ad garrulum,*

Sile puer, bona multa habet ſilentium:

*duo autem hæc & prima & maxima, Audire & Audiri, quorum neutrum contingit garrulis, ſed & eo ipſo quod appetunt, infeliciter, ac cum animi moleſtia excidunt.*

Audire & audiri duo prima & maxima neutrúmque garrulis cõtĩgere.

*Et quemadmodum orto ſilentio in collocutione aliqua, Mercurium aiunt ſubintraſſe: ita cùm in conſeſſum aut conuiuium noto-*

Garrulis neminē adeſſe velle.

*rum garrulus aliquis ſe infert, omnes obticēt, quia anſam præbere loquendi ei nolunt, & ſi ipſe vltro hiſcit, illico vniuerſi digrediuntur, æſtum & nauſeam veluti Borea circa maritimum promontorium fremente præuidentes. Quo fit, vt neque in cōuiuio vnà adeſſe quiſquam velit, neq; niſi coactus cōtubernio eorū comitatuq; in itinere aut nauigatione vtatur, adeò vſquequaq; vrgent veſtes præhendendo, & barbā, ac manu latus fodiendo. Qua in re ſummus honor pedibus debetur, ſecundū Archilocum: immo autem de ſapientiſſimi Ariſtotelis ſententia. Hic enim à Garrulo quodā vexatus & abſurdis quibuſdā narrationibus exagitatus ſubinde dicenti, Nónne hoc mirū eſt Ariſtoteles? reſpondit: Non profecto hoc eſt mirum, ſed ſi quis pedibus præditus te ſuſtinet. Aliique cuidam id genus homini poſt multa verba dicenti, Moleſtus tibi mea loquacitate fui philoſophe: Non mehercle, inquit, nō enim aduerti animum.*

*Qui in venerem ſunt procliues, eorū ſemen*
» *aiunt eſſe ſterile, ita & garrulorum ſermo im-*
» *perfectus eſt atque inutilis.*
»

Natura linguam vallis coërcuit.

*At vero nullum noſtrorum membrorū natura perinde atque linguā vallo coërcuit, poſitis ante eam præſidij loco dētibus: vt ſi rationi intus obedire nollens proſiliret, morſibus eam laniantes eius cōpeſceremus intemperantiā.*



*Qui vero exiſtimant ædes foribus carentes, aut crumenam quæ claudi non poſſit, nullo vſui eſſe: ore interim ſemper aperto ſemper foras diffluentes, quo modo Pontus per ſuū oſtiū ſemper in Propontidem effluit, ij videntur ſermonē pro re omnium abiectiſſima ducere, vnde eſt quod fides ijs non habetur: quam quidē omnis oratio expetit. Eſt enim ſuus orationis finis, fidem facere audientibus: loquacibus, ne ſi vera quidem dicant fides habetur.*

Fides orationis finis.

Garrulis nulla fides habetur etiāſi vera dicant.

*Iam ebrietatē verecundus quiſque & modeſtus vitat, nā quod fert quorundam opinio, inſaniæ comes eſt ira, contubernalis ebrietas. immo vt inſaniæ cedit duratione, ita eam hoc ſuperat, quod vltro adſciſcitur.*

*At nullo tātopere culpatur nomine ebrietas, atque intemperantia & infinitate loquēdi.*

Nam vinum vel prudentem cantare coëgit, «
Et tenerum ridere, pedéſque inferre choreis,
Atque tacenda loqui, nec idonea dicere dictu. «

Vinū prudētes cantare cogit.

*Quid autē, ſi hoc fit à poëta propoſitū ad id quod apud philoſophos quæritur ſoluendū de vinolentiæ & ebrietatis diſcrimine? vt vinolentiæ animi quandā remiſſionem & leuitatem, ebrietati facilitatem tribuerit.*

*Quod enim eſt in corde ſobrij, id eſt in lingua*

Stultũ inter pocula tacere nõ poſſe.

ebrij, vt prouerbio fertur, hinc Bias in quodã conuiuio, cùm ſibi tacenti à garrulo quodam ſtoliditas obijceretur, Quis verò, dixit, ſtultus inter pocula poſſet tacere?

Siletiũ inter pocula res laudabilis.

Athenis autem quidam conuiuium regij legatis præbens, operam dedit vt ijs hoc cupientibus philoſophos eódem conduceret, ibi cùm reliqui colloquio inſtituto vltro citroq; pro ſua quiſque perſona diſſeruiſſent, Zenonem, qui tacitus ſe continebat, comiter allocuti hoſpites cùm ſalutaſſent poculo, De te verò, aiebant, quid dicemus regi? Reſpondit Zeno: aliud nihil, quàm eſſe ſenem Athenis qui inter pocula ſilere ſciet, adeò profundum quiddam, & arcani ſacri ſimile, ac ſobrium eſt ſilentium, at ebrietas loquax eſt, mente enim & prudentia vacat, idcóque vocalis eſt.

Potatio nõ culpatur, ſi coniunctũ habeat ſilentium.

Philoſophi porro ebrietatem definientes, vaniloquentiã in vino aiunt eſſe, ita potatio non culpatur, ſi coniunctum ei ſit ſilentium, ſed ſtulta loquela de vinolentia redigit ebrietatem. Enimuerò ebrius in vino nugatur: garrulus vbique, in foro, in theatro, in ambulatione, interdiu, noctu, ægrotũ curans ipſo morbo moleſtior eſt, vnà nauigans, quàm nauſea, laudans repræhendente. Malunt etiam colloqui cum prauis hominibus linguæ potentibus, quàm cum bonis garrulis. Neſtor Sophocleus Aiacem exaſperatum verbis demi-





tigans, moratè hoc dixit:

Non culpo te: maledicis enim, faciens bene.

Primum ergo id eius in mentem reuocemus, quod ſicut nonnulli vinum voluptatis blandæq; conſuetudinis inuentum, nimium alios & merum bibere cogentes quoſdam in triſtitiam & temulentiam conijciunt: ita ſermonem, cuius ſuauiſſimum & humaniſſimũ eſt commercium, qui malè eo ac temerè vtuntur, inhumanum ac inſociabilem reddunt, moleſtiáque afficiunt eos quibus ſe putant gratificari, & deridentur ab ijs quibus miros videri volunt, inuiſiq; eorum cauſa fiunt ob quæ ſe amari cupiunt.

Iam reliquorum vitia quædam cum periculo coniuncta ſint, alia odioſa, partim ridicula: omnia hæc garrulitati cõgruunt, ſubſannantur enim cùm narrant communia: in odiũ incurrunt mala annunciãtes, in periculum veniunt arcanorum incontinentes. Nam abs re Anacharſis à Solone conuiuio exceptus, cùm poſtea obdormiuiſſet, conſpectus eſt læua manu pudendis, dextra ori impoſita cenſuit nanque, rectéque cenſuit linguam validiori coërcendam fræno.

Non enim facilè tot viros numerare poſſis qui ob veneream libidinẽ perierint, quot vrbes & imperia ſecretum proditum euertit.

*Obſidebat Athenas Sylla, neque ei vacabat trahere obſidionem, alio vrgente negotio: cùm & Aſiam ſubito cœpiſſet Mithridates, & Mariana factio rurſum Romæ obtineret. Sed cùm ſenes quidam in tonſtrina diſputarent, Heptachalcum non teneri præſidio, ac periculum eſſe ne ea parte vrbs caperetur: exploratores eum ſermonem exceptum ad Syllam retulerunt. Sylla ſtatim exercitum adduxit, ac circa mediam noctem in vrbem perduxit, ac parum ſanè abfuit, quin Athenas ſolo æquaret: cædibus quidem & cadaueribus ita opleuit, vt Ceramicus ſanguine fluxerit. Iratus autem Athenienſibus Sylla magis ob dicta quàm ob facta erat, maledictis enim impetebant ipſum & Metellam, exſilientes in muros, & conuicia iactantes,*

[Atheniẽſes ob rẽ leuiſſimã grauiſſimas dederunt pœnas.]

Morum farina conſperſum Syllas ſonat,

*& multa alia id genus nugantes, rei, vt Plato ait, leuiſſimæ ſermonis pœnam grauiſſimã ſibi acciuerunt.*

*Ne Roma Nerone exonerata libertatem conſequeretur, vnius factum eſt hominis futilitate, vnica reſtabat nox, poſtquam pereundum fuerat tyranno omnibus iam ad hoc inſtructis rebus, Qui autem eum erat interfecturus, in theatrum vadens, conſpicatus in foribus quendam vinctum qui ad Neronem du-*

[Hominis vnius futilitate Neronis tyrãnide Romam]



*cendus ſuam lamentabatur fortunam, propè accedens in aurem homini inſuſurrauit: Precare tantum vt hæc dies abeat, cras mihi ages gratias. Is verò hoc obliquè dictum arripuit, ac nimirum intelligens eſſe*

[non liberatam.]

Stultum qui quærit certis incerta relictis:

*certiorem ſalutem iuſtiori prætulit, Neroniq; vocem iſtam renunciauit. Ille ergo ſtatim arreptus eſt, & tormenta homini, ignes, ac flagella adhibita: neganti neceſſitate impoſita dicendi, quæ nulla re antè cogente prodiderat.*

*At Zeno philoſophus, ne corpus neceſſitate expugnatum arcanum animi vllum poſſet efferre, linguam dentibus abſciſſam in tyrannum exſpuit.*

*Vnde, puto, eſt, quòd loquendi magiſtros habemus homines, tacendi Deos: adhibito ad ſacrificia & arcanos ritus ſilentio. Homerus porrò Vlyſſi facundiſſimo homini ſummam adſcripſit taciturnitatem: itémque filio eius, & vxori, & nutrici. Audis enim dicentem hanc,*

Hæc tacita vt ferrum vel quercus dura tenebo.

[Odyſ. r.]

*Tales etiam plerique ſociorum Vliſſis fuerunt, quot enim rapti, ſolóque alliſi à Cyclope Vliſſem nõ prodiderunt, neque ignitum illud, & ad oculum eruendum adornatum inſtru-*

[Vliſsis ſociorũ fidelitas.]

*mentum indicauerunt, ſed crudi vorari quã arcanum quicquam efferre maluerunt: maioris fuit quàm quæ excedi poſſet continentia ac fidei.*

Lingua bonorũ & malorũ inſtrumentũ.

*Proinde Pittacus rectè, cùm ei hoſtiã miſiſſet rex Ægypti iuſſiſſetque optimã & peſſimam carnem eximere, exemptam linguam ei miſit: vt cùm bonorum, tum malorum maximorum inſtrumentum.*

*Antigonus ille rex, filio quærẽti quando caſtra eſſet moturi: Quid, inquit, metuis ne ſolus tu non audias tubam? Ergo vocem ei arcanã non credidit, quem erat regni hæredem habiturus, immò autem docuit eum in talibus rebus continenter ſe & cautè gerere.*

Metellus ne tunicã quidẽ ſui conſilij participẽ voluit.

*Metellus ſenex militiæ ſimile aliquid interrogatus: Si, inquit, ſcirem tunicam meam arcani mihi conſciam, exutam profectò in ignem abijcerem.*

*Quippe nauim à vento correptam funibus & anchoris inhibent, eiúſque velocitatẽ frangunt, orationi tanquàm è portu ſemel egreſſæ, nulla ſtatio, nullus anchoræ iactus eſt reliquus; ſed magno cum ſonitu & fragore vecta autorem in graue magnúmque aliquod conijcit ac demergit periculum.*

Namque exigua de lampade Idæũ nemus
Succendere poſsis, atque vni quod



dixeris,
Facilè hoc per ciuium aures ierit omnium.

Conſiliũ non eſſe mulieribus aperiendum.

*Romanus ſenatus occultũ aliquod conſiliũ per aliquot dies intra ſe agitauerat, cumq́; res ea multũ obſcuritatis haberet, variasq́; excitaret ſuſpiciones, quendam ſenatorum, mulier aliàs pudica, ſed tamen mulier, maiorẽ in modum precibus inſtando vrgebat, vt arcanum ſibi aperiret: deierans interim ſe ſilentio rem tecturam, & ni faceret diris ſeſe deuouens execrationibus, flénſque & quiritans fidem ſibi non haberi. Ille vt ſtulticiæ eam ſuæ coargueret, vincis, ait, mea vxor: proinde audi terribilem rem atque prodigioſam, relatum ad nos eſt à ſacerdotibus, caſſitam viſam eſſe volantem cum galea aurea & haſta, de eo oſtento vnà cum auguribus deliberamus, ac anxiè diſquirimus, bonîve an mali aliquid denunciet, tu verò tace. hæc locutus, in forum proceſſit. At verò mulier, ancillam, quæ primùm intrauerat, arripiens, pectus ſuum plangens & crines ſcindens, Eheu, inquit, mi vir, mea patria quid nobis fiet? volens decénſque ancillam quærere, Quidnam igitur euenit? Ancilla, poſtquã interroganti mulier rem narrauit, addiditq́; cõmunẽ omnis loquacitatis clauſulam, Caue ne cui hæc dixeris, & tace: vix dum à domina vt eſt digreſſa, vnà ſeruienti*

» alteri, quàm maximè videbat ocioſam, narra-
» tionem inijcit. Illa amatori ſuo ad ſe venienti
» exponit. Hæc modo fabula in forum deuolata,
» ita vt præcurreret autorem, quidam ad eum notus accurrit, & an recèns domo adueniat quærit. Ait ille. Nihil ergo, inquit, noui inaudiuiſti? Quid, ait ille? an noui aliquid euenit? Tum alter: Caßita, inquit, conſpecta eſt volans, haſta aurea caßide ac de eo principes ſenatum habebunt oſtento. Ibi ridens iſte, Laudo, ait, mulier celeritatem tuam, qua factũ eſt vt me in forum euntem ſermo hic anteuerterit. Proinde ad magiſtratũ acceßit, eóſque trepidatione liberauit. Vt autẽ mulierẽ vlciſceretur, domũ reuerſus, Perdidiſti me, inquit, mulier: compertũ eſt enim è domo mea in publicũ elatum eſſe arcanum: itaque ob tuã incontinentiam ſolum mutare cogor. Eunti que infícias, & dicenti, Quaſi verò tu non trecenteſimus ipſe hæc audieris? Quomodo, inquit, trecenteſimus, qui te vrgente vt periculũ facerem poſſéſne audita reticere: iſthuc confinxerim? Atque hic quidem mulieris ſuæ continentiã probauit, veluti in vas fathiſcens non vinum aut oleum, ſed aquam infundens.

Curioſitatis mala.

Præterea garrulitati malum hoc ipſo nõ minus malo adeſt curioſitas. Multa enim audire volunt garruli vt multa habeant quæ dicãt, ac maximè arcana & abſcondita ſcrutantur



atque inueſtigant, futilitati tãquam materiẽ quandam obſoletam ſarcinarum apponentes. Deindè ſunt inſtar puerorũ, qui glaciem neq; tenere volunt neque dimittere: immò veluti ſerpentibus in ſinum collectis, non continent, ſed ab ijs perroduntur.

Pueros glaciem neque tenere neq; dimittere, velle.

Belonas piſces, & viperas partu rumpi aiunt, Arcana autem eos qui non continent, foras elapſa perdunt.

Saleucus Callinicus in pugna aduerſus Galatas omni exercitu, omnibus copijs amißis, abiecto diademate eques tribus vel quatuor comitantibus profugit: & per auia longũ iter vagatus, ac iam animũ ob inopiam deſpondens, ad caſam quãdam peruenit, ac cùm forte fortuna in dominum eius incidiſſet, panem & aquã petijt, is non iſta modò, ſed & quæ alia ruri aderant liberaliter comitérque præbuit, cumq; faciem regis agnouiſſet, non continuit ſe præ gaudio iſtius caſus, neque cupientis latere regis diſsimulationem adiuuit ſed cùm ad viã vſq; deduxiſſet, & iam diſcederet, Salue, dixit, ô Rex Saleuce. Tum rex porrecta dextra eum ad ſe trahens velut oſculaturus, vni comitum innuit vt ceruicem homini præcideret:

Sic caput éſtque loquentis adhuc
cum puluere miſtum.

qui ſi tacuiſſet, & ſe aliquantulum repreßiſſet, paulo poſt à rege rurſum florente & opi-

bus aucto maiorem puto pro ſilentio quàm pro hoſpitalitate gratiam retuliſſet.

*Tõſores garruli.*

Non autem eſt abs re tonſores eſſe loquaces: nam loquaciſſimi ad eos confluũt ijſq; adſident: ita vt cõſuetudinem inde garriendi parent. Itaque eleganter Archelaus rex garrulo tonſori, qui iã tectis linteo humeris quærebat, Quomodo te tondebo rex? reſpõdit, Tacens.

*Tonſor ſua garrulitate rotæ alligatus.*

Sed & Athenienſium magnã in Sicilia acceptam cladem tonſor primus annunciauit, qui cum de ea inaudiuiſſet in Piræo exinde fuga elapſorum cuiuſdã ſeruo, ſtatim officina relicta cõtento curſu in Aſtu proripuit, ibi orto, vt ſolet, tumultu, populus in concionẽ collectus, autorẽ rumoris quæſiuit: adducitur ergo tonſor ille, examinatur: qui ſanè etiam nomẽ indicis ignorabat & principiũ rumoris ſparſi, in ignotam ac nomine carentem perſonam referebat. Exinde fremitus & clamor in theatro, Torque & excrucia ſceleſtũ, qui iſthæc finxit atque compoſuit: quis enim alius audiuit? quis credidit. Adfertur rota, intenditur tonſor, ſub hoc ipſum adſunt nuncij calamitatis, qui ex ipſa clade profugerent: itaque diſsipati omnes ſinguli ad ſuos ſunt luctus, miſerũ tonſorem rotæ alligatum relinquentes. Atque is ſero & iam ſub veſperã ſolutus, è lictore quæſiuit, Audiuiſſéntne etiã de Nicia duce exercitus quo is modo perierit.

*Garrulitas cõſue tudine fit*

Adeò ſit inexpu-



gnabile & inemandabile malum ſit conſuetudine garrulitas.

*malũ inemandabile.*

Sicut enim in corpore ad malè affectas & dolore correptas partes feruntur atque vergũt quæ ſunt in vicinia: ſic loquaciũ lingua perpetuò inflammatione laborans atque palpitatione, trahit & adducit ad ſe aliquid arcanorum & abſconditorum.

Oportet igitur linguam obthuratam habere, & ratione veluti obice linguæ oppoſito idẽtidem fluxum eius lapſúſque cohibere: ne ſtultiores anſeribus videamur eſſe, quos, aiunt, cum è Cilicia tranſuolant Taurum montem aquilarum plenum, ſingulos recepto in os iuſtæ magnitudinis lapide, quo tanquam fræno aut clauſtro vocem compeſcant, ita noctu latentes traijcere.

*Anſeres qũo vocẽ retineant Taurum montem tranſuolantes.*

Iam ſi quis quærat quiſnam hominum peſſimus atque perditiſſimus ſit, nemo vtique proditore omiſſò alium quẽquam præter garrulum reſponderet.

*Garrulus operã ſuã vltro offert.*

Garrulus autem proditor eſt nullo conductus precio, vltróque ſuam offert operam, non equos prodens, aut munitiones, ſed arcana publicans dicta in iudicijs, in ſeditionibus, in certaminibus de Repub. nemine ipſi agente gratias, quas ipſe vltrò debet ſi audiatur.

Vitia enim iudicio & exercitatione cũ vincantur iudiciũ præcedat oportet, nemo enim ſe

adſuefacit ad vitandum, & ex animo euellendum ea, quæ moleſta ei non ſunt; inuiſa autem nobis fiunt vitia, cùm ratione perſpicimus quæ damna ea dent, quàm adferant turpitudinem.

Silentij & breuiloquentiæ laus.

Secundo loco rationes ſunt ſubducendæ eorum, quæ à contraria virtute eueniunt, bonorum, ſempérque audiendæ, memoritérque tenendæ, & in promptu habendæ ſunt taciturnitatis & ſilentij laudes, eorúmque maieſtas, ſanctimonia, ac cum ſacris arcanis ſimilitudo: & quòd maiori ſunt in admiratione, magis cari ſapientéſque habentur quàm effrenes iſti & concitati, ij qui rotundi ſunt ac breuiloquentes, & quorum in exigua dictione multus ineſt ſenſus.

Nonne qui abſque verbis aliquid per teſſeram quandam ſignificant in admiratione ſunt, magníſque vehuntur laudibus: vt Heracletus, qui ciuibus poſtulantibus vt aliquam de concordia ſententiam diceret, conſcenſo ſuggeſto calicem aqua plenum ſumpſit, farinámque ei inſperſam cum pulegio agitaſſet, ea epota abijt, cùm demonſtraſſet ciuibus in pace & concordia conſeruari ciuitates, ſi contenti eſſe quibuſuis, & non requirere ſumptuoſa ciues noſſent.

Frugalitas.

Scilurus Scytharum Rex octoginta filijs iam moriturus adferre faſciculum haſtilium



iuſſit, eúmque ſingulis ita vt erat colligatus confringendum dedit, cum autem quiſque pro ſe id ſe præſtare poſſe negaret: ipſe vno poſt alterum extracto haſtili, omnia nullo negotio confregit, oſtendens concordiam ipſos firmos & inſuperabiles conſeruaturam: diſsidio imbecilles & inſtabiles eorum res redditum iri. Si quis ergo hæc & ſimilia horum continenter recitet atque repetat opinor nugis gaudēdi finem eum facturū. Mihi quidem etiam ſeruus, de quo dicam, pudorem admodum incutit, conſideranti quid rei ſit rationi animū aduertere, & inſtitutum animi tenere.

Concordia omnia conſeruari, diſsidio verò perire.

Pub. Piſo orator, ne interturbaretur, ſeruis mandauerat vt tantùm ad interrogata reſponderent, nihil præterea dicerent. Euenit, vt Clodium, qui tum magiſtratum gerebat, amicitiæ gratiæ ad conuiuium, quod (vt moris erat) ſplendidum inſtruxerat, vocari iuberet. vt hora cœnæ appetijt, cùm iam adeſſent reliqui conuiuæ, expectabatur Clodius: ac ſeruum qui ſolebat conuiuas inuitare, aliquoties miſit Piſo viſum an veniret. veſpere iam facto cùm aduentus eius deſperaretur, Quid, inquit, Piſo ſeruo, an non inuitauiſti Clodium? etiam, reſpondit. Cur ergo non venit? quia venturum ſe negauit. Cur id non ſtatim dixiſti? quia de eo abs te non fui interrogatus.

Interrogatio & reſpõſio.

*Non enim fræno iniecto cohiberi garrulitas: ſed adſueſaciendo morbo illo obſtari poteſt. Primum itáque vbi ex ijs qui vnà ſunt aliquid quæritur, tacere adſueſcito, donec omnes reſpondere abnuerint.*

Curſus enim non finis idem, & cõſilij,

*ait Sophocles: neque vocis & reſponſi, quippe in curſu victoria eſt alios anteuertentis, hic, ſi rectè reſpondit aliquis, ſatis eſt collaudando & adſtipulando candidi hominis opinionem reportaſſe: ſin verò, tum & docere quod fuit ignoratum, & implere quod deerat citra inuidiam & importunitatem licet.*

Reſpondēdi munus alteri non eſſe præripiēdum.

*Etenim interrogatus aliquis, ſi non ſatis commodè reſpondeat, veniam meretur ac conſequitur, qui vltro in ſe reſpondendi munus alteri præceptum ſuſcipit, is cùm bene ſe gerẽs moleſtiam exhibet, tum aberrans gaudio & riſu omnium excipitur. Proxima condoceſactio eſt, quæ ad noſtras vbi interroganti ſumus pertinet reſponſiones: vbi maximè cauere debemus futilitatem, primum quidem, ne per imprudentiam ſeriò reſpondeamus ijs qui riſus aut contumeliæ cauſa nos ad dicendum prouocant.*

Futilitas in reſponſione maximè vitanda.

*Adhibenda eſt hic cautio, ne celeriter ad dicendum, ac veluti gratiam agentes ob oblatam verba faciendi anſam proſiliamus, ſed*



*& mores interrogantis conſideremus, & vſum loquendi.*

*Quod ſi videatur re vera voluiſſe aliquid cognoſcere: tum continere nos diſcamus, & inter interrogationem atque reſponſionem aliquid interiicere interualli: vt & adijcere ſi quid libeat, poſsit is qui interrogat, & interrogatus quid reſpondendum ſit deſpicere, ne raptim anteuertat interrogantem etiamnum, ac (vt ſæpe fit) feſtinando diuerſum ab eo quod quærebatur reſpondeat.*

*Etenim Socrates ita ſitim reprimebat, non permittens ſibi ipſi vti à gymnaſio biberet antè, quàm primam vrnam hauſtam effudiſſet, vt condoceſaceret brutam animæ partẽ ad expectandam loquendi opportunitatem.*

*Proinde tria ſunt genera reſpondendi ad interrogata: neceſſarium, come ſuperfluum.*

*Præter hæc omnia poſtremo loco in promptu habeatur & memoriæ inhæreat Simonidis illud, qui dixit ſæpe ſe pœnitentia ductum quòd locutus eſſet, nunquam quod tacuiſſet.*

*Silentium autem non ſiti modò, vt Hippocrates ait, ſed moleſtia etiam ac dolore vacat.*

Silentiũ triſtitia ac dolore vacare.

*Atque his quidem adſueſactionibus ſemper debet adhiberi & implicari hæc obſeruatio & ratiocinatio, vt aliquid ſumus dicturi, & verba ad os procurrunt: Quiſnam eſt*

*hic ſermo qui inſtat & urget? Quorſum tendit lingua? quid boni dicendo, quid mali tacendo ſum conſecuturus? Neque enim oratio vrgens deponenda eſt oneris in morem, cùm etiam emiſſa permaneat nihilominus. Sed aut ſuæ alicuius neceſsitatis cauſa loquuntur homines, aut vt proſint auditoribus, aut gratiæ inuicem alicuius conciliandæ cauſa conuerſationem actionémue ſuſceptam ſermone tanquam ſale condiunt, vbi verò neque dicenti vtile, neque audienti neceſſarium eſt quod dicitur, neque voluptatem aut gratiam parit: quorſum dicitur? vanitas enim & fruſtra eſſe, non minus in verbis quàm in rebus locum habet.*

Oratio & ſermo vrgens non deponendus oneris in morem.

Vanitatẽ in verbis atque rebus verſari.

Finis primi Tomi.

THESAVRVS

# PLVTARCHI

## CHÆRONÆI, GRAVISSIMI, ET PHILOſophi & hiſtorici, ſuper MORALIA opera, omnibus hiſtoriæ & philoſophiæ ſtudioſis valde neceſſarius.

TOMVS ALTER.

*Autore Franciſco Le Tort Andegauo.*

PARISIIS,
Apud Ioannem Poupy, via Iacobæa ſub Biblis Aureis.
1577.
CVM PRIVILEGIO.

# EX PLVTARCHI,

## DE CVPIDITATE diuitiarum, libello.

*Et verò multos videas, qui diuites iuxtáque miſeri eſſe malint, quàm pecunia impenſa felices fieri.* Diuites miſeri.

*Atqui non eſt venalis argento vacuitas doloris, magnanimitas, conſtantia, confidentia, vita tota ex ſeſe apta, diuitiæ in ſe non habent contemptum opum, neque ſuperuacanearum poſſeßio rerum hoc preſtat vt eas non requiras.*

*Diuitem eſſe, non eſt diuitias contemnere, nec immodicas opes poßidere, ſed non egêre ſuperuacaneis.*

*At auariciam neque aurum neque argentum exſaturat, neque auctis opibus aboletur, ſed dici poteſt de diuitijs, id quod in medicum glorioſum dictum eſt,*

Tuũ remediũ morbũ grauiorẽ fecit.

*Etenim rerum ad vitam tolerandã ſufficientium nemo eſt pauper, neque vnquam fœnore argentum ſumpſit homo vt emeret caſeũ, panem, oliuas, ſed alium ſumptuoſa domus debitorem fecit, alium oliuctũ finitimum, alium granaria, vineæ, alium mulæ Galaticæ, alios iugales equi præcipitauerunt in voraginem contractuum, fœnorum, pignorum.*

*Nunquã pauper qui ad naturã vixit.*

*Poſt, ſicut qui poſt extinctam ſitim bibunt, & edunt poſtquam fames ſublata fuit, vnà euomunt quæ eſurientes & ſitientes ingeſſerant: ita qui inutilia appetunt atque otioſa, ne neceſſaria quidem retinent.*

*Qui verò plura neceſſarijs poſſidens plura expetit, cum non aurum & argentum, non equi, oues, boues ſanare poſſunt, ſed iactura opus habet, ac purgatione.*

*Medicus ſi intret ad hominẽ in grabato iacentem, gementẽ, & cibũ auerſantẽ, ſi tetigerit ac inquiſiuerit omnia, & febre eũ vocare depræhẽderit, ſatus animi eſſe morbũ diſcedet. Nos quoq; cùm videbimus hominẽ rei faciẽdæ prorſus deditũ, gementẽ cũ ſumptus facit, nullæ re turpi, nulla moleſta abſtinentẽ quæ ad lucrũ conducat, poſſidentẽ domos, prædia, greges, ſeruos, veſtes, quo alio morbo laborare dicemus, quàm paupertate animi.*

*Nã pecuniarũ paupertatẽ, vt ait Menãder, vnus aliquis amic⁹ benefic⁹ ſanauerit, animo inhærentẽ illã nõ exſaturauerint omnes & viui & mortui. Rectè adeò in hos Solõ dixit:*

Diuitiarum homini finis non vlla
ſtatuta eſt.

*At quî non ſit hæc inſana & miſerabilis animi affectio, propter frigus veſte, propter famem pane, propter auaritiam pecunia non vti?*

*Sophocles interrogatus vteretúrne rebus venereis, Bona verba, inquit, homo, libenter verò iſthinc à furioſo & agreſti domino profugi ſenectutis beneficio.*

*Bona verba.*

*Stratonicus Rodiorum luxum ſubſannãs, ædificare eos aiebat tanquam immortales, & obſonari vt breue tempus victuros.*

*Rodienſes ædificarevt immortales obſonari vt breui morituri.*

*Bizantium ferunt, cùm adulterum cum vxore ſua deformi compræhendiſſet, dixiſſe, ô miſer, quæ neceſſitas huc te adegit?*

*Reges neceſſe habent opes parare, & regij procuratores, ac qui in ciuitatibus principem tenere locum atque imperare volunt.*

*Reges indigent opibus.*

*Tu vero, tot tantáque poſſidens, angis verſáſque teipſum cochleæ vitã ob ſordes viuens, ac difficilia omnia perferens, nunquam conſequeris vt bene ſit tibi, & plane aſinum balneatoris refers, qui ligna & malleolos identidem adportans, fumo ſemper & fauilla oppletus, in nullã lauacri, caloris, mundiciæq; partem venit.*

*Cochleę vitam viuere.*

Auaritia belluina.

*Alia porrò eſt belluina ac fera, quæ calumnias ſtruit, hæreditates inuadit, in fraudem inducit, ſolicitè inquirit ac numerat amicorũ quot adhuc viuant: deinde ad nullam rem vtitur bonis vndique conquiſitis.*

Auarorũ filij.

*Non enim ſeruorum modò, quod Euripides aiebat, ſed & auarorum filij intemperantes.*

*Etenim auari dum heredes ſuos inſtituere volunt & informare, moribus, peruertũt eos atque perdunt, auaritiam eis & ſordes implantantes, eámque quaſi arcem & caſtellũ tutandæ hereditati aptum in animis eorum exædificantes.*

*Et quidem dignam diſciplinæ ſuæ mercedẽ liberi parentibus perſoluunt, non amantes quod multa ſint accepturi, ſed infenſi ijs, quod non iam nunc accipiunt.*

Diuitiis vti & abuti poſſumus.

*Quid ergo diceret aliquis, nónne vides quoſdam ſuis opibus largiter vti? Tu autem, reſpondebimus, non audis quid dicat* Ariſto*teles? alios iis nõ vti alios abuti, neutros rectè, nam neque ſua illis vſui ornamentóue ſunt, & his damnum præterea & dedecus adferunt.*

*Talis res eſt virtus, veritas mathematum, pulchritudo rerum geometricarum & aſtrologicarum, cui indignum eſt iſtas diuitiarũ phaleras, & bullas ac puellaria ſpectacula comparari.*



*Nam ſi ſolus aut cum familiaribus cœnat diues, non ille magnificis menſis aut aureis poculis negotium faceſſit, ſed quibuſuis vtitur, muliérque ei ſine auro & purpura habitu ſimplici adeſt, vbi verò conuiuium, hoc eſt pompa & ſpectaculum, paratur & fabula diuitiarum agitur: ibi demum*

Nauibus exportant tripodes ſimul atque lebetes,

*tum lychni curantur, tum occupantur circa calices, mutant pincernas, omnia veſtiunt, omne aurum, omne argentum, omnia gemmata promunt, ſimplices diuitias ſuas profitentes. At verò temperantia diuiti & animi hilaritate opus eſt, etiam ſi ſolus cœnet.*

Felicitas in animo ex virtute, ſemper eadẽ, quã- quã nõ videatur: cõtrà diuitiæ planè cæcæ ſunt niſi aſpiciantur.

*Huiuſmodi felicitatem adferunt diuitiæ, quæ ſit ſpectatorum ac teſtium, aut certè nulla. At temperatum eſſe, philoſophum eſſe, de dijs ſcire quæ ſcitu ſunt neceſſaria, id ſemper idem eſt etiamſi vniuerſi neſciant mortales, ſed proprium iubar magnámque lucem habet in animo, & gaudium domeſticum parit, ipſo ſuo ipſius fruente bono, ſiue videat aliquis, ſiue lateat omnes &* Deos *& homines.*

# Ex Plutarchi libello qui, Vtrum grauiores ſint animi morbi, quàm corporis, inſcribitur.

Nihil in terra homine miſerius.

*Homerus mortalia animalium genera contemplatus, facta vitæ inſtitutorum atque rationum comparatione exclamauit:*

Illiad.ρ.

Nil homine in terra ſpirat miſerũ magis alma,
Nil repit. --

*primas homini minime felices tribuens, dum mala omnium maxima ei aſsignat.*

*Morbus quidem exiſtit in corpore à natura, prauitas autem & malicia quæ in animo eſt, primò eius opus, deindè etiam morbus eſt.*

N*am ratio ſana morbos corporis ſentit: de animi morbis, ſimul ipſa laborans, iudicium ferre non poteſt, affecto eo ipſo cuius erat iudicare.*

Demẽtia præcipu⁹ animi morbus.

*Proinde inter morbos animi primus maximúſque cenſendus eſt demẽtia: quæ facit vt multis prauitas inſanabilis per omnem vitam inhæreat atque commoriatur.*

*Principium enim profligandi morbi eſt*



*ſenſus eius: qui malè affectum ducit ad vſum eius quod opitulatur, qui ægrotare ſe non credit, ideóque neſcit qua re indigeat, is remediũ etiamſi adſit repudiat.*

Sanitatis principiũ velle ſanari.

*Etenim qui morbo corporis infeſtatur, is ſtatim concedit, ſéque in lectulum demittit, ibique quietè curationes ſuſtinet, & ſicubi inflammatione accidente nõnihil corpus ſe commoueat & exſiliat, aliquis eorum qui adſidet, placidè fatus,*

Ratio tũ nõ dolet quanquã corp⁹ doleat.

Mane tuis in ſtratis tranquillè miſer,

*inhibuerit atque detinuerit. Qui verò in morbis animi ſunt, tunc maximè agunt, tunc minime quieſcunt, incitationes animi, principia ſunt agendi, morbi autem animi, ſunt vehementiores eius incitationes, itaque quieſcere eum non ſinunt, ſed quando maximè patientia, ſilentio, & quiete opus eſt homini, tunc eum ſub dium protrahunt & detegunt iræ.*

*Quapropter eò quoque præſtat corpore quàm animo ægrotare, quòd corpus tantum afficitur malè: animus & afficitur malè & afficit.*

# Ex Plutarchi, De fortuna Romanorum, commentariolo.

Fortuna & ſapientiares diſſimilimæ, ſimilimarum autẽ effectrices.

ION poëta in his quæ ſoluta oratione ſcripſit, fortunam ait, & ſapientiam, cum ſint inter ſe diſsimilimæ, ſimilimarum rerum effectrices eſſe, augent ambæ & ornant viros, ad gloriam, potentiam, imperium euehunt.

Equidem hoc me rectè opinor cenſere, Fortunam & Virtutẽ, tametſi maxima & continentia inter ſe gerunt bella, tamen ad tanti compagem imperij atque potentiæ tantæ ſtructuram pace compoſita coiuiſſe, humanorúmque operum pulcherrimum communicatis operis abſoluiſſe.

Virtutis pictura.

Sed virtutis quidem placidus eſt ingreſſus, & vultus conſtans, & in facie ruboris nonnihil ob vincendi in hoc certamine & honoris ſtudium concepti apparet.

Fortunæ multa apud Romanos delubra.

Fortunæ verò templa ſunt ſplendida & antiqua, ac tantum non cum primis Romæ fundamentis poſita. Primus fortunæ templũ dedicauit Ancus Marcius ſorore Numæ na-



tus, quartus à Romulo rex, videturq́; fortunã cognominem feciſſe fortitudini, cui ad obtinendam victoriam fortuna plurimum confert.

Romuli fortuna.

Iam primùm negari non poteſt ad Romuli partum, ſalutem, educationẽ, incrementa ſummæ virtutis fundamenta fuiſſe iacta, ſed extructa tamen à Fortuna. Principio generatio autoris vrbis Romæ, admirandæ cuiuſdam felicitatis fuit, mater enim eorum cum Deo miſcuiſſe perhibetur corpus. Et quemadmodum Herculem ferunt in longa nocte ſatum, die præter naturam inhibita, & Sole morante: ita quo tempore Romulus eſt creatus, narrant Solem defeciſſe, cùm quidem verè cũ Luna coiret, ſicut Mars Deus cum mortali Sylvia. Idémque eueniſſe etiam ſub finem vitæ Romulo, nam cum Nonis Capratinis (quẽ diem hodiéque feſtiuitate inſigni celebrant) Sole deficiente inter mortales haberi deſijſſe. Deinde cum in lucem editos Romulum & Remum tyrannus interfici vellet, Fortunæ ductu traditi ſunt non barbaro aut ſæuo, ſed miſericordi humanóque ſeruo: qui eos non interfecit, ſed in ripa fluuij, ubi is viride pratũ alluebat, locúſque humilibus obumbrabatur arboribus, depoſuit pone caprificum, cui Ruminali poſteà nomen eſt factum. Exin lupa quæ recens pepererat catulóſque amiſerat, turgentibus lacte vberibus grauata, leuationiſq́;

*indiga, ſuperueniens infantes fouit, & vbera præbuit, quaſi alterum partum lac deponens. Marti autem ſacra auis picus ſubinde ad eos ventitans, ſummiſque inſidens vnguibus alternis infantium ora roſtro ſuo aperuit, ſuique alimenti bolos inſeruit.*

Principiũ in qualibet re maximi momenti.

*Sanè principium vt in omnibus rebus maximi eſt momenti, ita præſertim in condenda vrbe, atque ita præbuit fortuna, quæ conditorem vrbis ſalute donauit & conſeruauit, nam virtus Romulum magnum fecit. Fortuna eò vſque cuſtodiuit, dum magnus fieret.*

Belli porta.

*Ergo tunc Iani quoque biſores portæ, quam Belli portam vocant, clauſæ ſunt, aperiebantur enim cùm eſſet bellum, pace facta claudebantur.*

*Aliæ ſexcentæ appellationes & honores veneris ſunt, quorum pleraque Seruius inſtituit, gnarus magnum momẽtum, immò ſummam in rebus humanis vim eſſe penes Fortunam: maximè cùm ipſe eſſet fortunæ fauore de captiuo & hoſtili gente nato rex factus.*

Ad bellũ multũ audaciæ & fortitudinis requiri.

*Quis verò non fateatur ad bellum requiri multum audaciæ & fortitudinis, quæ virtuti haſtiferæ, vt Timotheus ait, auxilium & opem ferat?*

*Neque tamen defuit Romanorum fortunæ vox, quæ tantum malum indicare & pro-*



Anſeres Romam ſeruant.

*dere poſſet. Anſeres ſacri circa fanum Iunonis alebantur ad cultum deæ. Id animal & natura ea eſt vt facilè perturbetur, atque ad omnem ſtrepitum expaueſcat: & tum ob magnam in arce difficultatem rerum quia negligebantur, leui & famelico ſomno iacebant, itaque ſtatim ſenſum perceperunt hoſtium iam ſupra muros apparentium, editáque alta voce proteruè aduolauerunt: magiſque deinde armorum conſpectu territi, clangorem ſonorum admodum & aſperum ediderunt, quo excitati Romani re intellecta repulerunt & per præcipitia hoſtes deiecerunt.*

Alexãdri Magni mors in felicitate Romana cõſtituta.

*Quæ enim poſterioribus temporibus eueniunt magis aperta & conſpicua, Fortunæ demonſtrant benignitatem. Ego verò etiam Alexandri Magni mortem in parte felicitatis Romanæ pono, veri magnis ſucceſſibus & rebus clariſſimè geſtis inſuperabili confidentia & elatione animi, qui ſtellæ inſtar ab ortu Solis in occaſum tranſiliebat: ac iam in Italiam fulgorem armorum iaciebat.*

# Ex Plutarchi, De Alexandri Magni ſiue fortuna, ſiue virtute, oratione prima.

Alexãder fortunã alloquitur.

ARbitror autem ipſum Alexandrũ Fortunæ res ab eo geſtas ſibi adſcribentẽ dicturum: *Noli meæ virtuti detrahere: noli meam gloriam deprimere: tuum opus eſt Darius, quem ex ſeruo & Aſtandæ regis dominum Perſarum fecisti, tuum Sardanapalus, cui purpuram pectenti diadema regium circumpoſuiſti. Ego autem victor ab Arbelis ad Suſa perrexi, & Cilicia mihi latam aperuit Ægyptum, Ciliciam Granicus, quem cadaueribus Mithridatis & Spithridatis pro ponte vſus tranſiui. Orna teipſam & iacta regibus vulnerum & cruorum expertibus, illi enim fortunati erant, Ochi & Artaxerxæ, quos ſtatim à partu in ſolio Cyri collocaſti. Meum quidem corpus multa ſigna, certáque ea fert, Fortunæ non adiuuantis, ſed repugnantis.*

*Quis enim vnquam maioribus pulchrioribúſque inſtructus rei gerendæ occaſionibus ad bellum profectus eſt? magnanimitate inquam, prudentia, temperantia, fortitudine, quibus eum viaticis, philoſophia ad expeditionem inſtruxit, vt maiorem à præceptore Ariſtotele, quàm Philippo patre commeatum ad rem gerendam ſit conſecutus, in Perſas mouerit.*



Alexãdrũ Illiadẽ & Odyſſeã viatici inſtar habuiſſe.

*Nos autem credimus iis qui ſcribunt Alexandrum aliquando dixiſſe Illiadem ſe & Vlyſſeam habuiſſe ſecũ expeditionis ſuæ viaticum: atque Homerum eo nomine prædicamus.*

*Si quis verò affirmet eum libros iſtos animi reficiendi, laboríſque conſolandi, & ocio ſuauitatem conciliandi gratia ſecum tuliſſe, viaticum re vera ei fuiſſe doctrinam è philoſophia perceptam, ac commentationes de vacuitate metus, fortitudine, temperantia, & magnanimitate.*

Alexãdri doctrina.

*Alexandri doctrinam ſi inſpicias, Hyrcanos docuit coniugiis vti, Arachoſios agriculturam: Sogdianis perſuaſit vt alerent, non interficerent patres, Perſas vt venerarentur, non vxorum loco haberent matres.*

*O admirabilem philoſophiam, quæ fecit vt Indi Deos Græcorum colerent, & Scythæ mortuos humarent, non (vt antè) comederẽt.*

*Alexander amplius 70. urbibus in-*

barbaris conditis gentibus, diſſeminatiſque per Aſiam inſtitutis Græcis, à fera & belluina vitæ ratione homines detraxit.

Itaque quod Themiſtocles dixit, quo tempore à patria profugum rex Perſiæ magnis effecit donis, tréſque ei vrbes ſtipendiarias fecit, vnam ad frumentum, alteram ad vinum, tertiam ad obſonium ſuppeditandum: ô pueri perieramus niſi periiſſemus.

Proinde ſi maximam rectè ſibi laudem philoſophi inde petunt quod dura & inculta ingenia emolliunt atque componunt: meritò pro ſummo philoſopho Alexander habendus eſt, qui innumeras efferas gentes atque indociles cicurauerit.

Sed ita ſtatuens diuinitus ſe communem omnium nationum moderatorem atque arbitrum eſſe miſſum, quos verbis non poterat, armis ad communitatem adigens, omnes vndiq; gentes in vnum corpus conduxit, tanquam in amicitiæ cratera commiſcens vitas, mores, nuptias, victus rationes, mandauitque vt vniuerſi mundum pro patria agnoſcerent, caſtra pro arce & præſidio, bonos pro cognatis, malos pro peregrinis.

Boni pro cognatis habendi, mali verò pro peregrinis.

Illam vero videre voluiſſem præclarã ſacramq; ſponſalium procurationem, cùm Alexander vno tentorio, quod auro erat ornatũ, complexus centũ Perſidas ſponſas, totidemq; Mace-



Macedones & Græcos ſponſos, communibus penatibus menſaq; eidem adhibuit: primúſque ipſe ſerto redimitus hymenæum orſus, tanquam cantilenam amoris mutui teſtem accinens, maximas & potentiſſimas gentes in communitatem conduxit centum copulatis coniugio paribus, vnius ipſe ſponſus, reliquis omnibus auſpex ſimul, & pater, & moderator.

Videamus iam voces eius, quandoquidem regum principúmque mores maximè ex mẽte vocibus depromuntur.

Sardanapali monimento inſcriptum fuit:

Sardanapali monimenti ĩſcriptio.

Hæc habeo quæ edi, quæque exſaturata libido
Hauſit. --

" Patri Philippo haſta femur in Triballis transfixo, cùm is euitato mortis periculo claudicationem iniquius ferret, Bono animo es pater mi, inquit, ac palam progredere, vt ad ſingulos greſſus virtutis tuæ recorderis.

" Animi eſt philoſophici ſapientiam amare, & ſapientes apprimè admirari, qua in re Alexandrum nemo regum æquauit.

Alexãder Diogenis conditioni inuidebat.

Cum ipſo Diogene apud Corinthum collocutus Alexãder, ita obſtipuit & attonitus eſt viri vita & grauitate, vt ſæpenumerò eius mentionẽ faciens dixerit: Niſi eſſem Alexãder, Diogenes vellẽ eſſe, hoc eſt, operã dediſſem

& ocium impendiſſem diſputationibus, niſi rebus gerendis philoſopharer. Non hoc dixit, Niſi rex eſſem Diogenes eſſe vellem, neque ſi non diues, etiam Argeades, non enim fortunam ſapientiæ præferebat, neque purpurã & diadema pallio ac peræ, ſed hoc dicebat, Niſi Alexander eſſem, Diogenes eſſe vellem, hoc eſt, niſi inſtituiſſem gentes barbaricas cũ Græcis commiſcere, omnéſque terras obeundo cicurare, ſcrutatúſque continentis fines Macedoniam & Oceanum propagare, Græciámque ſerere & omnis generis iuſtitiam atque pacem diſſeminare, non equidem in ocio deſidens potentiam meam ad luxuriandum contuliſſem, ſed frugalitatem Diogenis æmulatus fuiſſem.

Quidquid agit ſapiens, omnibus eum virtutibus agere, vnámque virtutem aliquam primas obire partes, reliquas autem omnes ſocias ſibi perficiendæ rei adſciſcere.

In regio more omnia ineſſe.

Subit mihi hic Pori dictum referre, is enim vt captiuus eſt ad Alexandrum perductus, interrogatúſque ab eo quomodo ſe tractari vellet, Regio more ô Alexander, reſpondit, rurſúmque interrogatus, an aliud præterea aliquid vellet, reſpondit, Nihil, nam in regio more inſunt omnia.

Silentiũ obſignare.

Cùm aliquando epiſtolam à matre miſſam arcanam legeret Oxyathris filia, & Hephæſtion, vt tum fortè aſſidebat, ſimpliciter vnà



eam percurreret, non prohibuit ſed annulum ori eius impoſuit, ſilentium amica fide philoſophicè obſignans.

Philoſophia fecit ne opus haberet pecunia Xenocrates, atqui eadem fecit vt ea opus habet Alexander vt largiri talibus poſſet.

Philoſophi vulgo præſtantiores.

Philoſophi in eo præſtant vulgo, quod iudicia habent rebus aduerſis incidentibus firma & roborata.

Finis omnibus hominibus eſt mors. Sed rationes periculo imminente frangũtur, ac imaginationibus iudicium expellitur, vbi propè adſunt res terribiles.

Metus enim nõ ſolam memoriam conſternat, vt ait Thucydides: ſed & inſtitutum animi omne, & laudabilem conatum atque incitationem.

## Ex Plutarchi, De fortuna vel virtute Alexandri, oratione poſteriore.

Alexãdri ætatẽ multas produxiſſe artes.

IN heſterna diſputatione obliti ſumus, vt apparet, dicere, bona quadam fortuna factum fuiſſe, vt ætas Alexandri multas etiã artes, multa præclara ingenia produceret, quanquã fortaſſe id nõ tã Alexãdri fortunæ imputãdũ,

*quàm iſtorum felicitati adſcribēdum eſt, eum ſuæ præſtantiæ ſpectatorem teſtémque nactis, qui & optimè iudicare egregia opera & liberaliſſimè compenſare poſſet.*

*Sanè poſterioribus temporibus perhibent* Archeſtrato poëta *eleganti, ſed qui in paupertate inglorius viueret, quendam dixiſſe: Si tu Alexandri ætate vixiſſes, is tibi pro quouis verſu Cyprum aut* Phœnicem *dediſſet.*

*Dionyſius tyrannus, vt fertur, citharœdum quendam egregium audiens, pollicitus eſt ſe talētum ei dono daturum, cúmque homo promiſſum poſtridie flagitaret, Heri, inquit, exhilaratus abs te eo quo cecinisti tempore, te quoque ſpe iniecta exhilaraui: habes ergo mercedem, pro eo quod me delectauiſti viciſſim delectatus.*

*Fuerunt ætate* Alexandri *Theſſalus & Athenodorus tragœdi, quibus inter ſe de arte certantibus ſumptus ſcenicos fecerunt Cypriorum reges, iudicium tulerunt ducum laudatiſſimi, cum autem victor eſſet renunciatus Athenodorus, dixit* Alexander, *ſe maluiſſe partem regni amittere, quàm videre Theſſalum vinci, neque tamen vel interceſſit apud iudices, vel iudicium reprahendit: ſentiens debere ſe omnibus aliis ſuperiorem, iuſtitiæ tamen ſubditum eſſe.*

Alexāder iuſtitiæ ſe ſubditū eſſe fatetur & ea inferiorē.

*Vixere tunc temporis Apelles pictor, & Lyſippus ſtatuarius, horū Apelles fulminigerum* Alexandrum *pinxit ita perſpicuè & attemperatè, vt diceret duos eſſe Alexandros, vnum Philippi filium inſuperabilem, alterū Apellis inimitabilem. Lyſippus autem cum finxiſſet primùm Alexandrum facie ſurſum conuerſa in cœlum intuentem ſicut ſolebat ſuſpicere Alexander leuiter inflexo collo, ſubſcripſit quidam non abſurdè:*

Aereus inſpiciens diuiſóſque hominéſque regentem,
Velle mihi eſt viſus talia verba loqui:
Magne tene Iupiter, neque enim prohibemus, Olympum
Dum toto tellus pareat orbe mihi.

*Itaque etiam ſolum Lyſippum Alexander fabricari ſuas iuſſit imagines, quod nimirum is ſolus ære ingeniū ipſius exprimeret, ſimulq́; cum forma etiam virtutem proponeret.*

Alexāder à ſolo Lyſippo ſuos voluit imagines fabricari.

*Enimuerò ponamus obſecro, fuiſſe confectum iſtud opus: erátne futurus aliquis qui illud videns, fortuitò hanc formam, figuram, diſpoſitionémque obtigiſſe putaret? non equidem arbitror.*

*Rectè enim Anthiſtenes dixit, hoſtibus omnia bona nos optare debere excepta fortitudine, ea enim ſic fiunt non poſſidentium, ſed vincentium.*

Natura, quare ceruo cornua mirãdæ magnitudinis largita.

*Atque hanc ob cauſam creditur naturam ceruo ignauiſsimo animali, cornua mirandæ magnitudinis atque aſperitatis ad ſui defenſionẽ dediſſe: docentem nihil vires & arma prodeſſe ijs, qui ſubſiſtere non audent.*

*Probè dictũ eſt ab Epicarmo, Mentẽ videre, mentẽ audire reliqua cæca & ſurda, rationis indigere, nam ſenſus ſuas habent proprias opportunitates. Mentẽ autem prodeſſe, mentẽ ornare, hanc eſſe quæ vincat, ſuperet, regnet, reliquaomnia cæca, ſurda, exanima, poſſeſſores deijcere, grauare & dedecorare, vbi virtus abeſt, licet ex ipſis rebus diſcere.*

*Nam eadem potentia, eodem regno propoſito, Semiramis cũ eſſet mulier claſſes inſtruebat, legiones armabat, Babylonas condebat, rubrum mare circumuecta Aethiopes & Arabes ſubigebat.*

Sardanapali epitaphium.

» *Sardanapalus virili natus ſexu, domi pur-*
*puram carpebat, inter pellices deſidens ſurſum*
*erectis pedibus, cui mortuo lapideum poſuerũt*
*ſimulachrum, barbarico more ſibi ſaltans, di-*
» *gitiſque ſupra caput comploſis crepitum edens*
» *inſcripſeruntque Ede bibe, Veneri da operã,*
» *reliqua nihil ſunt.*

*At Sardanapali ſiue vitam ſiue ſepulchrũ (nihil enim puto intereſſe) inſpiciens, diceres trophæum eſſe de fortunæ bonis poſitum.*

*Ille verò magnus fuit vir, ſobriuſq; in tãta*



Alexãdri ſobrietas.

*rerum mole, neque paſſus à potentiã & imperio ſe inebriari, aut ad bacchandum incitari. Cuius guſtum alij exiguum cùm percepiſſent, ſui compotes eſſe nequiuerunt.*

Alexãder quo tẽpore prãdiũ & cœnã ſumeret.

*At enim Alexander prima luce ſedens pran-* «
*debat, tenebris noctis iam ingruentibus cœnabat, bibebat dijs ſacrificans, cum Medio teſſeris certabat febricitans, ludebat iter faciens interimque arcu iaculari diſcens, & de curru deſcendere.*

*Reliquis Perſidibus tantum ſuperior fuit pudicitia Alexander, quantum fortitudine Perſis, nullam enim inuitam vidit, & quas vidit, magis præterijt quã nõ viſas, vt cùm aliàs fuerit humaniſsimus, aduerſus pulchritudinem formæ duntaxat ſuperbè ſe geſſerit.*

*Alexander ebrius vllã indicauit, neq; per* «
*iram iracundus, neque amico vlli apperuit rẽ,* «
*omnia ſolitus Hephæſtioni credere atque cõ-* «
*municare, Ferũt enim Alexãdro epiſtolã ma-* «
*tris arcanã tacitè ſecũ legente, Hephæſtionem* «
*leuiter admoto capite vnà eã perlegiſſe, neque* «
*Alexandrũ prohibere ſuſtinuiſſe, ſed detracto* «
*annulo ſigillum ori eius admonuiſſe.* «

Alexãdro præter meritũ nihil accidiſſe.

*Alexãdro autẽ quid præclari obtigit præter meritum, quid ſine ſudore, ſine ſanguine, quid gratis, quid abſque labore? Sanguine mixtos fluuios bibit, per cadauera veluti pontẽ amnes transijt, herbam edit fame vrgente quam*

*primam conſpexit, gentes altis niuibus obrutas, & vrbes infra terram deſidentes penetrauit, mare hoſtile nauigauit, tumulóſque arenarum in Gredroſijs & Arachoſijs perſuadens, antè in mari quã in terra vidit ſtirpẽ.*

*Quòd ſi libero ore aduerſus fortunam tanquam contra hominem loqui liceret pro Alexandro, equidem eam ſic compellarẽ. Quando tandem, ô Fortuna, Alexandri actionibus tu, & vbi viam aperuiſti? quódnam ſaxum tua ope adiutus cœpit ſine ſanguine? quam vrbem ei præſidio nudatam tradidiſti? quẽ exercitum inermem? in quem regem incidit ſocordem? in quem ducem negligentem? in quem ianitorem dormientem, quem fluuium traiectu facilem, quam hyemem temperatam, quam æſtatem moleſtiæ expertem præbuiſti?*

*Alexandri ſi nihil aliud, ſaltem totũ corpus conſidera, à ſummo capite vſque ad imos pedes hoſtilibus vulneribus contuſum atque diſſectum.*

*Abſurdum videbitur quod dicam ſed dicam tamen quia verum eſt, parũ abfuit quin fortunæ culp.ı Alexander deſineret Ammonis filius haberi.*

Alexãdri virtutes fuiſſemul tas.

" *Alexandri autem naturam ſi genitor Deus ex multis concinnauit compoſuitque virtutibus, quid obſtat quominus dicamus fuiſſe in eo magnanimitatem Cyri, modeſtiã Ageſilai,*



*prudentiam Themiſtoclis, peritiam Philippi,* "
*audaciam Braſidæ, vim & republicæ geren-* "
*dæ calliditatem Periclis: Qninimo ſi velis eũ* "
*cum vetuſtioribus comparare, temperantior* "
*fuit Agamemnone, hic enim captiuam prætu-* "
*lit vxori quam primam virginem duxerat:* "
*Alexander etiamnum coniugij exors captiuis* "
*abſtinuit. Maiore etiam fuit quàm Achilles* "
*animo, hic enim Hectoris cadauer exiguo pre-* "
*cio redemptum reddit: noſter grandi ſumptu* "
*funus Dario fecit, atque ille cũ amicis in gra-* "
*tiam rediens, veniam donis ac præmio vendi-* "
*dit: Alexander victor hoſtes ditauit. Pietate* "
*porrò Diomedem ſuperauit is enim paratus* "
*fuit aduerſum Deos pugnare: noſter omnem* "
*ſucceſſum proſperum dijs acceptum tulit. Acceptior quoque neceſſarijs fuit quàm Vliſſes, huius enim mater ob luctum & deſiderium vita exceſſit: mortem Alexandri mater hoſtis ob beneualentiam eſt comitata.*

Alexãdri Magni interitus.

*Sed quodnam fuit facinus fortunæ, in quã nunc inquirimus? vt in extremo angulo barbaricæ fluuij ripæ, intra muros ignobilis oppiduli incluſus atque occultatus orbis terrarum rex atque dominus periret, armis inboneſtis & inſtrumentis temerè oblatis percuſſus atque contuſus. Nam ſecuri per galeam caput vulneratũ eius eſt, & ſagitta aliquis arcu emiſſa thoracem perrupit, cuius ad mammam inſi-*

*xæ oſſibus & inhærentis colis eminuit aggra-
uans, cuſpis autem ferrea 4. digitos fuit lata
longitudo quinque. Extremum mali hoc fuit,*

Alexãder pugione necatus.

*dum ipſe aduerſum hoſtes defendit, & eum
qui coniecerat telum, ac gladio armatus acce-
dere audebat, pugione præuẽtum deijcit atque
necat: interea quidam è piſtrino accurrens à
tergo ictum ceruicibus,* Alexandri *ingerit, quo
in vertiginem acti ſenſus ſunt hebetati.* Ve-
*runtamen præſtò adſuit virtus, fiduciam ipſi,
ſocijs robur feſtinationẽq; inſerens. Limnæus
enim,* Ptolemæus, *Leonnatus, atque alij, qui
vel ſuperato vel perrupto muro ante regẽ con-
ſtiterant, veluti virtutis munimentum erat,
ob beneuolentiam, & amicitiam, qua* Ale-
*xãdro erant iuncti, corpora, facies, animaſq;
ſuas pro eo opponentes.*

" *Non enim fit fortunæ caſu, quod alij vltrò*
" *pericula pro regibus adeunt, & mortem op-*
" *petunt: ſed ob virtutis amorem, ſicut ob illex*
" *aliquod medicamentum apes ſolent, principi*
" *ſe adiungunt & adhærent.*

*Tamen barbaros fuderunt Macedones,
eóſque ſtratos ruinis oppidi texerunt. Verùm
hoc Alexandro nihil tulit opis. Raptus enim
inde eſt vt erat telo onuſtus, & bellum in vi-
ſceribus continebat tanquam vinculo aut
clauo thoracem ſagitta corpori adſtringente.
Cùm autem ſagittam vi euellere è vulnere*



*tanquam è radice eſſent aggreſſi, ferramen-
tum manus non eſt ſecutum, pectoris oſſa quæ
cor muniunt pro firmamento nactum. Neque
calami prominentem partem ſerra abſcindere
ſunt auſi: metuentes ne vehementiore agita-
tione fiſſum os, nimios excitaret dolores, &
ſanguinis è profundo proruptioni cauſam præ-
beret. Ipſe* Alexander *cùm magnam videret
perplexitatem difficultatémque & moram* "
*rei, ſagittam conatus eſt ad ipſam thoracis ſu-* "
*perficiem pugione, abſcindere: ſed manus tor-* "
*pens præ inflammatione vulneris, conatum* "
*non pertulit. Iuſſit ergo eos rem tentare, ac ni-* "
*hil metuere, vltrò animos addens non vulne-* "
*ratis: aliiſque exprobrauit lachrymas & ni-* "
*mium mærorem, alios deſertores appellauit,
qui opem ipſi ferre non auderent, altáque vo-
ce teſtatus eſt ad ſocios, Neminem pro ipſo de-
bere timidum eſſe, nam ſi vos, aiebat, pro
trepidatis, non credetur me nullo mortis me-
tu teneri.*

Alexãdri verba ad ſocios.

# Ex Plutarchi, De eſu carnium, oratione priore.

ENimuerò primi iſti, qui carnibus veſci ſunt aggreſſi, omnem fortaſſe culpam in inopiam reiecerint, non enim cupiditatibus iniuſtis capti, & inter copiam omnium rerum libidine elati ad voluptates quæ à natura & ſocietate animantium eſſent alienæ prouecti eò ſe contulerunt.

Quid ergo mirum, ſi animalium carnibus vſi ſumus præter naturã eo tempore, quo cœnum edebatur, & cortex vorabatur ligni, & gramen inuenire virens aut radicem alicuius herbæ fortunatum putabatur? qui verò glandem guſtaſſent atque comediſſent, præ voluptate choros circa quercum aliquam aut fagũ duxerunt, vitæ datricem eam, matrem, nutricémque appellantes? hanc enim huius ſeculi feſtiuitatem nouerant homines vnicam, reliqua omnia perturbationis ac triſtitiæ plena erant.

Non enim leones & lupos, eorum vlti iniurias, voramus: ſed his omiſſis, innocua, manſueta, & ſtimulis dentibúſque ad lædendum



carentia interficimus, quæ me Hercle pulchritudinis, venuſtatiſque gratia videtur natura produxiſſe.

Deinde quas emittunt ea voces, putamus indiſtinctas eſſe, non deprecationes ſingulorum, non obteſtationes, quouis eorum dicente: Non deprecor ſi neceſſitas te cogit: interfice vt cibũ habeas, noli interficere vt ſuauiùs edas.

*Voces animãtiũ quę interficiuntur deprecatiões eſſe.*

Porrò carnis eſus non modò præter naturam corporibus noſtris accidunt, ſed ſatietatem etiã craſſitiémque ingenerant. Vinum enim & carnium eſus corpus quidem robuſtum validúmque faciunt, animos autem hebetant: Bœotos nos Attici craſſos, ſtupidos, ſtolidos maximè ob voracitatem appellauerunt, atq; adeò ſues, & Menander & Pindarus.

Verùm enimuerò accepimus iſtos homines hoc dicere eſum carnium habere à natura initium. At non à natura hominem hoc habere vt carnes edat, primùm ipſa corporis humani demonſtrat conſtitutio. Non oris vncus non vnguis acumen adeſt; non dentium aſperitas, non ventris robur, non calor ſpiritus, quo ſubigere & mutare poſſit carnem molem.

*Carnium eſum eſſe cõtra naturam.*

Notum verò eſt ſecundum Heracletum animam ſiccam eſſe optimam atque ſapientiſſimam. Id quoque conſtat, vaſa vacua cũ pulſantur ſonitũ reddere, impleta obmuteſcere: ærea vaſa icta vocem in orbem dedunt,

*Animam ſiccam ſapientiſſimã atque optimã.*

niſi quis iniecta manu obthuret atque inhibeat.

Oculus enim humore occupatus abundante hebeſcit, & officium ſuum facere nequit.

Ita profecto in corpore repleto & turbido, alieniſque cibis grauato, omnino neceſſe, eſt ſplendorem animi lucémque retundi atque conturbari, vagaríque & ad res viles cernendas ſe conferre, cùm ad conſideranda ea quæ aliquid habent difficultatis, nihil ei ſit acuminis atque virium.

Nudiuſtertius diſſerens, mentionem feci Xenocratis: & quod Athenienſes pœnam ab eo exegerunt, qui viuo arieti pellem detraxerunt. non eſt autem, puto, viuum torquens deterior eo, qui interficit. Sed nimirum ea magis ſentimus quæ conſuetudini, quàm quæ naturæ repugnant.

Quæ enim fabulæ ferunt de Baccho membratim diſcerpto, & quæ aduerſus eum conati ſunt Titanes, vtq; guſtauerint cæſi cadauer, punitique & fulminibus icti perierint: ſermo eſt qui ad nouos refertur natales, ſecundúmque ortum.

Bacchus membratim diſcerptus.



# Ex Plutarchi, De carnium eſu, oratione poſteriore.

EST verò (vt aiebat Cato) difficile verba facere ad ventres auribus carentes.

Equidem conueniebat, vt quo more hominis mortui ventrem execant, atq; aduerſo ſole conſciſſum abijciũt, eum innuentes fuiſſe cauſam omniũ quæ in vita peccauit homo: ita nos gulæ cædiſque ſtudio euulſo, reliquũ vitæ tempus caſtè exigere, quando ipſe venter non ad cædes impellit, ſed intemperantiæ noſtræ culpa ijs polluitur.

Ventrem cauſã eſſe omnium quæ peccat homo.

Verumtamen ſi fieri nequit vt planè vitemus eſum carnium & conſuetudo facit vt nos pudeat iſto peccato abſtinere: ſaltem cum ratione peccemus.

Edamus, inquam, carnes, ſed fame, non luxuria impulſi, interficiamus animal, ſed miſerantes & dolentes, non inſultantes & excruciantes: qualia nunc multi multa perpetrant: alij verubus ignitis porcos iugulant, vt ferri tinctura ſanguis extinctus atque diffuſus carnem molliat delicatámque reddat. Alij vberibus ſuum

Carnes qũo & qñ edendæ.

Variæ deliciæ.

*ſætarum inſtante iam partu inſiliunt eaſque calcant, ut ſanguinem & lac & tabum fœ-*
» *tus ſimul interfecti inter matris dolores exi-*
» *mentes, (proh piacula Iupiter) maximè in-*
» *flãmatam animalis partem vorent: alij grues*
» *& olores oculis conſutis incluſos in tenebris ſa-*
» *ginant, alienis temperamentis atque condi-*
» *mentis, guſtum nouum obſonio ſuo conci-*
» *liantes.*

# Ex Plutarchi libello, qui, Maximè cum Principibus viris philoſopho eſſe diſputandum, inſcribitur.

*ARiſto ſanè Chius à ſophiſtis impetitus maledictis, quod cum omnibus qui hoc vellent diſſereret: Optare ſe dixit, ut etiam bruta animalia intelligere poſſent verba ad virtutem incitantia.*

Mirũ de capris.

» *Eryngium herbam aiunt ſi una capella in os ſumat, ipſam primum mox totum gregem ſubſiſtere, donec accedens paſtor ori eam eximat, tantam vim celeritatis odor eius habet, qui ignis in morem in proxima quæque diſ-ſipetur*



*ſipetur atque ea occupet.*

*Quod autem dicitur, orationem eſſe duplicem, unam intus cõtentam, Mercurij munus principis, alteram quæ enunciatur, Diactoro, hoc eſt adminiſtram & inſtrumenti vices gerentem: friuolum eſt, ac ſubijciatur huic dicto, Noueram hoc antequam Theognis exiſteret.*

*Muſam verò enunciatiuæ orationis præſidem neque antè Pindarus dixit lucri cupidam eſſe neque operariam, neque (puto) nunc diceret: ſed ob inſcitiam atque imperitiam, honeſti communem Mercurium factum fuiſſe mercenarium atque vænalem.*

Mercuri⁹ vænalis.

*Verum hi quidem, quo modo Ixion Iunonem perſequens in nubem delapſus eſt, ita loco amicitiæ ſimulachrum fallax, & ad pompam compoſitum, atque inſtabile amplectuntur.*

Ixion in nubẽ delapſus.

*Neque enim iucundum eſt neq; facilè prodeſſe ſi quis nolit prodeſſe: ut autem velis facit opinio, ſidéſque tibi habita. Sicut lumen bonum eſt non tam his qui videntur, quàm his qui vident: itidem fama his qui ſentiunt potiùs, quàm his qui negliguntur.*

*Opes porrò & maieſtatem regiam & potentiam, nec oportet perſequi in amicitijs, neque fugere tamen, ſi cum modeſtis moribus hæc fuerint coniunctæ.*

*Neque enim philoſophus adoleſcentes re-*

quirit formoſos & venuſtos, ſed tractabiles, compoſitos, & diſcendi cupidos.

Beneficiũ dare iucũdi⁹ & pulchri⁹ quã accipere.

At verò Epicurus bonũ in altiſsima quiete, tanquam in portu ab vndis tuto ac ſilente collocans, beneficium dare non modò pulchrius ſed etiam iucundius eſſe ait, quàm accipere. Itaque ſæpe pudet accipere beneficium: ſemper cum gaudio gratificamur alijs. Bene autem multis faciunt, qui eos bonos reddunt, quorum opera multi indigent: ſicut contrà qui principes, reges tyrannóſque ſolent corrumpere ſycophantæ, calumniatores, atque adulatores, ab omnibus profligantur atque puniuntur: vt qui lethale venenum non in vnum aliquem iniecerint calicem, ſed in fontem publicum, & quo vniuerſos vti norint.

Regis malos qui corrigit mores, is publicè philoſophatur rémq; publica emandat.

Ita qui cum priuato conſueſcit philoſophus, efficit vt is ſeipſum nulla moleſtia, nullo damno afficiat, placidéque viuat: qui verò principis alicuius malos mores corrigit, animumq́; ad officium dirigit, is quodammodo publicè philoſophatur, rémque publicam emandat qua omnes gubernantur.

Sacerdotibus ciuitates honorem habent, eóſque venerantur, quod bona ij à dijs non ſibi tantùm, ſuíſque amicis, & familiaribus,
» ſed in commune omnibus ciuibus precãtur: & 
» verò ij Deos nõ faciunt bonorũ largitores: ſed
» cum tales ſint ſuapte natura, eos obſecrant.



Principes philoſophi cum ijs verſantes iuſtiores faciunt, moderatiores, & ad beneficentiam propenſiores, vt par ſit eos etiam magis gaudere.

Nónne hoc etiam de ſua doctrina ſtatuet philoſophus: ea imbutum ciuilem atque principem virum, in publicum vtilem, futurum, ius dicendo, leges condendo, malos puniendo, bonos augendo?

## Ex Plutarchi libello qui, Ad principem ineruditum, inſcribitur.

« Nihil tã petulans atque ferox quã homo ſecũdis fruens reb⁹.

Plato à Cyrenæis rogatus, vt leges ipſis ſcriptas relinqueret, rempublicamq; conſtitueret, recuſauit: quòd diceret difficulter Cyrenæis leges poſſe poni, rebus eorum ita lætis: ac nihil ita eſſe petulans, ferox, atque imperio reluctans, atque eſt homo rebus, vt dicitur, ſecundis fruens.

Doctrina autem philoſophica in principe habitã, eiúſque cuſtos & tanquã cõſiliarius, potentiæ veluti nimis habiti corporis maiorem iuſto vim detrahens, id relinquit quod eſt ſanum.

Aa ij

*Enimuerò ſicut neceſſe eſt primo omnium ipſam regulam rectam & firmã eſſe, atq; ita deinde ea quibus applicatur, ipſa quoque ſui ſimilia facere atque ad rectitudinem perducere: ita oportet principem priùs in ſe ipſo imperium moréſque conſtituere rectè atque dirigere, poſteà ei ſubditos accommodare, nam neque cadentis eſt erigere, neque componere incompoſiti, neque ordinare inordinati, neque imperare nulli imperio ſubditi.*

Nõ eſt cadentis erigere neq; inordinati ordinare.

*Sed pleriq; inepta decepti ſententia, primũ hoc putant eſſe in imperio bonũ, nulli ſubeſſe imperio, atque adeò rex Perſarum omnes pro ſeruis habuit, excepta ſua vxore: cuius maximè debuit eſſe dominus.*

*Quis ergo imperabit principi?* Lex, *omniũ rex mortaliũ atque immortalium, vt ait Pindarus, non ea foris ſcripta in libris, aut lignis inſculpta: ſed viua in ipſius corde ratio, ſemper vnà habitans atque excubans, & animũ nunquam ſinens eſſe principatus vacuum.*

*Sane Perſarũ rex vnum de cubicularijs ad hoc habebat conſtitutum, vt mane ad regẽ ingrediens diceret: Surge ò rex, & curã rerũ gere, quas te curare Oromaſdes voluit, eruditus & cordatus princeps intus habet qui hoc identidem occinat & admoneat. Etenim Polemo Deorum adminiſtrum dicebat eſſe* Amorem, *ad adoleſcentium procurationem deſtinatũ.*



*Veriùs autem hoc dixeris, principes Dei eſſe adminiſtros ad tutandam hominum ſalutem: vt quæ dij bona hominibus largiuntur, ea partim diſtribuant, partim conſeruent.*

Lex, principis opus.

Princeps, imago Dei.

*Et tamen iſtis tot tantiſque donis quæ dij bona hominibus largiuntur, abſque iuſtitia, lege & principe frui non eſt permiſſum. Etenim iuſtitia legis eſt finis, lex principis opus, princeps Dei imago omnia digerentis.*

*Sane* Anaxarchus *Alexandrum conſolans ob Cliti cædem animi ſe angentem,* An *ignoras, aiebat, Ius & Fas Ioui aſsidere, vt quidquid rex agat, id fas iuſtúmque putetur?*

Rex quicquid agit fas iuſtúmque putatur.

*Quòd ſi coniecturis hæc ſunt examinanda, non profectò Ioui iuſtitia adſidet, ſed ipſe, ius & fas eſt ac omnium legum antiquiſsima atque perfectiſsima. atque propterea veteres iſthæc finxerunt docuerúntque, vt oſtenderent ſine iuſtitia ne Iouem quidem rectè potuiſſe imperare.*

*Illa autem iuſtitia virgo eſt, vt ait Heſiodus, incorrupta, verecundiæ, pudicitiæ, & veritatis contubernalis: Atque hinc reges venerandi vocantur, maximè enim venerationem merentur, qui minimè metuunt. Debet autẽ princeps magis metuere nec quid faciat mali quàm ne quid patiatur: illud enim huius eſt cauſa. Atque hic metus humanus eſt principis, & non degener, timere ſubditis, ne quod*

Iuſtitia virgo.

imprudentibus accidat malum.

Epaminondas quidem, cùm feſto quodam die Thebani effuſi ſe compotationi dediſſent, ſolus circumiens arma & muros luſtrabat, ſobrium ſe eſſe ac vigilare dicẽs, vt alijs ebriis eſſe ac dormire liceret. Et Cato Vticæ cum reliquos à clade vniuerſos per præconem ad mare conuocaſſet, inq; naues impoſuiſſet, felicem ijs precatus nauigationem, ſeipſum interfecit docens, pro quibus princeps metum gerere, quæ debeat contemnere.

Regẽ vigilare oportere aliis dormiẽtibus.

At Clearchus Ponticus tyrannus, in ciſtã irrepens anguis in morem dormiebat. Et Ariſtodemus Arginorum tyrannus ſpõda in ſublimi conclaui poſita, ſupra ianuam penſilem, cum amica dormiebat: & amicæ mater vbi adſcendiſſet, ſcalas remouebat, rurſúmque luce facta apponebat.

Re enim vera principes ſubditis, tyranni ſubditos metuunt, itaque horum cum potentia creſcit metus, & quo pluribus imperant, eo plures timent.

Reges ſubditis tyrãni vero ſubditos timẽt

At potentiæ vbi prauitas acceſſit, dementia motibus animi additur, & verum eſt illud Dionyſii, qui tum maximè ſe frui imperio aiebat, cũ celeriter faceret quæ vellet. Valde autem magnum periculum eſt, ne cui licet facere quod vult, is velit quod non debet.



# Ex Plutarchi, De virtute morali, commentario.

QVod autem poſsit virtus etiam exiſtere atque permanere omnis materiæ expers, omniſque mixtionis, exiſtimo manifeſtũ eſſe.

Menedemus cui patria fuit Eretria, virtutum & multitudinem ſuſtulit, & differentias, quòd vnam eſſe arbitraretur quæ diuerſis vteretur nominibus, idem enim dici temperantiam, fortitudinem, iuſtitiam, quomodo idem ſunt gladius & enſis. Ariſto Chius, vnicam & ipſe quod ad ſubſtantiam attinet ſubſtantiam fecit ac ſanitatem appellauit, certarũ autem reſpectu rerum plures.

Etenim virtus dum conſiderat quid agendum ſit aut non agendum, prudentiæ nomen gerit: dum moderatur cupiditatibus modúmq; & legitimum tẽpus voluptatibus definit, tẽperantiæ: dum commercia contractúſque hominũ inuicẽ tẽperat, iuſtitiæ. ſicut culter vnus quidẽ eſt, aliàs autẽ aliud ſcindit, & ignis vnica ſua natura vtens in varias agit materias. In eo omnes cõueniunt, quod virtutẽ partis animæ principis affectionẽ quãdã & facultatẽ

Virtus pro diuerſis actionibus diuerſa ſortitur nomina.

*ratione partam, aut ipſam potius rationem eſſe ſibi conſentientem, ſanam atque inexpugnabilem ponunt.*

Affectus. *Motum enim illum ſiue effectum rationem eſſe prauam & intemperantem, à vitioſo & falſo iudicio vehementiam viréſque conſecutam.*

*Non enim perſpexerunt vtramque duplicitatem noſtri: ſed eam duntaxat, quæ euidentior eſt, ex anima & corpore compoſitionem.*

*Plato quidem apertè, firmiter, atque citra vllam controuerſiam ſenſit huius mundi animam non eſſe ſimplicem, non compoſitionis expertem, non vniformem: ſed quæ ex Eiuſdem & Diuerſi vi contemperata, aliàs vno ordine vi prædito vtens eodem modo ſemper regatur atque obſeruetur, aliàs in motus ſciſſa, orbéſque vagos & inuicem contrarios rerum differentiis atque ortibus principium exhibeat.*

*Tum hominis animam, quæ animæ Vniuerſi portio rationibus ac numeris huic congruentibus ſit concinnata, non ſimplicem eſſe aut eodem per omnia modo affectam: ſed aliam eius partem intelligentem eſſe ac ratiocinatricem, qua hominem regi naturæ ſit conueniens, aliam quæ variis motibus obnoxia, bruta, vaga & incompoſita ſuapte natura,*



*gubernante opus habeat.*

*Qui vero non aſſequuntur neque admirantur, quomodò brutum quod eſt, & rationem non habet, rationi obtemparere poſſit: ij mihi non videntur vim rationis perſpicere, quãta ſit ea, quòd penetret imperando ac ducendo: non duris hoc & refractariis ductibus, ſed conformantibus & obedientia ac concedendo plus quauis neceſſitate ac vi conficientibus.*

*Itaque moribus Græci nomen ἦθος fecerunt per commodè, ſunt enim, vt deſcriptionem informem, mores (de quibus nobis ſermo eſt) qualitas quædam in bruta animi parte, ac nomen inde habent, quòd hanc ſiue differentiam ſiue qualitatem efficta à ratione pars bruta in ſe recipit conſuetudinis (quæ illis eſt ἔθος) interuentu.*

*Non enim ratio omnem prorſus euellere perturbationem animi conatur: cum neque id fieri poſſit, neque expediat: ſed finem ei, quendam imponit ordinem, ingenerátque virtutes morales, quæ non ſint vacuitates motuum ſeu affectuum animi, ſed eorum mediocritates & concinnitates.*

*Tria enim hæc aiunt eſſe in animo hominis, facultatem, perturbationem ſeu mobilem affectionem, habitum.* Tria in animo facultas, perturbatio, & habitus.

*Horum vtrumque cum conſideret doctrina, ea quæ rebus duntaxat ſuo modo haben-*

tibus intenta eſt, contẽplatiua dicitur ac ſciẽtijs comprehenditur: quæ in certa conditione ad nos affectis, conſultatrix eſt & actionibus deſtinata huius virtus prudentia, illius ſapientia dicitur.

Inter prudentiam ac ſapientiã hoc intereſt, quod vbi contemplatrix philoſophia ad actiuam & motus animi temperantẽ, cõparatur, rationi conſentaneũ eſt ei prudentiã cedere, nam prudentiæ fortuna eſt opus: quam, vt & conſultationem, ad ſuum finem ſapientia non deſiderat, verſatur enim in ijs conſiderandis, quæ ſemper eodem ſunt modo.

Huius igitur quæ in rebus agẽdis verſatur rationis ſecundũ naturã munus eſt, immoderatos redundentéſque affectus & commotiones coërcere ac reſecare.

Vno modo rectè agere multipliciter autẽ peccare poſſe.

Itaque ergo eorũ quæ agimus vnumquodq; vnico tantũ modo rectè cum fit: multipliciter errari in eo poteſt: ſicut ſcopum attingere, vnicum eſt & ſimplex: ab eo autem variè excedendo deficiendóque aberratur.

Ad hunc modum itaque ratio motus appetitionis definiẽs, morales in homine virtutes gignit, quæ ſunt mediocritates inter nimium & parum, à bruta animi parte proficiſcens.

Neque enim dicendũ eſt quamuis virtutem in mediocritate cõſiſtere: cum ſapientia, nihil indigẽs brutæ partis, inq; ſincera mẽte & per-



turbationum vacua locum habens, rationis quædam ſit excellentia in ſeipſa perfectionem habens: qua vi ſcientiam conſequimur, rem diuiniſſimam atque beatiſſimam.

Quoniã autẽ mediũ multipliciter dicitur, quod medij genus virtus teneat, dicendum videtur. Commixtum igitur medium eſt ſimplicium, vt albi & nigri fuſcus color: & quod cõtinet & cõtinetur, ipſius cõtinẽtis & cõtenti vt duodenarij & quaternarij octonarius numerus eſt medius: & quod nutri⁹ extremi particeps eſt, vt boni & mali quod eſt indifferens.

Medium multipliciter dici.

Non enim à tẽperantia diſcerneremus continentiam, & ab intemperantia incontinentiã circa voluptates, & cupiditates, ſi eadẽ eſſet animi vis qua appetimus & qua iudicamus.

Quare non cenſent perfectam eſſe virtutem continentiam, ſed diminutã: non enim medietas exiſtit ex cõſonantia praui ad bonũ, neque reſecatus eſt affectus vehementior, neq; obtemperat, nec cum ea conſentit appetitus, ſed accipit, & facit dolorẽ neceſſitate repreſſus, tanquam in ſeditione hoſtis & inimicus ſimul habitat: odoribus ſimul & pæanibus & gemitibus repletus eſt continentis animus, propter inæquabilitatem atque diſsidium.

Aut dolorẽ quẽ morte Socratis cæpit Plato, ei quẽ Alexãder, vbi propter Cliti necẽ manus ſibi ipſi inferre eſt aggreſſ⁹ parẽ fuiſſe dixerit.

*Quocirca neruos animi iram Plato appellabat, quia acerbitate animus intendatur, & manſuetudine remittatur.*

*Et mortem alij bonorum duntaxat amiſſione, quidam æternis porrò infra terra pœnis, horrendiſque ſupplicijs malum eſſe arguunt.*

*Iam Cryſippus in iis quæ de diſſentione partium animi* Anomologia *ſcripſit, poſtquam iram eſſe cæcam pronunciauit, ſæpenumerò res conſpicuas videre non ſinat, ſæpe ea quæ iam apprehendimus obſcuret.*

*At verò cùm ipſa per ſe mens abſque vllo affectu mouetur, tum corpus quieſcit placidè ac conſiſtit: nihil commune nimirum cum ea mentis actione habens, quæ ſi mathematicam conſiderationem ſuſcipit, non adſcribit brutã partem ſibi. quo ipſo oſtenditur duas animi partes eſſe, facultatibus differentes.*

*Quare iuuenes vehementes ſunt & temerarij, & in appetitibus inflammati, & furentes & rabidi, propter ſanguinis copiam & caloris. At in ſenibus concupiſcentiæ fons atque principium circa iecur reſtinctum eſt ac debilitatum, magis viget ratio, elãgueſcente vnà cum corpore affectuum capace parte.*

*Animus enim nimio dolore aut gaudio correptus, ſimilis eſt corpori, afluxu humoris alicuius ſuperuacanei tumenti atque inflammato: non ipſum gaudium aut dolor. Rectè*



*igitur Homerus cùm, ait, viri boni non mutatur color, nec timet nimis: metum non abſtulit, ſed nimium metum: vt fortitudo non vecordiam, aut fiducia in temeritatem abeat.* Viri boni non mutatur color.

*Vnde etiam Diogenes Platonẽ laudantibus quibuſdam dixit: Et quidnam ille habet tantoperè prædicandum, qui tanto philoſophatus eſt tempore neminem dolore affecit?*

*Vt rectè dixiſſe pædagogum illum Laconem credamus, effecturum ſeſe dicentem, vt puer honeſtis gauderet, & turpibus angeretur: cùm nihil maius, nihil præſtabilius homini libero, educatione, eruditionéque congrua & debita, excogitari poſsit.*

## Ex Plutarchi commentario qui, An ſeni gerenda ſit reſpublica, inſcribitur.

*Neque verò nobis audiendi ſunt, qui omnibus aliis rebus, ſolo lucro faciũdo nos non defatigari aiunt, ſed & Thucydidis ſententia in meliorem partem accipienda eſt: itáque ſtatuendum, non modo honoris ſtudiũ non conſeneſcere, ſed multò minus communi-*

*tatis atque reipublicæ: quod apes etiã & formicæ conſeruant vſque ad finem. Nemo enim vnquam vidit apem ſenectute in fucum degeneraſſe, quod à ciuilibus quidam viris exigũt, vt vigore ætatis præterlapſo domi deſideant, cibúmque conquirant & reponant, ocióque patiantur virtutem agendi, tanquam rubigine ferrum abſumi.*

Virtutem ocio, vt ferrũ rubigine abſumi.

Epemenidem 50. annos dormiuiſſe.

*Sicut Epemenidem dicunt, cùm adoleſcens obdormuiſſet poſt 50. annos: euigilaſſe iam ſenem.*

*Cato cùm annos octoginta natus eſſet, reus factus, & cauſam ipſe ſuſtinẽs, dixiſſe fertur, Per quàm graue eſſe atque difficile, apud quos vixeris, cauſam tanquam apud alienos, & aliorum ſubire iudicia.*

*Cæſaris verò Auguſti actiones ſub finem vitæ, nihilo reliquis minùs imperatore dignas, aut in publicum vtiles fuiſſẽ in cõfeſſo eſt, & ipſe cũ iuuenes moribus legibúſque auſteris corrigeret iíſq; tumultuarentur. Audite, aiebat, iuuenes ſenẽ, quem ſenes iuuenem audiuerunt.*

*Quinetiã traditum eſt Eratoſthenis & Philochori hiſtorijs, tragicum poëtam Paulũ cùm iam annum ſeptuageſimum confeciſſet, octo fabulas, quas in extremo ætatis tempore quatriduo confecerat, in certamen adduxiſſe, paucis ante obitum diebus.*

*Nec pudorẽ nobis vox iſta Pompeij Magni*



*incutiet? qui à Lucullo ob intempeſtiuã tãto*
*natu ambitionem honorum ac magiſtratus*
*gerendi repræhenſus, poſt rem domi militiæq;*
*geſtam balneis, cœnis, ac quotidianis conui-* "
*uiis, ocio diſſoluto ac ſplendidiſsimis ædificiis* "
*dedito, reſpondit: Magis eſſe intempeſtiuum* "
*luxuriare ſenẽ, quàm rempublicã gubernare.* "
*Idẽ Pompeius, cùm ægrotandi ſibi medicus* "
*turdi eſum mandaſſet, & tunc per anni tem-* "
*pus iſta auis vix haberi poſſet, ac quidem* "
*multos turdos apud Lucullũ ali ſignificaret:* "
*nõ miſit petitum. Quid, inquiens? niſi Lucul-* "
*lus luxuriaret, non viueret Pompeius?* "

Senectus auara.

*In animo itaque parare ſibi voluptates debent, nõ indignas eas ipſis aut illiberales, vt Simonides, qui eũ ob auaritiam culpantibus, reſpondit, ſe per ſenectutem reliquis ſpoliatum voluptatibus, vnica lucrandi oblectatione grauem recreare ætatem.*

*Sed reipublicæ adminiſtratio pulcherrimas habet maximáſq; voluptates, quibus aut ſolis aut præcipuis frui Deos probabile eſt: eæ autem ſunt quæ à bonis actionibus, honeſtiſque factis proficiſcuntur.*

*Si enim Nicias pictor ita artis ſuæ operibus* "
*gauiſus eſt, vt ſæpenumerò è ſeruis quæſiue-* "
*rit, Lauine pranſiſne ſum? & Archime-* "
*dem vi à tabula cui inhærebat auellentes* "
*atque veſtibus exuentes vnxerunt famuli,* "

ille autem iuncto corpore figuras geometricas pinxit: Canius quoque tibicen, quem tu etiã noſti, dicebat, Neſcire quanto ſeipſum magis quàm alios delectaret canens.

Volnptates animi ob virtutem.

Hæc cùm animo luſtramus, quantum voluptatis cumulum ſuppeditent honeſtarum actionum virtutes, publicarum rerum adminiſtratio, propenſus ad quoſlibet iuuandos amor, facilè intelligimus: non titillantes illas aut emolliantes voluptates, ſicut in carne faciunt leues ac ſuaues motiones, quæ pruritũ habent furioſum & inſtabilẽ ac magna cum exagitatione coniunctum: ſed præclara facta, quorum quaſi opifex eſt qui rectè rempublicã tractat, non aureis Euripidis, ſed Platonicis ac diuinis alis animum elatione & gaudio præditum euehunt.

In memoriam tibi redigit, quæ ſæpe audiuiſti. Epaminundas interrogatus quid ipſi iucundiſsimum accidiſſet, reſpondit: Quod patre ac matre viuentibus Leuctricam victoriam reportaſſet.

Eſto enim, vt Xenophon ait, nulla ſuauior auditio laude ſpectaculum quidem & recordatio atque conſideratio nullius rei tam eſt grata, quàm propriarum actionum in magiſtratu & republica tanquam illuſtribus & publicis locis contemplatio.

Quomodo Deliacam nauim, lignis quæ vitiũ





concepiſſent identidem ſubmotis, aliiſque eorum loco inſertis, crediti ſunt homines ab antiquiſsimo tempore in hãc vſque ætatem pertuliſſe, & quaſi æternitati aſſeruiſſe.

Gloria vt flãma alimentum requirit.

Cæterum vt flamma, ita etiam gloria non difficulter conſeruatur, ſed alimentum ſeu fomitem haud magnũ requirit, extinctam neutram facilè & ſine labore rurſum incenderis atque excitaueris.

Lampis nauicularius interrogatus, quomodo diuitias conſecutus eſſet, reſpondit: Magnas non difficulter, paruas cum erumna & tardè. Sic ab initio gloriam in republica & potentiã ſibi parare non eſt facilè: augere partam & conſeruare quibuſuis creſcentem actionibus in promptu eſt.

Iam inuidia, quod maximum habet reipublicæ adminiſtratio malum, minime in ſenes incumbit. Canes quidem vt aiebat Heracletus, quem non cognoſcunt, latratu excipiunt obſcuro.

Honos nõ in honorato, ſed honorante.

Ideo inuidiã fumo nõnulli cõparauerũt, qui cũ initio adeũtibus ad rẽpublicã quaſi inceſus largus efferatur, poſtquam hi effulſere, euaneſcit. Sed honor ſenectutis, quod πρεσβεῖον Græci ab ea ætate deflexo verbo dicunt, obtrectationis ſecurus eſt & conceditur vltrò, nullius enim alius honor ita eũ qui habet magis, quã cui habetur cohoneſtatus, vt qui ſenibus defertur:

*Quanto enim diutius in republica aliquis fuit verſatus tanto plures etiam amicos ac conatuum & certaminum ſocios ſibi parauerit: quos neque educere ſecum omnes vt chorum magiſter poteſt, & relinquere iniuſtum eſt.*

Senex aliquid rei agẽs præclarũ ſpectaculũ.

*Ita præclare ſanè eſt ſpectaculum ſenex orans, agens aliquid rei, & honore affectus, qui vero dies ad menſam exigit, aut in angulo porticus deſidens nugatur, is facilè contemnitur.*

*Etenim Neſtor in bello verſans* Troiano, *ſuſpiciebatur, inq́; ſummo erat honore. Peleus autem & Laërtes domi deſidentes, abiecti erant ac ſpreti.*

*Itaque ciuitates vbi aliqua aduerſitas aut metus incidit, gubernari à ſenibus cupiunt: & ſæpe ex agro ſenem aliquem nihil tale deſiderantem inuitúmque ad clauum reipublicæ pertrahunt, eíque reipublicæ conſtituendæ munus dant: repudiatis prætoribus & oratoribus qui magnum clamore, & vno ſpiritu perorare, immò etiam per medios hoſtes penetratre pulchrè pugnando calleant.*

Senes ex agro ad clauũ reipub. inuitos pertrahi.

*Imperatorem autem eum eſſe neceſſe eſt, qui tam antegreſſa & conſecutura animo vidẽs, nulla perturbatione ſibi rationes eorum quæ ſunt in rem futura excuti ſinat.*



*Sophocles quidẽ dixit, ſe à re venerea profugiſſe tanquam à fero & rabioſo domino. At in republica non vnus tantùm dominus fugiendus eſt amor mulierum aut puerorum, ſed hoc multo inſaniores, ſtudium cõtentionis, ambitio, primi loci appetentia, qui morbus inuidiæ eſt obtrectationis ac diſſidiorum feraciſſimus.*

*Et Romanorum Senatus in hunc vſque diẽ à ſenio nomen gerit, atque vt lex coronam ac diadema, ita canos natura venerabile dignitatis ac principatus ſignum fecit.*

Senatus à ſenio nomen habet.

*Enimuerò regiũ imperiũ, quæ eſt perfectiſſima & ampliſſima reipub. forma, plurimis curis, laboribus, occupationibus deſtinetur.*

*Et Philippũ, cùm caſtra opportuno poſiturus loco audiuiſſet pabulũ ibi iumẽtis defuturum. Qualis dij boni vita noſtra eſt, qui cogimur eã vel aſinorũ cõmoditatibus adaptare.*

*Ita rẽpublicam quoque quæ ſubinde ſenes dimittat, neceſſe eſt occupari à iuuenibus gloriæ & potẽtiæ cupidis, prudẽtiæq; ciuilis imperitis, vnde enim parauerint, qui nullius ſenis Rẽpu. gerẽtis diſcipuli ac ſpectatores fuerint.*

Iuuenes à ſenibus docendi.

*Immò ſi nulla alia ſeni ſit cauſa, docendorum formandorúmque iuuenum cauſa gerere rempublicam debet. Sicut enim qui litteras & muſicam docent, ipſi prælegunt ac praeunt canendo diſcipulis: ita vir*

ciuilis non dicens modò dict ánſue foris, ſed agens ac publica adminiſtrans iuuenem inſtituit, ſimul & verbis & factis animum eius intus formans atque fingens.

Maſiniſſa 85. annos nat⁹ filium genuit. Maſiniſſa 90. annos natus pane ſordido veſcebatur.

Polybij hiſtoriis traditum eſt, Maſiniſſam annum nonageſimum agentem, relicto quatuor annorum ex ſe genito filiolo, ex hac vita migraſſe, & paulo ante exitum à vita Carthaginenſes prælio fudiſſe, fugaſſéque, pridie autem quàm id actum fuit, cùm multi illum ante tentoria panem ſordidum comedentem mirarentur, reſpondit ſe id facere, quia poſſet.

Itaque reges etiam meliores fuiſſe tradunt in bellis & expeditionibus, quàm in ocio.

Dionyſius maior interrogatus an eſſet ociosſus, reſpondit: Abſit vt hoc mihi vnquam contingat. Nimirum arcus, vt fertur, nimiū ſi intendatur, rumpitur: anima laxando perit.

Sed & hos honores non affectare debet ſenex, verùm recuſans ſuſcipere, non petens, neque eos tam ſumere ſibi, quàm ſeipſum iſti officio largiri.

Appius enim Claudius cùm audiuiſſet ſenatum, quod Romani à Pyrrho magna erant pugna victi, de conditionibus pacis ineūdæ conſultare, impatientia compulſus, quanquam vtrumque amiſerat oculū, per forum in curiā delatus venit, ingreſſúſque & in medio



adſiſtens, Antè ſe ægrè tuliſſe dixit, quod captus eſſet luminibus: nunc optare, vt audire etiā nequiret ſenatum tam turpia & indigna cōſultare & agere. Hæc cùm dixiſſet, multa ab ijs acta vituperando, quædā ſecus docēdo, perſuaſit vt rectā arma caperent, & de Italia cum Pyrrho decertarent.

Et Solon, vbi depræhenſum fuit Piſiſtratum gratiam popularem captando tyrannidem moliri, nemini reſiſtere, nemine libertatem defendere audente, ipſe ſua arma extulit, & ante domum propoſuit, auxiliúmque ciues popoſcit: cumq; ad eum mitteret Piſiſtratus qui interrogarent, Cuiuſnam fiducia rei iſta faceret, reſpondit, Senectute ſe eſſe fretum. "
"

Socrates vbique philoſophabatur

Nam Socrates, cùm neque poſuiſſet ſubſellia, neque cathedram conſcendiſſet, neque diſcipulis ſcholæ aut deambulationis vllam certam conſtituiſſet horam, cum aliis ludens, cum aliis (vt res dabat) bibens, militans, in foro verſans, ad extremum etiam vnà in carcere vinctus, & venenum bibens, philoſophabatur, primúſque oſtendit omne vitæ tempus, partem, caſum, negotium omnino aptum eſſe ſtudio ſapientiæ.

Sapiētiæ ſtudio omne tēp⁹ aptum.

Cicero autem ipſe confeſſus eſt ſe in pulcherrimis & maximis ſuis conſiliis, quibus ſuo conſulatu præclarè fungens, patriam ſer-

*uauit, opera auxilióque. P. Nigidij philoſophi vſum concipiendis. Vſque adeò multis modis expeditum eſt ſenibus rempublicam adiuuare, optima vtentibus re, ratione, inquam, ſententia, libertate dicendi, & prudentia.*

Senes libertate dicendi & prudẽtia vti.

*Senibus & cani & rugæ, quæ ab alijs ridẽtur, autoritatis & experientiæ teſtimonium dare, ad perſuadendum non mediocre auxiliũ orationi adiungere, & morum gloriam commendare poſſunt. Iuuentus enim imperata facere, ſenectus imperare debet.*

## Ex Plutarchi libello qui, Præcepta gerendæ reipublicæ, inſcribitur.

*PRincipiò itaque voluntas & propoſitũ ipſum reipublicæ capeſſendæ, veluti fundamentum aliquod firmum atque præualidũ iaciendum eſt, vt ratione id atque iudicio proficiſci, nõ trepidationẽ animo ſolicitudinémue inijcere videatur, æque ac ſi res tanta inanis ſtudio gloriæ, contentionéue vlla, poſtremò ceſſatione & ocij gratia ſuſcipi videretur. Nam neque capturæ quæſtúſue gratia ac-*



*cedendum eſt ad rempublicam: quomodo Stratocles & Dromoclidas ad auream meſſem (ſic enim tribunal per iocum nominabant) ſe inuicem ſunt cohortati, neque ſubito quodam animi motu perculſi ac quaſi furore quodam correpti cõferre nos eò debemus. Quod C. Graccho contigit, qui cum recente adhuc fratris exilio longiſsimè à reipublicæ cura vitæ ſuæ inſtitutum abduxiſſet, deinde iniuria ac contumelijs quorundam irritatus, coniecit ſeſe in reipublicæ adminiſtrationem, móxque rerum geſtarũ & gloria ſatur, deſiſtere cupiens, mutationemq́; & ocium quærẽs, potentiam ſuam præ magnitudine quomodo deponeret nõ reperit, ſed ſuo eã interitu deleuit.*

*Mihi quidẽ videtur, eos cœpti mox pœnitere, & animo perturbari, qui ſe in aliquẽ puteũ temerè & ab re demittunt: ijs vero rectè euenire, vt & rebus ſemper modicè atque modeſtè vtantur, & nihil contingat, quod eos vlla moleſtia & difficultate implicitos habeat, qui freti conſilio, per ocium, non præcipites ſed ex inſtituto eò deſcendunt: quippe qui actionum omnium, atque vitæ totius finem honeſtum ſibi conſtituunt & proponũt, nihil præterea aliud.*

*Proinde quemadmodum vini vſus initiò quidem arbitrio atque lege bibentis regitur, vbi vero ſenſim ac placidè*

*calefecerit hominem, immutare continuò incipit, atque nouis imbuere moribus: hac ratione decet virum ciuilem, & rempublicam tractare incipientem, tandiu ciuium moribus cōſentaneè viuere, & ſe ad eorum naturam accommodare, atque ſcitè coniectura ſectari ea & aſſequi, quibus populus ſoleat delectari, & quibus adduci facilè, donec opinione virtutis, & fide iam comparata, autoritate inniti poßit. Varij enim ſunt populorum mores, varia ciuitatum ingenia.*

Adulatores aulici.

*Enimuerò adulatores aulici aucupum more vocem ſuam ad imitationem regum componunt, itaque eos ſubeunt & decipiunt.*

*Non enim ita tractabilis eſt multitudo, vt cuiuſuis ſit ſalutare ei frænum iniÿcere: inq; aliqua felicitatis parte ponendum, ſi vt eſt bellua ſuſpectioſa & inconſtans, nullo viſu audituúe conſternata rectorem admittat.*

Verruca in facie moleſtior quàm reliquæ corporis cicatrices.

*Sicut enim in facie lens & verruca moleſtiores ſunt, quàm reliquæ corporis maculæ, mutilationes & cicatrices: ſic exigua peccata vbi in principis cernuntur vita, pro magnis habentur, propter opinionem eam, quam vulgo de principatu & republ. gerunt, rem eam eſſe magnam, & quæ vacare debeat omni errore atque vitio. Idcirco nō iniuria celebri eſt laude Liuius Druſus tribunus plebis, qui cùm domus ipſius multæ partes vicinis eſſent per-*



*ſpicuæ, ac faber quidam polliceretur ſe eas impendio quinque modò talentorum auerſurū & mutaturum: immò, ait, decem abs me aufer talenta lege hac, vt totam domum meā reddas omnium inſpectui patentem, quò vniuerſi ciues poßint cernere qua vtar vitæ degendæ ratione. Erat enim vir temperans & modeſtus.*

Ars dicēdi.

*Neque tamen propterea ita negligenda eſt orationis elegantia ac facultas vt omnia virtuti adſcribātur ſed vt nō opificē perſuaſionis cenſeamus eſſe, Rhethoricam, adiutricem tamen ſentiamus.*

*Qui naues gubernāt, & quidē munus remigū regendorum aliis mandāt, at rēpub. qui gerit, non gubernatrice modò mēte præditus eſſe, ſed in ſeipſo habere debet facultatē orationis, qua imperia tradat, ne aliena opus habeat voce, néue id ei vſu veniat quod* Iphicrati, *qui cum Ariſtophon eū oratione premeret, aduerſariū hiſtrionē meliorē, ſuā autē cauſam potiorē eſſe dixit. néue ſæpius vti cogatur Euripideis iſtis.*

Vtinam eſſet expers vocis humanū genus. &
Cur nō, malum, data vox rebus mortalium eſt,
Nullo diſerti vt eſſent in precio viri.

*Athenis aliquando cōtigit, cùm duo architecti de conducendo publico opere contenderent, alter differendi copia & elegantia inſtructus*

cùm de apparatu operis oratione vſus meditata populum mouiſſet, alter arte præſtantior, ſed dicendi ignarus, in medium progreſſus, Viri, inquit, Athenienſes, quemadmodum iſte dixit, ego efficiam.

Periclis reip. adminiſtratio.

Itaque adminiſtratio reipub quâ vſus fuit Pericles, verbo quidē (teſte Thucydide) populi fuit, reipſa autem principis viri poteſtas. Nā & Cimon bonus erat, & Ephialtes, & Thucydides, verū interrogatus hic ab Archidamo Spartæ rege, ipſene an Pericles meliùs luctaretur: incertū eſt, reſpondit, cū enim ego eum deijcio, negando ſe cecidiſſe vincit, idque ſpectatoribus perſuadet. Atque ea quidem res nō gloriam tantum Pericli, ſed & vrbi ſalutem attulit. dum enim ei paruit, felicitatem iam partam ſeruauit, abſtinuitque ab cæteris negotijs. Sed Nicias cùm idem ſequeretur propoſitum, neque tantum haberet ad perſuadendum viriū, atq; oratione veluti fræno laxò vteretur in dehortādo populū, nō obtinuit neq; peruicit: ſed in Siciliam abiit vi actus, & obtorto quaſi collo multitudinis impetu eò abreptus. Lupum quidē auribus teneri poſſe negant. Populum autem & ciuitatē vel maximè auribus ducere oportet, neque ſequi eos, qui exercitatione dicendi ſunt deſtituti, multitudinis ducendæ anſas quærunt elegantiæ artiſque vacuas: & aut ventre trahūt epulis præbēdis,

Lupū auribus teneri non poſſe.



vel marſupio largientes, aut ſaltationes aut gladiatorum ſpectacula crebra exhibētes populi fauorem captant, aut potiùs vim ei afferunt. Captant enim fauorem populi, eúmque ducunt, qui dicendo perſuadent: at iſtiuſmodi cicurationes, nihil à brutorum illectione & captura habent diuerſi.

Quandoquidē eorū qui reipublicæ præſunt, nō modò ſingula verba, nec res tātū publicitus geſtæ animaduerti notaríq; ſolent ſed virtus quoque, ioci ſimul & ſeria quæq;, domus ipſa familia, vxor, cubile, curioſius conquiruntur.

Principū in repub. viroīū actiones diligēter notari.

Quid ergo, inquies, nō etiā ijs, quorū impudica & mollis eſt vita ciuitates vtūtur? Sanè, quomodo grauidæ mulieres cum pica vexantur lapides, & qui nauſeant ſalſuginem alióſque id genus cibos appetunt ſæpenumerò, paulo poſt exputuri & auerſaturi. Sic enim & populi ob luxuriam aut petulantiam, vel inopia meliorum ductorum & gubernatorum, quibuſcumque oblatis vtuntur, abominantes eos & contemnentes.

Nō enim Rhetoricā ſuadendi opificem, ſed adiutricē eſſe debemus exiſtimare. Qua ratione illud eſt corrigendū Menādri: Mores dicētis ſunt qui perſuadēt, nō oratio. Re enim vera vtrūq; eſt quod rē efficit, mores nimirū atque oratio. Si autem verſantis in republica viri oratio nō iuuenilis aut ad theatrū cōformata,

Præſides reipub. eloquētia præditos eſſe oportere.

veluti corollam aut ſertum ex delicatis ac floridis vocabulis vndequaque colligentis, neque rurſum qualem Demoſthenis dicebat Pytheas lucernam redolere, exquiſitis ſcilicet curioſè cõmentis, duris ambitibus examuſſim & ad perpendiculum exactè compoſitam.

Oratio ciuilis & iuridicialis.

Admittit autem ciuilis oratio faciliùs quã iuridicialis ſententias communes, hiſtorias, fabulas, & tranſlationes, quibus maximè mouentur animi hominum, modicè & op-
» portunè vſurpatis: vt ille qui dixit No-
» lite Græciam altero oculo priuare, & De-
» mades qui ſe naufragia reipublicæ aiebat tra-
» ctare.

*Verumtamen & ſalſè dicta, & ridicula nonnunquã in parte orationis ciuilis admittũtur, cũ non petulãter aut ſcurriliter, ſed ab eo qui vtiliter increpet aut ſubſannet proferũtur.*

*Qui ſe ſalibus defendit aut vlciſcitur ei op-*
» *portunitas & veniam conciliat & gratiam,*
» *quale eſt reſponſum Demoſthenis ei datum,*
» *qui furti ſuſpectus lucubrationes ipſius exagi-*
» *tabat: Noui me ægrè tibi facere qui lucer-*
» *nam vram, & Demadi ab eodem vocife-*
» *ranti, Corrigere me vult Demoſthenes, ſus*
» *Mineruam: illa quidem Minerua ſuperiore*
» *anno eſt in adulterio deprehenſa.* In primis autem danda eſt tibi opera, vt ad multitudinẽ oratione vtaris meditata cautè, nõ inani:



cum ſcias etiam magnum illum Periclem antequam in publico verba faceret optare ſolitum ne vel vllum ſibi verbum à re alienum incideret.

Periclis depræcatio antequàm publicè ageret.

Oportet etiam bono vocis habitu ac robore ſpiritus exercitatam atque firmatã orationem adferre ad reipublicæ, non vilia ſed acerrima certamina: ne aliquando defatigatum dicendo atque extinctum ſuperet aliquis.

Cæterum ad rempublicam duo ſunt adi- «
tus & quaſi viæ, altera breuis & ad gloriæ «
ſplendorem expedita, non tamen periculi ex- «
pers: altera vt magis pedeſtris ac tardior, ita «
tutior. «

Pompeius etiam triumphum poſtulauit, nondum ſenator factus: & Sylla negante, plures eſſe dixit qui orientem, quàm qui occidentem Solem adorent: quo audito conceſſit Sylla.

Solẽ plures adorare oriẽtẽ, quã occidentem.

Reſtant vtique iudicia publica, & ad Imperatorem legationes, quæ virum acrem, atque audacia ſimul & conſilio inſtructum flagitant.

Sanè ſe ob inuidiam opponere bono viro & quem ſua virtus ad ſumma euexit, (qualis fuit in Periclem Simmias, in Themiſtoclem Alcmæon, Clodius in Pompeium, Meneclides rhetor in Epaminondam) neque ad gloriã facit, neque omnino vtile eſt.

Virũ probũ opprimere, neque vtile neque honeſtum.

*Diligendus autem eſt dux ad rempub. nõ ſimpliciter glorioſus & potens, ſed & qui ob virtutem talis ſit.*

Recte imperare nõ poteſt qui parere nõ didicerit.

*Tales ergo viri tenendi ſunt, iiſque adherendum: nec quomodo regulus Æſopi humeris aquilæ vectus ſubitò euolauit & aduertit, ita eorum debemus ſuffurari gloriam: ſed ab ijs amicè & cum beneuolentia accipere: quando qui non antè ſeruiuere, dominari rectè nõ poſſunt, vt ait Plato.*

*Cleo enim ad rempublicam ſe collaturus, conductis in vnum amicis ſuis, amicitiæ eorũ renunciauit, quòd ea in republica perſæpe à recta ac iuſta voluntate animum auerteret atque emolliret.*

Magiſtratũ omnibus debere ęqualẽ ſe præbere.

*Contrà Themiſtocles cuidam pronuncianti, Optimè ipſum reipub. præfuturum, ſi ſe omnibus æqualem præberet, reſpondit, Abſit vt ego tali inſideam ſolio, unde non plus à me ad amicos, quàm ad alios aut inimicos perueniat, ne hic quidem rectè, qui ciuitatem amicitiæ addiceret, réſque publicas priuato fauori ac ſtudio ſubmitteret, & quidem Simonidi abs ſe aliquid iniuſtum petenti idem reſpondit, Neque poëtam probum eſſe qui præter cantilenæ modum cantet, neque magiſtratum probum, qui præter leges gratificetur.*

*Etenim ciuilium virorum vita & in[illegible]*



*gentia inſtrumẽta ſunt amici, neq; ijs peccãtibus is ſocium lapſus ſe præbere, immò operã dare debet, ne ſe inſcio etiam ij delinquant, quæ res Soloni dedecus attulit, & calumnijs ciuiũ fecit eum obnoxium.*

*Oportet enim non modò vſque ad aram amicum eſſe, neque ſe periurij ſocium facere, vt aliquando Pericles dixit, ſed & vſque ad omnem legem, ius atque vtilitatem, quod neglectum, in magnum atque publicum damnum exit, quo & pertinuit Sphodriæ ac Phœbidæ impunitas, qui non minima cauſa fuerunt Spartanis, cur in Leuctricum conijcerentur bellum.*

Amicis citra inuidiã gratificandũ.

*Gratificari etiam licet amicis citra inuidiam, eiſque potiſſimum ad magiſtratũ conſequendum adiumẽto eſſe, adminiſtrationẽ aliquã ſplendidam ijs demãdando, aut plauſibilẽ legationẽ, vt vbi legatus principis honore afficitur, aut cum aliqua republica de concordia & pace agit. Cum vero difficilis aliqua, ſed eadem illuſtris ac magna impendet actio, eam ciuilis vir primum ipſe ſuſcipiet, tum ad eius ſocietatem amicum adſciſcet.*

Magiſtratũ actionẽ difficilẽ & illuſtrẽ ſuſcipere debere.

*Huius enim modi conceſſio qua amicis laudem deferimus, non minus laudãtem exornat quàm laudatum, quando ſeipſum duntaxat probare, vitium eſt, vt ait Plato, ſolitudini habitandæ conueniens.*

*Quæ verò amicorum ſunt ineptæ & abſurdæ petitiones, eæ non acerbè, ſed manſuetè ſunt reijciendæ, dehortandique ſunt & oſtendendum iſtas virtute exiſtimationéque ipſorum non eſſe dignas.*

Prætorẽ beneficia accipere non par eſſe ſed meretriculas.

Optimè *autem omnium hominum Epaminondas, qui cùm cauponem è carcere ad deprecationẽ* Pelopidæ *dimittere abnuiſſet, paulòpoſt eundem amaſia precibus intercedente miſſum fecit: huiuſmodi inquiens beneficia accipere meretriculas par eſt, non prætores.*

*Sunt & ad adiuuandos in paranda pe-*
» *cunia amicos in adminiſtratione reipub. ra-*
» *tiones nequaquam illiberales, vt Themiſto-*
» *cles cùm à pugna videret cadauer aureis tor-*
» *quibus & monili inſigne, præterijt ipſe, &*
» *ad amicum conuerſus, Aufer, inquit, hæc, nõ*
» *enim tu quoque es Themiſtocles.*

Amicos ditando Ageſilaũ lætatum fuiſſe.

*Et Ageſilaum Xenophon ſcribit lætatum fuiſſe quoties amicum ditaret, cum quidem ipſe diuitias deſpiceret.*

*Laudant plerique Themiſtoclem & Ariſtidem, qui quoties ad obeundam legationem, aut ducendum exercitum proficiſcerentur, inimicitiam in finibus patriæ depoſuerunt, reuerſiq; domum eam reſumpſerunt.*

*Si enim nobilis eſt magnique animi vox iſta,*

Liberos amo meos, ſed patriam magis meam:

Patriã liberis anteponendam.

*cur*



*cur non cuiuis promptius ſit dicere hoc, Odi hunc & cupio lædere, ſed maiore patriæ amore detineor?*

*Ego verò verſantem in repub. virum & inimicis iuſta in cauſa teſtimonium perhibere iubeo, & in iudicio eos contra calumniatorem tueri, alieniſque ab eorum animi inſtituto criminibus fidem denegare, quemadmodum Ne-*
*ro ille paulo antè quàm Thraſeam interfice-* «
*ret, quem maximè oderat ac metuebat, quedã* «
*conquerente iniquam in ſua cauſa à Thraſea* «
*latam fuiſſe ſentẽtiam: Vtinam verò, inquit,* «
*ita me amaret Thraſea, vt optimus eſt iudex.* «

*Non abs re eſt etiam, obiurgãdi cauſa amicos qui vitio quodam naturæ ad peccandum ſunt procliuiores, proferre inimicum eorum melioribus præditum moribus, ac dicere, atqui hic non erat ita locuturus, ſiue acturus.*

Pueris peccantibus obiiciendã parentũ virtus.

*Nonnullis peccantibus parentum præclarorum eſt obijcienda mentio, ſic apud Homerum:*

Haud ſimilem natum tibi Tydea magne dediſti.

*Permixta enim laudationi reprehenſio, non contumeliam ſed libertatem in ſe habens neq; iram ſed morſum & pœnitentiam excitans, benigna videtur & ad corrigendum apta. atque etiam maledicendi atque obiurgandi profuſa licentia, rempublicam tuentibus &*

principibus ciuitatis dedecori eſt.

Maledicta in autorẽ redire.

Sicut enim tela in eum qui miſit redeũtia, vi quadã & ſoliditate ijs impetiti retrò auerti videntur: ita maledictum robore & calliditate eius in quem iactum fuit in autorem reuerti apparet. Quale eſt, quod Epaminondas Calliſtrato exprobranti Thebanis Oedipi qui patrem, & Argiis Oreſtis qui matrẽ interfecit, facinora, reſpondit: Atqui vos hos ipſos à nobis eiectos recepiſtis.

Et Craſſus orator Domitio obijcienti, Nónne tu mortuam murænam quam alueras in piſcina, defleuiſti? reddidit: nónne tu nullam lacrymam trium vxorũ ſepulturæ impendiſti?

Laudantq; hi Epaminondam quòd cũ eum Thebani inuidia ducti & cõtumeliæ faciẽdæ cauſa Telearchã deſignaſſent, non detrectauit ſed fatus, Non modò magiſtratu virũ, ſed etiã viro magiſtratũ qualis ſit demonſtrari, Telearchiam ad magnam dignitatem ac maieſtatẽ euexit: cùm antè is magiſtratus non fuiſſet niſi ſtercorum ex angiportis eijciũdorum, ac aquarum deriuandarum procuratio quædam.

Oportet autem ciuilem virum ad populum amore ipſius captum accedere, ſuique etiã abſentis deſiderium in animis ciuium relinquere, quod fecit Scipio Africanus, multum temporis ruri degens, vt & inuidiæ minueret onus, & reſpirandi facultatem concederet ijs, qui glo-



ria ipſius premi videbantur.

Hoc pacto ciuem rem cõmunem adminiſtrantẽ, omnia circũſpicere, moderari omnibus decet, cedendo nonnunquam pro tẽpore, vt alij honores & ciuitatis munera capeſſant: vocãdo interdũ ad hæc quos idoneos ad res ſubeundas conſpexerit, atque ciuiliter & amãter hortando. Neque enim par eſt, vnum ſe quempiã velle, qui munera omnia ciuitatis ſuis ipſe concionibus, ſuis decretis, ſua demum autoritate, ſuaſione, concilio, conficiat & abſoluat.

Vir ciuilis ciuitatis princeps vt rex inter apes.

Enimuerò ciuilis vir naturæ ratione ſemper princeps eſt ciuitatis, vt rex inter apes.

Neque enim aut pulchrum, aut populare videtur, ambitioſe potentiam affectari: vt è diuerſo ciuile nõ eſt, honores publicè & de more decretos repudiare, & vocantis munera patriæ detrectare: quandoquidem ciuis boni eſſe videtur, quodcunque patria munus ritè delatũ admittere, & id pro virili parte curare, etiãſi humilius videatur, quàm eius exiſtimationi cui demandatur conueniat: quin hoc nomine maximè ſuſcipi debet, atque paulo ſplendidius geri. Par enim eſt vt qui magnis honoribus decorati ſunt, ab ijs minora munera viciſſim ornentur.

Etenim cùm videmus puerulos parentum crepidas conari ſubligare ſibi, aut coronas eorum capitibus ſuis imponere, per iocum

ridemus, at vrbani magiſtratus maiorũ opera, arduos conatus, & facta præſentibus temporibus ac rebus non congruentia ſtultè iubentes imitari, multitudinem concitant: & cum ridicula ſunt moliti, non riſu iam digna patiuntur, niſi plane ſint contempti.

Amicitię prĩcipiũ.

*Non modò autem ſe & patriam ciuilis vir inculpatam apud principem præſtare debet, ſed præterea ſemper aliquem ex potentiſsimis habere amicum, veluti fulcrum reipublicæ ſtabile. Eo enim ſunt Romani ingenio, vt in officijs ciuilibus promptiſsimos ſe amicis exhibeant.*

Qui medicè viuunt ſanitate minimè fruũtur.

*Quo enim pacto qui ſine medico neque cœnare neque lauare ſunt adſueti, ne tantum quidem quantum naturæ conceßit ſanitate fruuntur: eodem qui cuiuis decreto concilio, muneri, adminiſtrationi principis autoritatem inducunt, cogunt principes magis quàm ij vellent ipſorum dominos eſſe.*

Ciuilis viri anim⁹.

*Eſto enim viri ciuilis inſtitutum animi tenax eorum quæ tuta ſunt, fugiátque inanis gloriæ tumultuatricem iſtam de qua verba fecimus, ac furioſam affectationem: interim iſti affectioni inſit elatio quædam animi, & confidentia.*

Amor collegarum.

*Honor autem is eſt vt cum collegis vnanimitas atque amicitia colatur, longè magis congruens quàm ſerta & veſtis purpurea oras*



*prætexta.*

*Memini me, cùm iuuenis adhuc ad proconſulem eſſem legatus cum collega miſſus, hoc neſcio qua de cauſa in itinere ſubſiſtente, ſolum rem confeciſſe, cùm autem reuerſus rationem obitæ legationis eſſem redditurus, ſeorſum mihi pater adſiſtens monuit, ne dicerem profectus ſum, ſed profecti ſumus, & Diximus nõ Dixi, eodémque modo reliqua omnia cum ſocio inter referendum communicarem, hoc enim nõ modò benignum humanúmque, ſed & inuidiæ totam gloriam præſtat. Quamobrem etiã magni viri rebus præclarè geſtis genium & fortunam ſecum vt autores inſcribunt.*

Diximus non dixi, dicendũ.

« *Cæterùm Theopompus Lacedæmoniorum*
« *rex dicenti Spartam ſeruari regum imperan-*
« *di peritia: reſpondit magis ideo hoc fieri, quòd*
« *ciues imperio eſſent obſequentes.*

*Non ita honeſtatis rudes atque barbari quidam, qui veluti compti ſuæ potentiæ abundantia, in certaminibus arbitros ac præmiorũ collatores circumſcribunt, choragis in Liberalibus conuiciantur, prætores ac gymnaſiorum præſides derident: neque ſcientes neque diſcentes honorare eſſe interdum quàm honorari glorioſius.*

Honorare interdũ quàm honorari glorioſi⁹.

*Omni quidem ſtudio ac prouidentia in curandis reipublicæ commodis certandum eſt viro ciuili cum quouis magiſtratu, & ſi quidem*

homo aptus eſt qui eum gerit, monere eum debet, & probè conſultata rectè perficiendi occaſiones ſuppeditare, & in reipublicæ gloria ac vtilitate augenda adiuuare.

Lex enim ſemper ei qui iuſta facit & vtilia cognoſcit, primum in republica locum tribuit.

Vniuſcuiuſque eſt magiſtratui obtẽperare, etiã ſe pauperiori.

Pulcherrimum itaque & vtiliſsimũ inſtitutum ciuilis diſciplinæ hoc eſt, vt principibus magiſtratibúſque quiſque obtemperet, etiamſi opibus ac natalibus inferiores eſſe aliquatenus videantur.

Quod ſi de cõmodis reip. agatur, omni tum ſtudio, opera, cura, fide & diligentia rei communi proſpiciendum erit, & aduerſus quemuis magiſtratum ſolertiſsimè contendendum.

Iaſonis tyrãni ſententia.

Memoratur Iaſonis Theſſalorum tyranni dictum hoc, ab eo cùm multis vim faceret importunéque moleſtus eſſet, pronunciatum, Neceſſe eſſe vt in minutis rebus iniuſtè agant, qui in magnis iuſtitiam velint ſeruare. Quam quidem vocem nemo non ſtatim agnoſcat eius eſſe, qui ſibi poteſtatem omnem vſurpet.

Leuia leuiter concedenda.

Ad rem ciuilem magis congruit hæc præceptio, vt quæ leuia ſunt, ijs omittendis vulgo gratificere: in momenti alicuius rebus eidem te opponas, neque patiare eos delinquere.

Qui enim omnibus in rebus nimis eſt accuratus & vehemens, nihilque concedit aut



diſsimulat, is dum ſe vbique aſperum & implacabilem gerit, multitudinem ad certamen contentionis mutuæ adſuefacit. Itaque interdum debet (vt eſt apud poëtam) aliquãtulum remittere clauum ob magnam fluctus vim, aliquando ipſe veniam dans, ac ludendi ſe ſocium captandæ gratiæ cauſa præbens, vt in ſacrificijs, certaminibus, & ſpectaculis: nonnunquam veluti in familijs fit in puerorum peccatis, ſimulans ſe non obſeruare quæ delinquuntur, ac ſurda aure prætermittens, vt facultas caſtigandi & libera oratione increpandi, tanquam medicamentum, non vſu iam debilitata & inefficax, ſed viribus ſuis prædita atque autoritate in maioribus negotijs magis percellat, atque mordeat multitudinem. Etenim Alexander cum eſſet certior factus ſororem ſuam cum formoſo quodam iuuene rem habuiſſe, non eſt indignatus: ſed dandum hoc ſorori eſſe dixit, vt regni aliquem & ipſa fructum perciperet, non rectè ille, neque ſibi conuenienter talia permittens, neque enim petulentiam & imperij ſubuerſionem pro fructu eius duci par eſt.

Nimiam magiſtratus aſperitatẽ reip. damnoſã eſſe.

Alexãder de ſororis adulterio.

Quod ſi quod opus ingens ac vtile curandum proponitur, ad quod conficiendum opera multa & diligentia opus ſit, hîc annitendum eſt vt optimos amicorum tuorum

*quibus rem perpetrandam committas deligas, vel ex idoneis omnino eos deſumas, qui facilitate atque manſuetudine maximè præſtent: vt qui non per contentionem ſibi inuicem refragando, ſed conſentientes atque cõcordes negotium ſint abſoluturi, nempe prudentia ſine ſtudio æmulationis adhibita.*

*Aurum quidem in quædam fana intrantes, foris relinquunt: ferrum autem, vt ſemel dicam, in nullum important templum. Quando igitur tribunal commune quoddam eſt templum, Conſultoris atque Vrbitenentis Iouis ac Themidis & iuſtitiæ, iam inde ab initio diuitiarum & pecuniæ cupiditatem, tãquàm ferrum & morbum animi æruginis plenum exuens, in cauponum aut fœneratorum fora abijce,* longéque auertere ab illis.-- *atq; ſic habe, eum qui quæſtum è publico captat, furari de ſacris, de buſtis, de amicis, proditione, falſi teſtimonij dictione, lucrum quærere, infidum eſſe conſiliarium, periurum iudicem, magiſtratum dona captantem, denique nullo non genere iniuſtitiæ obſtrictum, vt hac de re non ſit multis opus verbis.*

Conſiliariũ munera captantem perfidum, iudicẽ irreligioſum.

*Ambitio autem quanquam ſit cupiditate quæſtus nitidior, tamen non pauciores in repub. gignit peſtes.*

*At Cato, cum iam tum ſtatuis Roma oppleretur, nullam ſibi paſſus eſt poni, quòd dice-*



*ret malle quæri cur non, quàm cur ipſi ſtatua eſſet collocata. Honos enim non rei præclarè geſtæ merces eſſe debet, ſed ſignum permanendæ rei ad multum tempus.*

Honos.

*Proinde fortiſſimus atque firmiſſimus honoribus cuſtos, modeſtia adhibenda eſt.*

Modeſtia fortiſſim⁹ honoris cuſtos.

*Proinde primum & maximum omnium, quæ exiſtimationi bonorum ciuium attribui poſſunt, fides certè eſt, quæ gradum ad agendum conſtituit, & aditum magna capeſſentibus præſtat, propugnat ſecundo loco, armátque & inſtruit bonos beneuolentia ciuium aduerſum obtrectatores & improbos: quandoquidem iuxta illud poëticum: vt mater ab infante ſuaui ſomno ſopito abigit muſcas, ita liuorem atque inuidiam procul propellit & amolitur.*

*Qui apum curæ atque educationis periti ſunt, eum alueum maximè ſanas & feliciter agentes apes putant habere, ad quem ſtrepitus eſt tumultúque plurimum. At verò is, cui Deus ratione donati ac ciuilis examinis curam impoſuit, tranquillitate præcipuè & placiditate populi fœlicitatem æſtimans, Solonis reliqua & probabit, & pro viribus imitabitur: id tamen in dubium vocabit, admirabitúrque, quid in mentem illi venerit, vt legem ferret, qua qui ſeditione in ciuitate exorta neutri parti ſe adiunxiſſet, infamia nota-*

Apũ cura.

tur. Nam neque in corpore è morbo ad ſanitatem redeundi initium fit ab vnà correptis morbo membris, ſed tum, cùm rectè, valentium partium temperies præualens id quod naturæ repugnabat depellit: & in populo non atroci neque exitioſa ſeditione conturbato, ſed qua componatur, ſub eius finem maximè neceſſe eſt vt quod incorruptum ac ſanum manſit, multum contemperetur, adſit, atque vnà habitet, ad hoc enim confluit quidquid ſanorũ hominum eſt idem ſentiens, eorúmque vis etiã per eos diffunditur qui vitiati fuerant.

Ciuitates ſeditionibus cõturbatas perire.

At ciuitates in vniuerſum ſeditionibus conturbatæ funditus perierunt, niſi aliqua foris ingruente neceſſitate, maliſque caſtigatæ, vi ad ſanitatem redigerentur.

Concordia ciuiũ.

Ergo ex officio ciuilis viri ſubiectis rebus hoc vnũ ei reſtat, quod nulli alteri bono præſtantia cedit, vt ciues ſuos concordia, mutuaq; amicitia inter ſeſe vti doceat, lites, diſcordias, inimicitiaſque omnes aboleat.

» Syracuſis de duobus familiaribus adole-
» ſcentibus, alter amaſiam alterius ſuæ cuſtodiæ
» à peregrè proficiſcente creditam abſente illo vi-
« tiauit, reuerſus, vt vicem rependeret, adulte-
» rauit alterius vxorem, tum quidam ſeniorum
» in conſilium progreſſus, conſuluit eſſe vtrunq;
» eijciendum, priùs quàm ſua inimicitia vrbem
» corrumpentes exitio eſſent, neque tamen it



perſuaſit, ſed orta ex hac occaſione ſeditio, ma- «
ximis cum calamitatibus optimam reipubli- «
cæ formam peſſundedit. «

## Ex Plutarchi, De vitando ære alieno, Commentariolo.

Aquã alienã quoad haurire liceat.

PLato in legibus, aquam alienam vicinis haurire nõ permittit, niſi ſuis in fundis ad argillã vſque terram effoderint, regionémque aqua carentem inuenerint. Etenim argilla naturã cum habeat denſam ac pinguem, humiditatem conceptã ſuſtinet, ac facile emittit. Eos enim aquam alienam tum demum auferre decet, cùm propriam poſſidere haud valeant, Indigentiæ enim, legem fauere æquum eſt.

Legẽ indigentiæ fauere æquũ eſſe.

Fœnoris origo.

Nunc luxu, mollitie, & prodigalitate adducti, non vtuntur ſuis, ſed magno fœnore ab alijs accipiunt, nulla neceſſitate compulſi, magnúmque eſt huius rei argumentum, quòd egeno pecuniam nemo credit, ſed ijs qui ſibi copiã aliquam parare volunt, teſtémque & ſponſorem habent eſſe ſe quibus tutò mutuum committatur, cùm debuerit cui res eſt mutuum nihil ſumere.

Equidem eos, qui potius quàm vendant,

*pignori ſua opponunt, ne Iupiter quidem, à poſſidendo Cteſius dictus, ſeruare poßit, pudet precium ſuarum rerum accipere, vſuras perſoluere non pudet.*

» *Sanè Romanæ mulieres mundum ſuũ muliebrem Apollini Pythio dederunt, primitiarum loco: ex quo aureus crater confectus Delphos venit. Carthaginenſes autem mulieres capita totunderunt pro patria, vt crinibus earum machinæ & inſtrumenta intenderentur.*

*Nos, dum contentos eſſe noſtris rebus pudet, dandis pignoribus contractibúſque ſubeundis in ſeruitutem noſmet damus, vbi par erat contractis, ad vtilia cupiditatibus inutilia nos & ocioſa concidere aut diuendere, itaque nobis ac familiæ fanũ libertatis extruere.*

*Diana quæ Epheſi colitur, debitores qui ad ipſius templum confugiunt, tutos à creditoribus & intactos præſtat.*

Fœnerator hoſtis & tyrannus.

» *Fuge hoſtem & tyrannum fœneratorem, qui non terram & aquam Xerxis more poſcit, ſed libertatem inuadit tuam, & dignitatem tuam proſtituit: ſi nihil Deos, obturbat: ſi habes non accipit: ſi quid vendis precium diminuit: ſi nihil vendis, vt vendas cogit: ſi iudicia exerces, compellat: ſi iuras, imperat: ſi ad fores eius venis, excludit: ſi domi incluſus es, oſtium ſeruat atque pulſitat.*



*Sapienter igitur apud Athenienſes Solon prohibuit, lege lata, ne corpora debitorum obligarentur, ne tandem omnes in ſeruitutem redigerentur.* «

*Lepores ferunt ſimul eodémque tempore & parere, & alere, & alios concipere fœtus. At verò bonum iſtorum & barbarorum debita, pariunt antè quàm concipiant.*

Fœnus præcedit fœnus, ſupereſt quoque fœnus.

Fœnus ex eo quod nõ eſt naſci.

*Et rident proinde iſti phiſicos, qui ex eo quod non ſit, exiſtere quicquam poſſe negant, nam apud ipſos ex eo quod neque eſt neq; ſubſiſtit, naſcitur fœnus. Et cùm publicanum eſſe pro dedecore ducant, quod tamen leges permittunt, ipſi contra leges fœnerando ſibi homines vectigales faciunt: aut potius, vt verum dicam, inter fœnerãdum defraudantes, qui enim minus accipit quàm in tabulas accepti retulit, is circumſcribitur.*

Dãtes magis mẽtiri quã accipiẽtes. Fœneratores mẽtiri lucri cauſa.

*Equidem Perſæ ſecundum arbitrantur delictum mentiri, primum verò debitorem eſſe, quandoquidem qui debent, vt plurimum mentiri coguntur. At longè fœneratores in ſuis Ephemeridibus nugantur ac imponunt, ſcribentes miſero illi tantum mutuaſſe cùm tamen multò minus acceperit. Siquidem mendacium lucri cauſa, non neceßitate, neque ob indigentiam ab illis fieri ſolet, ſed propter inſatiabi-* «

lem, quæ tamen in fine ipſis infructuoſa, ac inutilis exiſtit.

Non enim agros eorum, quibus eos eximũt colunt: neque debitoribus eiectis domos eorum inhabitant: neque menſes ſpoliatorum apponunt, aut veſtes vſurpant. Sed ſtatim vno peſſundato, alium venantur atque ineſcant.

Paupertas ærumnoſa, ſed ſecura.

Et tu, dicerem pauperi, noli paupertati multis alioquin onuſtæ incommodis difficultates mutuum petendi & ære alieno te obligandi accumulare: neque id, quo vno diuitijs præſtat paupertas, ei aufer, vacuitatem, inquam, ſollicitudinum. Nam illud quidem ridiculum eſt, quod prouerbio iactatur: Capram non poſſum portare, imponitis mihi bouem, paupertatem ſufferre non potes, & fœneratorem in ceruices tuas imponis, onus cui ferendo difficulter etiã diues ſufficiat.

Caprã geſtare nequeo, bouẽ ſuperimponere laboro.

Hirundines, formicæq; non mutuantur, quibus neque rationem, neque manus, neque artem natura dedit.

Pauperi pecuniã neminẽ credere.

Itaque ergo libertatis retinendæ cauſa æs alienum contrahentes, adulamur, vernas ſtipamus, cœnas præbemus, dona penſionéſque damus: non hoc paupertate cogẽte (nemo enim pauperi pecuniã credit) ſed prodigalitate impellente. Nam ſi contenti voluiſſemus eſſe rebus ad vitam neceſſarijs, tam non eſſet fœneratorum genus, quàm non eſt Centaurorum



aut Gorgonum.

Cæterum luxus vt aurarios argentariosq; fabros, & vnguentarios ac precioſorum colorum tinctores, ita fœneratores etiã produxit.

Iam qui ſemel inuolutus eſt debitis, is ſemper manet obæratus, alium ex alio ſeſſorem fræ nati in modum equi ſuſcipiens.

Fabula de vulturibus.

Atque adeò fabulam de vulturibus audi, Vomente vno, & eijcere inteſtina dicente, alter adſtans, Quid, inquit, mali eſt? non enim tua euomis viſcera, ſed cadaueris quod recèns laniauimus. Ita enim æs habentium alienũ, quilibet non ſuam villam, non domum vendit ſuam: ſed crediteris, quem ſibi dominum iuxta leges fecit.

Anaxagoras agrum ouibus paſcendum reliquit. Sed quid neceſſe eſt hos commemorare? quando etiam Philoxenus odarum conditor in colonia Sicilienſi hæreditatem, rem, domúmque adeptus, cùm videret luxuriam, luxum, & inſcitiam vulgo obtinere. Me hercle, inquiens, bona hæc me, non perdent, ſed ego iſta: relicta alijs hæreditate ex inſula ſoluit.

Bona hæc non me perdent ſed ego iſta.

# Ex Plutarchi libello qui, Quæſtiones Platonicæ inſcribitur.

NAm iudicium, res perutilis, impeditur familiaritate, amantem enim res amata cæcum facit: de his autem quæ noſtra ſunt, nihil perinde amamus atque opinionem & orationem à nobis fictam.

Domeſtica enim & nobiſcum habitans opinio, ſi optimè cum ea agatur, à philoſophia regitur atque cõſtituitur: reliquæ omnes à veritate aberrant.

Aut intereſt aliquid inter patrem & opificem, procreationem & ortum? ſicut enim quod procreatum eſt, id omnino etiam ortum eſt, non viciſsim: ita qui genuit, is etiam fecit, ortus enim animati, eſt procreatio. Tum opus ab opifice confectum, vt ædificatore, textore, lyræ fabro, aut ſtatuario, prorſus ab autore ſuo abſcedit, vis autem & principium procreantis, inſita eſt progeniei, eiúſque continet naturam portiuncula quædam à genitore auulſa. Quando itaque mundus non effictis aut compactis

pactis



operibus ſimilis eſt, ſed magna ei ineſt pars vitæ atque diuinitatis, quam à ſe Deus materiæ inſeruit atque admiſcuit: haud iniuria iuxtà & pater mundi, qui viuens extitit, & opifex appellatur.

Cùm mundus conſtet è duabus partibus, corpore & anima: corpus quidem non genuit Deus, ſed à materia exhibitum conformauit ac concinnauit, ſuis terminis ac figuris deuinciens definiénſque infinitum, anima autem mentis, rationis, concentúſque particeps, non opus modò ſed & pars Dei eſt, neque ab ipſo facta, ſed de ipſo & ex ipſo exiſtit.

Anima rationis particeps pars Dei & de ipſo & ex ipſo exiſtit.

Iam quod corpore vacat, ſuo continetur termino, corpus materiæ ratione infinitum eſt atque immenſum: cùm ſenſile ſit, participanda mente definitur.

Intellectus enim mens eſt in mathematicis: ſicut in ſpeculis ex apparentibus formis ſola mente cernendis.

Intellectũ mẽtẽ eſſe in mathematicis.

At vniuerſi natura eo quod mente videtur ſenſilia continet, Deus enim animã in medio poſitam per omnia extendit, eiq; foris corpora circundedit. Videri autem non poteſt anima neque vllo ſenſu percipi, vt in Legibus dictum eſt, itáque & vnuſquiſque interitui obnoxius, mundus nequaquam interibit. Nam quiuis noſtrum intus vitalem vim mortali ac diſſolubili corpore continet, in mundo contrà

à principe parte & ſemper eodem modo ſe habente, corpora perpetuo conſeruatur natura in medio ſita.

Nam nunc indiuiduum dicitur, & quod in partes ſcindi nequeat, ſimul tamen inſtat, neque eo vlla mundi pars vacat: ſed & affe-ctiones omnes, & actiones, interitúſque & ortus eo, quod nunc dicitur, continentur.

Anima corporis prĩcipiũ. Qua de cauſa Plato, cùm ſemper animam dicat corpore antiquiorem, eique ortus principium & cauſam, tamen dicit neque animam extitiſſe ſine corpore, neque mentem ſine anima, ſed animam in corpore mentem in anima? ſic enim videbitur corpus & eſſe & non eſſe, quod ſimul cum anima exiſtat, & ab anima gignatur.

An vera eſt eorum ſententia, qui cum dodecaedrum, id eſt duodecim laterum corpus, globo adſcripſiſſe, cum ait Deum eo vſum in expingenda Vniuerſi natura.

Præterea numeri figuris ſunt priores, ſicut & vnitas prior puncto, quod eſt vnitas in poſitu conſiderata. At verò quæuis vnitas, triangulus eſt.

Fulmen. Ab ictu enim, qui in nube fit, ignea materia exploſa in aërem exilit, íſque contrà ruptus cedit, ac rurſum in ſeſe concidens deſuper, vi deorſum & contra naturam fulmen deprimit.



Sed lapis hic Herculeus halitus emittit graues, quibus continens aër impulſus, eum qui ante ſe eſt tradit, iſque in orbem agitatus, ac ad vacuatum reuertens locum, vi vnà trahit ferrum. Magnes. Electro verò quippiam ineſt flammeum Electrũ. aut ſpiritus habens naturam, atque hoc attritione ſuperficiei recluſis meatibus emiſſum, idẽ agit quod magnes, trahit quippe ſecum proximorum corporum leuiſſima atque ſicciſſima, ob tenuitatem & imbecillitatem, nõ enim ita validum eſt, neque grauitate impetúve præditum, quo multũ aëris impellere, & maioribus magnetis in morem vim facere poſſit.

Cur verò neq; lapidẽ aër, neque lignum, ſed ferrũ modò ad Herculeũ promouet lapidẽ? hæc enim eſt quæſtio cõmunis & horũ qui tractatione lapidis, & eorũ qui incitatione ferri exiſtimant iſtorũ corporum fieri coitionẽ. Ferrum Lapis Herculeus. neque adeò rarũ eſt vt lignũ, neque ita ſolidũ omnino vt aurum vel lapis: ſed meatus habet quoſdã & tranſitus atque aſperitates, quæ ob inæqualitatẽ aëri proportione reſpondent: quibus efficitur vt nõ elabatur aër, ſed ſedibus quibuſdã receptus, & à ferro moderatè reluctante comprehenſus, cùm in id ad lapidem reuertens incidiſſet, vnà ſecum rapiat atque perferat. Atque horum quidem hæc eſt ferè ratio.

Ita natura cõparatum eſt, vt mutuò ſe pellant, viciſſimq; cedant aër & aqua: quod uul-

lum eſt vacuum in quo alterum ſubſiſtens ab altero non moueatur.

» *Quippe vox eſt ictus audientis ſenſus per*
» *aures ab aëre illatus, icit enim aër à mouente*
» *re ictus: quod mouens ſi vehemens fuit acutè:*
» *ſi languidum, molliuſculè: & quidem vehemens ictus ac contentus ad aures celerius accidit: deinde aër circumiens & ictum aſſumens tardiorem, aſſequitur & ſecum ducit ſenſum.*

Horologiorum gnomones inſtrumenta di metiendi tẽporis.

*Etenim horologiorum quoque gnomones nõ quia vnà cum vmbris locum mutent, ſed quia in loco ſuo perſiſtant, inſtrumenta ſunt dimetiendi temporis: eóque terram imittantur, quæ ſolis infra ipſum delati lumen intercipit. Sicut ait Empedocles*

Noctem terra facit, dum lucem intercipit almam.

*Reſpondendum eſt eos, qui his rationibus turbantur, ignoratione labi, quòd putent tempus eſſe menſuram motus & numerũ ſecundũ prius ac poſterius, vt Ariſtoteles dixit, aut quantitatem in motu, vt Speuſippus.*

*Sanè oculus non in omnibus animalibus eundem obtinet locũ: vbicunque autem ſitus ſit, hoc à natura habet vt videat. Pædagogus etiam non præcedens, ſed à tergo ſequens, ducere dicitur.*

Pædagogus à tergo ſequẽs ducit.

*Ea verò oratio è nomine & verbo cõſtat: hoc prædicatũ, illud ſubiectum dialectici appellãt.*



*Quo pacto litteras variant, qui ſpiritus & quantitates litteris annotant, non litteras, ſed affectiones potiùs, & accidentia atque differentias litterarum, quod manifeſtum fecerunt veteres, quibus vndecim litteræ ſuffecerunt ad eloquenda & ſcribenda omnia.*

Veteres vndecim litteris tãtùm vſos fuiſſe ad omnia ſcribẽda.

*Ita nos Platonem culpemus, quod coniunctiones & præpoſitiones aliáque id genus omiſerit. Non enim ex his oratio, tamen eorũ opera, neque ſine his confici videtur.*

*Id quod de Romana lingua dicere poſſum, qua ferè omnes hodie homines vtuntur.*

Romana lingua omnes ferè homines vti.

## Ex Plutarchi, De primo frigido, Libello.

*DEinde quod omnis priuatio ocioſum quippiam eſt & inefficax, vt cæcitas, ſurditas, ſilentium, mors, formarum enim diſceſſus ſunt & naturarum abolitiones, nõ naturæ & ſubſtantiæ per ſe.*

*Coguntur enim multa frigore, ſtipantur atque denſantur, & quies ſtabilitáſve eius nõ ocioſa eſt, ſed grauis atque conſtans, ob vim eius ſubfulciendi atque continendi robore præditam.*

Frig⁹ quo magis calida ſunt eo magis denſat.

Itaque priuatio quidem defectus eſt & diſceßio oppoſitæ facultatis, at frigeſcunt multa multo intus calore inhærente: multa etiam frigus, quo magis ea calida ſunt, tanto magis cogit atque denſat, vt cùm candens ferrum in aquam intingitur.

Præterea, priuatio nulla comparationem ſecundum plus aut minus admittit, neque eorũ quæ viſu orbata ſunt, aliud alio magis minúſve cæcũ dicitur, nec quæ loqui non poſſunt, aliud alio magis tacere, neque quæ vitã amiſerunt, aliud alio magis mortuum.

Subſtantiæ eſſe ſentiri.

Priuatio autem non viſu, non auditu, non tactu, deniq; nullo planè ſenſu percipitur. Sentiri enim eſt ſubſtantiæ, vbi ſubſtantia nulla apparet, ibi priuatio intelligitur, quæ ſubſtantiæ eſt negatio, vt cæcitas viſus, vocis ſilentiũ, corporis inane, nã neque inane tangendo ſentimus: ſed vbi nullum corpus tactui occurrit, vacuũ animo concipitur, neque ſilentiũ audimus: ſed quando nihil audimus, ſilentiũ intelligimus, eodemq; modo cæcorum, nudorum & inermium non eſt ſenſio, ſed ſenſus negatione noſcuntur. Ergo frigus ſi quidem caloris eſſet priuatio, non ſentiri oportebat: ſed ea intelligi frigida, vbi calor abeſſet.

Immo cõtrà magnæ vtilesq; voluptates corpori à frigore offeruntur: ac viciſſim vehementia damna, dolores ac prægrauationes, quando



non ſemper cedit ac corpus nõ deſerit calor, ſed ſæpe intus incluſus reluctatur atque pugnat.

Verùm hæc omnibus ſunt manifeſta, hiſque maximè affectionibus oſtenditur frigus calori vt ſubſtantiam ſubſtantiæ, vel qualitatẽ qualitati repugnare, non vt negationem aut priuationem, neque interitum eſſe caloris, ſed naturam vi eius perimendi præditam.

Elemẽta quatuor.

At enim cùm in Vniuerſo ſint quatuor prima corpora, quæ ob numerũ ſimplicitatem & vim plerique reliquorum elementa & principia ſtatuunt, ignis, inquã, aqua, aër, & terra: neceſſe eſt etiam totidem eſſe primas ac ſimplices qualitates, quæ verò ſint niſi calor, frigus, ſiccitas, humiditas, quibus elemẽtorum omnes motiones abſoluuntur?

Ignẽ mori ſicut animal.

Ignis enim moritur ipſe etiã ſicut animal, vel vi extinctus, vel ſua ſponte emarceſcens.

Adhæc de reliquis humoribus maximè pellucidum eſt oleum, quia plurimum in ſe habet aëris, cui rei certo id eſt argumento leuitas, ob quam omnibus innatat humoribus, ab aëre ſurſum elatum.

Quandoquidem nix, grando, glacies, ſimul & nitidiſſima ſunt & frigidiſſima.

Illud quoque tritum, Ignem aquæ miſces, vſurpatũ in eos qui vi conantur efficere quod fieri eſt nefas, teſtari videtur ignẽ eſſe aquæ hoſtem, ab eáque illum perimi & extinguendo

mulctari: non ab aëre, in quem ſuo interitu mutatur.

Porro aër vbique eſt æqualis, non tamē omnibus in locis æquè hyems & frigus ſunt, nam aliæ partes orbis terrarum frigidæ ſunt & humidæ, aliæ ſiccæ & calidæ, non fortuitò quidē hoc, ſed quod vna eſt frigoris & humidi natura.

Aquæ frigidiſſimæ.

Nam fluentium quoque aquarum eæ ſunt frigidiſſimæ, quæ de montibus aut ſaxis manant & putealium aquarum quæ in profundiſſimis ſunt puteis, his enim ob profunditatē non amplius admiſcetur exterior aër: illæ è ſincera terra erumpunt, qualis eſt apud Tænarū, quam Stygis aquam appellant, è ſaxo parcis ſcaturiginibus confluens, ita frigida, vt omnia vaſa rumpat, ſoláque aſini vngula poſſit contineri.

Aqua adeò frigida vt omnia vaſa rumpat.

Qui autem potum frigidiorem facere volunt, ij ſilices in aquam inijciunt, fit enim ſpiſſior & vis eius intenditur frigore, quod à lapidibus recens & ſincerum in eam emittitur.

Exiſtima philoſophi magis eſſe in rebus dubijs aſſenſionem cohibere, quàm aliquid tanquam certum probare.

Piſces cō gelatos vt vitra con fringi.

Etenim Theophraſtus piſces præ frigore congelatos narrat confringi ac conteri, velut vitra aut fictilia corpora, ſi in terram dimittantur.



# Ex Plutarchi Commentario, Belóne an pace clariores fuerint Athenienſes.

Athenarum vrbs aliarū mater, & artium nutrix.

PRofectò vrbs hæc multarum etiam aliarum mater, nutrixq́; benigna fuit artium: quarum alias prima reperit ínque lucem protulit, alijs honorem, vim incrementa contulit, non minimam verò ei debet & inuentionis & exornationis partē ars pingendi. Nam Apollodorus pictor qui primus hominum inuenit colorum temperationem diuerſorū, & vmbræ coloribus exprimendæ rationē, Athenis natus fuit, cuius operibus inſcriptum fuit,

Faciliùs hæc culpabit quis, quàm imitabitur.

Dixit quidem Simonides, picturā eſſe poëſim tacentem, poëſim picturam loquentē. Nā quas res tanquam ſi coràm agerentur pictores repræſentant, hæ vt præteritæ oratione enarrantur atque conſcribuntur: ac cum pictores idem coloribus & figuris exprimant, quod ſcriptores verbis & dictionibus: tantùm hi materia & modo imitationis differūt: vtriſq; idē

eſt finis propoſitus, íſque optimus hiſtoriæ ſcriptor habetur, qui narrationem perſonis animóque mouendo aptatis figuris ita conformat, vt picturam referat.

Ad hanc quidem Thucydides euidentiam ſemper enititur, vt auditorem tanquã ſpectatorem faciat: & quæ animorum perturbationes atque conſternationes ſpectantibus acciđiſſent, in eaſdem lectorem conijciat.

*Mors ſubitanea.*

» Plerique ferunt Euclea cum armis à pugna adhuc calentem in fores principum incidiſſe: idq́; vnum fatum, Saluete, ſalui ſumus, illico » expiraſſe.

*Scriptoribus habẽda gratia.*

Scriptores quidem rerum geſtarum, nunquam quidam ſunt vocales, réſque ipſas orationis vi atque pulchritudine æquãt, debéntque ijs gratiam, qui primi eos legunt atque cognoſcunt, ſed & laudatur eorum memoria propter eos, quorum præclara facinora litteris commendauerunt.

Nã ipſi quoque poëtæ exiſtimant res magis eſſe quàm verba neceſſarias atque præcipuas.

*Narrationẽ rei, fabulã autẽ narrationis eſſe ſimulacrũ.*

Eſt autem fabula narratio falſa, veræ ſimilis, longè itaque abeſt à rebus. Narratio enim rei, fabula narrationis ſimulacrum eſt: tantoq́; interuallo abſunt fingentes à narrantibus, quanto hi à rem gerentibus. Sanè poëſeos & lyrici carminis opificem nobilem Athenæ nullum tulerunt.



Quin & publicæ Demoſthenis orationes id habent admiratione dignum, quod in Philippicis ad res gerendas cohortatur & Leptinæ factum laudat.

## Ex Plutarchi, De exilio, Commentariolo.

LApis durus eſt, frigida glacies: ſuapte vtrúmque natura, non extrinſecus iſtis adſcitis ſuis qualitatibus.

*Remediũ aduerſus ea quæ moleſta habẽtur.*

Ego tamẽ, vt multi dicũt atque cantãt, exilium res grauis atque dura. Atqui multi ſunt cibi amari & acres, mordentéſque palatũ, aut linguam vellicantes: quibus tamen dum dulcia quædam & grata admiſcemus, id quod offendebat adimitur. Sunt & colores aſpectu moleſti, ad quos ob vehementiam nimiamq́; vim oculorum acies confunditur & hebetatur, at pro remedio ijs adijcere licet vmbras, aut auertere oculos ad viridia & iucundum habentia colorem.

*Cucurbitulæ medicorum.*

Nam cucurbitulæ medicorum humorem è corpore peſſimum ad ſe trahentes, alleuant & ſeruant reliquũ, qui verò ægritudini animi nimis ſunt dediti, ij dum peſſima quæq́; ſuarũ

*rerum conquirunt, de ijs ſecum ſoli diſputant, inhærentque ijs vnde ad ipſos moleſtia peruenit: ij etiam ea, ex quibus vtilitatem capere poterant, inutilia ſibi reddunt.*

*Duobus enim iſtis dolijs, quæ fatalium euẽtuũ plena Homerus in cælo ait iacere: nõ Iupiter promus adſidet, vt aliis leuia & temperata, aliis ſincera malorum exhibeat fluenta, ſed noſtrûm vnuſquiſque, ſi ſapimus, haurientes de bonis quo mala temperemus, vitam facimus iucundiorem & tolerabiliorem: cæterũ tanquam colis aut cribris intus manent atque inhærent, optimis per foramina aut rimas eiectis. Quapropter ſi in verã aliquam incidimus calamitatem: in quod ad hilaritatẽ animique tranquillitatem facit ex iis quæ in noſtra ſunt poteſtate acerſere debemus, & bonorũ quæ nobis adhuc ſuperſunt conſideratione aliunde oblatum incõmodum mitigare. Vbi verò in ipſa re nihil ineſt mali, ſed omnis dolor inanis opinionis errore confictus eſt: ibi queãdmodũ laruas pueris metuentibus propiùs adhibemus retectas, inque manus tradimus, vt aſſueſcãt eas contemnere: ita nos quoq; rationis lumine propiùs admoto detegemus quidquid præter rẽ putridũ, vanũ & tragicè inflatũ nobis obiicitur.*

*Natura enim patriã nullam cuiquã fecit, vt neq; domũ, neque agrũ, neque ærariam, vt Ariſto dicebat, neque medicam officinã: ſed fit,*



*aut potiùs nominatur horũ vnumquodq; quouis tempore ab eo, qui poſſidet & vtitur.*

*Quippe homo, ſi Platoni credimus, planta eſt non terræ infixa aut immobilis, ſed cæleſtis, cuius tanquam è radice caput ſurſum erectum in cælum dirigatur.* Homo plãta cæleſtis.

*Et Socrates meliùs, qui non Athenienſem, non Græcum, ſed mundanum ſeu mundi ciuẽ ſe eſſe dixit, noluit enim ſic à patria iſta appellari, quomodo Rodius aut Corinthius aliquis diceretur; neque ſe incluſit Simio, Tænaro, aut Cerauniis montibus.* Socrates mũdanus ſeu mũdi ciuis.

*Quæ autem terræ pars ab altera longè poteſt diſtare, cùm ipſam totam mathematici demõſtrent cum cælo cõparatam puncti loco eſſe: nos autem inſtar formicarum aut apum, ſi ex vno formicarum nido aut alueari excidimus, in mœrore ſumus & peregrinos nos eſſe factos ægrè ferimus, ignari omnia, vt ſunt, noſtra putare atque vſurpare.* Omnia noſtra eſſe.

*Sanè quidam Ægyptiorum ab offenſo & irato rege in Æthiopiam deportari, hortanti- «
bus vt ad liberos & vxores ſuas redirent pu- «
denda (caninum quidem ſatis hoc) oſtendẽtes «
reſponderunt, Quandiu hæc ſecum eſſent ha- «
bituri, neque vxores ipſis neque liberos defo- «
re. Honeſtius hoc & cum grauitate dixeris, «
Hominem vbicunque mediocriter ſuppeditabunt res ad vitam tolerandam neceſſariæ, neq; «*

*vrbe neque lare cariturū: tantum adſit mens & ratio, anchoræ & gubernatoris vice, vt quouis portu, ad quē delatus fuerit, vti poſſit.*

Diogenis de exilio.

*Ideò Diogenes etiam dicenti, Sinopenſes te exilio è Ponto damnauerunt: reſpondit, & ego illos manſione in Ponto.*

Ad Euxini maris prærupta litora.

*Enimuerò ſi ipſam veritatē remota inani opinione conſideres, qui vni vrbi ſe addicit, is à reliquis omnibus eſt alienus, & peregrinus in ijs, nō enim iuſtū videtur, ſua relicta eum habitare aliam. Spartam nactus & eam orna: etiam ſi obſcura ſit, ſi morbis obnoxia, ſi ſeditionibus maliſque rebus turbetur.*

Cōſuetudinē ſuauē reddere vitæ rationem.

*Dilige vitæ rationem optimā, ſuauem eam conſuetudo faciet, etiā hic ſapiēter poteſt vſurpari, Vrbē dilige optimā & tibi iucūdiſsimā: patriam eam tibi tēpus faciet, & quidem patriam, quæ te non diſtrahat occupationibus, nō moleſta ſit interpellando, non iubeat modò Romam ire legatum, excipere modò perfectum, aliâs publica obire miniſteria.*

*Quæ ſi quis memoria repetat nō planè faſtu inflatus, ſua patria eiectus vel inſulā ſibi pro domicilio diliget. Gyaron puta, aut Cinarum aſperam, ſterilem atque cultu difficilem, idque non animo æger, non lugens, neque iſta mulierum apud Simonidem vſurpans verba:*

Tenet me purpurei maris



Fremitus circum exagitati.

*Sed illud Philippi potiùs ſecū reputabit, qui cùm aliquando in palæſtra cecidiſſet, poſtquā cōuerſus in puluere ſuā vidit imaginē: Dij boni, dixit vniuerſum terræ orbē appetimus: tam exigua terræ portione à natura nobis tributa?*

Amabo leuem cupreſſum.
Omiſſis Cretæ paſcuis.
Terræ mihi datum eſt parum,
Careo interim doloribus:

Inſularū laus.

*Iam Cyclades inſulas olim Minois filij, poſtea Codri & Nelei progenies inhabitauerunt, hodie in his fatui exſules ſupplicium ſe perferre putant.*

*Equidem Zeno cùm narratum ei eſſet nauim, quam vnam reliquam habuerat, vnà cū mercibus eſſe à mari abſorptam, Bene, inquit, ô fortuna facis, in pallium me & vitam compellens philoſophicam.*

*Tibi, cùm non ſit vnus adſignatus locus, ſed vno prohibito: dum vno interdicitur, omniū aliorum poteſtas eſt data.*

Paucos de ſapientiſſimis in patria ſepultos.

*Diogenis illud, Prandet Ariſtoteles quādo Philippo lubet, Diogenes quando Diogeni: cū neque negotiū, neque magiſtratus, neque præfectus victus rationē vſitatē tibi interrūpat. Ob hāc adeò cauſam paucos de prudentiſsimis & ſapiētiſsimis inuenies in ſua patria ſepultos. Atq; etiā hodie celeberrimi & præſtātiſsimi*

*viri viuunt extra patriam, non indicto ſed vltro ſuſcepto exilio, neq; iuſsi fugere, ſed ſpōte ſua fugientes negotia, occupationes, moleſtias, quas patria adfert.*

*Quare is quidem ridiculus eſt qui exilium putat cū ignominia coniunctū. Quid enim dices. Obſcurus fuit Diogenes? quem cum Alexander vidiſſet in Sole apricantem, & quæſiuiſſet aliquáne re indigeret: iſque reſpondiſſet, nulla, niſi vt paululum ſecedens Solis radios non intercipias: miratus animi magnitudinem, amicis dixit, Niſi Alexander eſſem, Diogenes vellem eſſe.*

Exilium nō carere gloria.

*Mirū enim ſi dicendi libertas Theodoro Cyrenæo fuit adempta: qui, cùm ei rex Lyſimachus diceret, Te, quia talis eſſes, patria eiecit: Omnino, reſpōdit: neq; enim me ferre poterat, ſicut & Bacchū Semele eiecit, cùm ferre nequiret amplius, cumq; ei rex Teleſphorū oſtendiſſet, qui oculis, naribus, auribúſque mutilatus in cauea continebatur, ac diceret, Sic ego tracto eos qui mihi malè faciunt.*

At ſpe feruntur exules ali.
Vultu aſpiciunt iucundo: cunctantur tamen.

Exules ſpe ali, ex Euripide.

*Attamen, inquies, exprobratur exuli exilium? à quo tandem, niſi à fatuis? qui & pauperiem, & caluiciem, & breuitatē ſtaturæ exprobrant, & pro flagitio deputant, ſi quis peregrinus*



*regrinus ſit, aut inquilinus, verùm qui in horum ſententiam non deſcendunt, ij admirationi habent viros bonos, ſiue pauperes ij ſunt, ſiue peregrini, ſiue exules.*

Exiliū nō eſſe probroſum.

## Ex Plutarchi libello, De inuidia & odio.

*ITa quidem videtur nihil ab odio differre inuidia, ſed idem eſſe.*

*Idcirco beneuolentiam vtrique oppoſitā putamus: nihil enim eſt aliud, quàm bonorum erga proximum voluntas.*

*Naſcitur itaque odiū ex opinione quā habemus, quòd is quem odimus, malus ſit aut in vniuerſum, aut quantū ad nos attinet. Nā & qui iniuria ſe affectos putant, autorē iniuriæ odiſſe ſolent: & qui aliàs iniurioſi aut malicioſi videntur eos auerſamur atque moleſtè ferimus. Inuident autem ſimpliciter iis, qui fortuna vtuntur propitia.*

*Et Germanicus galli gallinacei neque vocē neque aſpectum ferebat, mures magi Perſarū interficiebant, quòd & ipſi eos odio haberēt, & Deo inuiſos arbitrarentur. Inuidia ſoli homini aduerſus hominem eſt. Neque enim probabile eſt brutam beſtiam brutæ inuidere.*

Inuidiā ſoli⁹ eſſe hominis.

*Et*

*Interim oderunt inuicem bruta, exercéntque inimicitias, & fide maiora bella gerunt.*

*Probabile eſt etiam leoni aduerſus gallũ, & elephanto aduerſus murem atrox odium eſſe à metu natum, Quod enim timent id odio eſt. Hoc ergo videntur odium & inuidia diſcrepare, quòd hanc brutorũ natura, non item vt illud admittit.*

*Nam maior nulla poteſt eſſe vitioſitas, quàm optimis eſſe inimicum.*

Odiſſe malos laudi datur.

*Odium enim malorum laudabile eſt: idcirco fratris Lycurgi filium Charillum, Spartæ profectum, probum & clementem virum laudantibus quibuſdam, collega eius, Et quomodo, inquit, probus eſt Charillus, cum ne in malos quidem ſit acerbus? Atqui eos magis odimus, qui deteriores fieri pergunt: inuidetur ijs potiſſimùm quorum virtus creſcere videtur, itaque etiam Themiſtocles diceret, ſe adoleſcentem nullum ſplendidum feciſſe facinus: nondũ enim ſibi fuiſſe inuiſum.*

*Sicut enim cantharides maximæ adultis iam frugibus, & roſis florentibus incumbunt, ita inuidia maximè adoritur bonos, & ad virtutem proficientes atque gloriam.*

Alexãder inſidiis interfectus.

*Odium verò potentia & excellentia inimicorum non minuit: nam Alexander neminem quidem habuit qui inuideret ipſi: qui odiſſet, multos, quorum tandem interfectus eſt etiam inſidijs.*



*Inſtitutũ eſt eius qui odit, malè, ſi poßit, facere, atq; ita odiũ definiũt, affectionẽ quandã & propoſitũ malè faciendi, eiusq; occaſionem captandi: Verum hoc quidem ab inuidia abeſt.*

## Ex Plutarchi Conſolatione ad vxorem ſuam.

*EGo enim ipſe ſcio, atque definio quãta ſit accepta calamitas, ſi verò te grauiter ferẽdo modum excedentem offendero, id me magis etiam quàm res ipſa perturbabit.*

Natus è quercu aut ſaxo.

*Sanè ipſe quoq; nõ ſum, quod aiunt, è quercu natus aut ſaxo, quod tute ſcis, quæ me tot liberũm educandorum adiutorem habuiſti, quos omnes domi noſtræ, noſtraq; opera educauimus.*

Mortuorũ recordatio qua iis eſſe debeat.

*Oportet autẽ, quemadmodũ nobis ipſa fuit omniũ iucundißimũ oblectamentũ & ſpectaculũ atque auditio: ita recordationem quoque ipſius nobiſcum aßiduò eſſe atque viuere, quæ multo, immò multis modis plus adferat lætitiæ quã doloris: ſiquidẽ par eſt eorũ ſermonũ, quos ſæpenumerò inter nos habuimus, ſuo tempore ad nos quoque aliquam redire vtilitatem: neque nos deſidere, & multiplices ijs quæ læta percipimus dolores apponere.*

*Nā frugalitate quod vel ad cultū corporis vel ad victus rationē attinet, nullus philoſophorū eſt quē noſtra familiaritate ac cōſuetudine vſum non in tui admirationē traxeris: neque ciuiū cui nō in ſacris, ſacrificiis, & theatris tua cultus vilitas ſpectaculo fuerit.*

*Quippe amicorum ædes cùm vident ardere homines, vnuſquiſque ad extinguendū incendium omnem ſuam celeritatem, omnem vim confert, cùm animum vident ardere, ipſi fomites & alimenta incendio ſuggerunt.*

Præterito rū recordatio.

*At enim id te conari velim, vt frequenter tu cogitatione in illud transferas tempus, quo tēpore nondum nobis iſta prole nata nihil erat quod cum fortuna conquereremur, deinde hāc cum illa continues tempeſtatem, atque ſic ratiocinere, eundem nunc eſſe noſtrum, qui tum fuit, ſtatum.*

*Bienniū verò, quod interceſſit, neutiquam eximendū eſt memoriæ: ſed voluptati nobis ducendū, quod nobis gratam oblectationem præbuerit, neque debemus exiguum bonū pro magno malo deputare: aut aduerſus fortunam ingrati pro eo quod dedit eſſe, quia non adiecit id quod ſpe conceperamus.*

De diis ſemper bene loquēdum.

*Semper quidē pulchrū ſuauémque fructum fert de diis bona verba dicere, fortunāq; æquo animo, & citra incuſationem ferre.*

*Illa verò Timoxena cū iā eò venerit, vbi nullus eſt dolori locus, nihil noſtro opus habet dolore quid enim nobis ab ea mali euenire poteſt, cū omni ipſa vaccet moleſtia? nā magnarum rerum amiſſiones dolorem abiiciunt, cùm eò peruenerint, vt nihil iis dolore ſit opus.*



Mortuos dolore viuētiū nō indigere.

*Cæterùm Timoxena tua paucis eſt priuata rebus: pauca enim norat, pauciſque gaudebat, quæ verò neque ſenſu neque cogitatione percipit quomodo ei hæc adempta diceres? Enimuerò quæ alios audis dicere, quibus perſuadēt vulgo nullum malum, nullum incommodum eſſe iis qui ſoluti ſunt corpore. Itaque ergo animam, vtpote interitus expertem, cogita idem pati, quod accidit auibus captiuis. Si enim multum temporis in corpore ea fuerit educata multiſque rebus & longa conſuetudine cicurata huic vitæ ſe ſubdiderit: rurſum auolans, denuò ſubit corpus, neque deſit nouis ortibus ſubinde implicari huius vitæ caſibus atque euentis. Noli enim arbitrari propterea ſenectutem malè audire & culpari, quia rugas, canos, imbecillitatémque corporis ſecū trahit, ſed hoc habet moleſtiſſimum ea, quòd animā rerum ad corpus pertinentium memoria quaſi adoleſcentem, hiſque nimio ſtudio deditam redigit: flectitque & premit, figuram quam affecta à corpore accepit, conſeruans, illa autē accepta quidē à melioribus, tenetur: tanquā è molli flexu renitens ad ſuam naturam.*

Animas denuò nona ſubire corpora.

Infantũ mors.

*Suis enim infantibus mortuis neque inferias libant, neque aliud quicquam faciunt eorum, quæ fieri mortuis apud alios ſolent, neque enim terræ, aut terreſtrium infantes vllam partem percipiunt, neque circum eorũ ſepulchra aut monimenta ac cadauerum expoſitionem commorantur aut adſident, nam leges id non permittunt: quia hoc nefas ſit, cum ij in meliorem ac diuiniorem conditionẽ ſimul locúmque conceſſerint. Quoniam verò difficilius eſt fidem ÿs derogare quàm adhibere: externa quidem ſic vt leges præcipiunt conſtituamus: interna autem etiam magis incontaminata, pura atque moderata ſunto.*

Mortuos lugere leges prohibent.

## Ex Plutarchi libello, De Fato.

P*Rimùm hoc ſcito, Fatum dupliciter & dici & intelligi, vel vt actionem (ſic enim energeian Græcorum liceat interpretari) vt ſubſtantiam ſiue naturam.*

*Quod ſi quis velit hæc magis vulgaribus verbis exprimi: dicamus in* Phædro *Fatum deſcribi, vt ſit diuina oratio, quam tranſiri ſit*



*nefas, & quæ à cauſa pendeat nulli impedimento obnoxia, in Timæo, Legem appellari comitẽ naturæ Vniuerſi, ſecundũ quã omnia quæ fiunt trãſigãtur, hoc enim efficit* Lacheſis *verè neceſsitatis filia, vt & antè commemorauimus, & poſtea progreſſu diſputationis pleniùs aperietur.*

*At Fatum quod ſubſtantia ſit, eſt (vt apparet) vniuerſa mundi anima, in tres partes quaſi diſtributa: ſcilicet in portionem inerrãtem, in eam quæ errare ſiue vagari putatur, & in eam quæ infra cœlum circa terram verſatur, harum ſuprema* Clotho *appellatur, proxima Atropos, infima Lacheſis, quæ ſororum ſuarũ cœleſtes actiones excipiẽs connectit, & in terreſtria, quibus perfecta, dedit.*

Clotho. Atropos. Lachæſis

*Fatũ enim cum ſuo orbe omnia quæ infinita ex infinito in infinitum fiunt, complectatur, infinitum ipſum non eſt, ſed finitum.*

*Quod enim definitum eſt, id diuinæ cõuenit prouidentiæ: & verò in vniuerſalis conſpicitur, talis ergo eſt & diuina lex, & ciuilis: in ſingularibus locum habet infinitas.*

*Hæc ergo enũciato, ſi quidem id notat, Fato omnia contineri, prorſus eſt concedenda, ſiue quis de rebus humanis & terreſtribus, ſiue de cœleſtibus velit intelligi,*

Fato omnia contineri.

*atque hoc in præſentia, quod ad noſtram attinet diſputationem, conceſſum eſto.*

Legitima nō eſſe omnia quæ iuxta leges fiunt.

*Non enim legitima ſunt, neque iuxta leges fiunt omnia, quæ legibus continentur. Nā ſi proditionem & ordinis deſertionem, & adulterium aliáque id genus multa leges complectuntur: quæ legitima eſſe nemo dixerit: & ego ne rem quidem egregiè gerere, aut tyrannum interficere, aut tale aliquid dicturus ſum eſſe legitimum.*

*Proinde cùm his nulla faueat ratio, iſta tantum dicemus legitima eſſe, & ſecundum leges fieri, quæ legibus ſunt expreſſa: quocumque aliâs modo acta ſint. Eodémque iura illa tantum fatalia cenſebimus, & fato fieri dicemus, quæ conſequuntur cauſas in diuina diſpoſitione cauſarum antegreſſas. Hinc concluditur, omnia quæcumque fiunt, fato contineri: multa autem, atque adeò pleraque antecedentibus cauſis effecta, non rectè fato addici.*

*Etenim fatum omnia continet, ſicut etiam videtur, neque tamen propterea omnia neceſſariò eueniunt, ſed vnumquodque pro ſuæ naturæ modo.*

*Nam poßibilium quædam nunquam poſſunt prohiberi: vt ortus occaſúſque cœleſtium corporum, & id genus alia quædam poſſunt prohiberi, vt pleraque humana, multa eorū*



*etiam quæ in ſublimi fiunt. Ac prioris quidem generis quæ ſunt, neceſſaria nominantur, quia neceſſariò fiunt, poſterioris contingentia, quia contingere poteſt, vt in diuerſam partem eueniant.*

*Cauſæ autem aliæ per ſe ſunt cauſæ, aliæ per accidens, verbi gratia, domus aut nauis per ſe cauſa eſt ars ædificādi vel naues compingēdi: per accidens, muſica, geometria, & quidquid omnino arti domum nauímue fabricandi ſiue corporis, ſiue animi, ſiue externarum reſpectu rerum accidit. Vnde perſpicuum fit, quod per ſe eſt, id vnicum eſſe & finitum: id quod per accidens, neque vnum eſſe, & infinitum, nam vni rei infinita inter ſe differentia accidere poſſunt.*

*Caſus autem latiùs patet quàm fortuna: quando & eam complectitur, & multa alia quæ aliâs aliter accidere ſuapte natura poſſunt.*

Caſum fortunā cōplecti.

*Denique ſicut quod eſt in noſtra poteſtate, pars eſt contingentis: ſic fortuna pars eſt caſus, vtq; caſus contingenti, ita iis quæ in noſtra ſunt poteſtate fortuna accidit: non omnibus tamen, ſed in quibus conſilium delectúſque adhibentur: vti diximus.*

*Proinde caſus eſt communis animatorum, & animæ expertium, fortuna hominis eſt propria, eius qui iam agere poſſit. Idq; huic*

Felicitatẽ ſolius eſſe hominis perfecti.

*conſtat, quòd fortunatum eſſe & felicem eſſe pro eodem habentur, & felicitas eſt quædam agendi dexteritas: hæc autem eſt ſolius perfecti hominis.*

*Quæ ergo fato comprehenduntur, hæc ſunt: contingens, poſſibile, delectus, in noſtra ſitum poteſtate, fortuna, caſus, iiſq; adiuncta, de quibus eſt etiam fortaſſis, & perinde quæ omnia continentur quidem fato, nullum autem eorum fatale eſt.*

Prouidẽtia quid.

*Eſt itaque prouidentia, ſuprema quidem & prima, primi Dei intelligentia ſiue mauis voluntas benefica erga res omnes qua primũ* » *ſingulæ diuinæ res omnino optimè ac pulcher-* » *rimè ſunt ordinatæ.*

Prouidẽtia triplex.

*Cùm ergo triplex ſpectetur prouidentia, quarum prima præcipuè & potiſſimùm ſic nominatur: non verear dicere, tametſi hoc philoſophorum ſententiis repugnans videri poterit, omnia fieri fato & prouidentia, non etiam natura, ſed quædam fieri ſecundũ prouidentiã, alia quidẽ ſecundũ aliã, quædã iuxta fatum: & fatum omnino ſubeſſe prouidentiæ, hanc fato nequaquam, loquimur autẽ hîc de principe & ſumma.*

*Quod autem fit ſecundum aliquid, poſterius eo eſt ſecundum quod fieri dicitur, vt quod ſecundum legem fit, lege, & quod ſecũdum naturam, natura eſt poſterius: ita & quod fit*



*ſecundum fatum, fato eſt recentius.*

Mũdi origo.

Mũdi autorem omnia ſibi ſimilia fieri voluiſſe.

*Dicamus enim, inquit* Timæus, *cauſam, cur vniuerſum hoc machinatus ſit autor. Bonus erat: in bonum autem nulla aduerſus quicquam aut vlla de re cadit inuidia. Ea itaque vacuus, voluit omnia ſibi quàm maximè fieri ſimilia.*

Deũ omnia bona fieri & nõ mala velle.

*Volens enim Deus omnia bona, nihil (quantum omnino fieri poſſet) malum eſſe, ita omne id quod cernitur adſumens, non quietem, ſed motibus citatum compoſitis & vitioſis, in ordinem diſpoſuit: ratus hunc vtique confuſione meliorem eſſe.*

Animas pari eſſe numero cũ ſtellis.

*Poſt ita loquitur: igitur poſtquam vniuerſum condidiſſet, animas diſtribuit æquali cum ſtellis numero, & cuique ſuam dedit, ac tanquam in vehicula impoſuit naturámque Vniuerſi mõſtrauit, & leges fati eis dixit.*

Deum vitij expertem.

*Deus autem vitij & maliciæ exſors, neque legibus neque fato opus habebat: ſed prouidentia cõditoris vnuſquiſq; tractus res ſuas agit.*

*Nulla enim legum conſtitutio ſcientiæ eius præſtat: neque fas eſt vlli parêre aut ſubditum eſſe eum, ſed omnibus præ eſſe ac imperare debet, qui verè liber eſt natura.*

## Ex Plutarchi, De muſica, Commentario.

Mariti res præclarè geſtas, vxoris ornatum.

PHocionis, eius qui Probus vſurpatus eſt, vxor ſuum ornatum dicebat eſſe mariti ſui res præclarè geſtas. At ego ornamentum non mihi tantum peculiare, ſed cum omnibus familiaribus commune exiſtimo mei magiſtri in doctrina bonarum artium diligentiam.

At liberalem diſciplinam, quæ & felicitatis eſt corpus, & conſilij boni cauſa, non familiæ modò aut vrbi vel populo, ſed vniuerſo generi humano vtilem comperias.

Sed quoniam optimi grammatici definiũt vocem aërem percuſſum eſſe, qui auditu ſentiatur.

Hymnos canere pium.

Pium enim eſt, ac præcipuum hominum hoc ſtudium, laudes canere deorum, qui ſolis ipſis articulatam vocem ſunt largiti. Cùm ergo de ſententia Polymneſti & Sacadæ tria ſint tonorum genera, Dorium, Phrygium, Lydium: ferunt Sacadam in vno quoque feciſſe ſtropham, docuiſſéque chorum canere Doricè primam, Phrygicè ſecundam, tertiam Lydio tono, atque hunc nomum fuiſſe ob mutationem dictum tripartitum, (ſic enim Trimeres interpretemur.)



Apollo tibiæ & citharæ author.

Nos autem non hominem aliquem accepimus repertorem muſicæ bonorum, ſed omnibus virtutibus ornatum Deum Apollinem. Non enim Marſyæ, aut Olympi, aut Hyagnidis, vt putant quidam, inuentum tibia, neque ſola cithara Apollinis eſt: ſed idẽ Deus & citharæ & tibiæ cantum inuenit.

Apollinis ſimulachrum.

Sed & ſimulachrum Apollinis in Delo poſitum in dextra manu arcum, læua gratias habet, quarum quæuis aliquod muſicum inſtrumentum tenet: lyram vna alia tibias, media fiſtulam ori admotam.

Itaque venerãda prorſus eſt muſica, Deorũ inuentum cùm ſit.

Muſices ſtudioſiſſimus Plato.

Studioſiſſimus enim muſices fuit Plato: vt qui Draconem audiuiſſet Athenienſem, & Metellum Agrigentinum.

Sed Platoni neque ignorantiam neque imperitiam in cauſa fuiſſe vt quædam reiiceret: verum id eum feciſſe, quia indecora Reipu. iudicaret ea eſſe: iam nunc oſtendamus, cùmque harmonicæ rei gnarum fuiſſe docebimus. Is ergo in ortu ſeu procreatione animæ ea quã Timæo inſeruit, ſuam in rebus mathematicis & muſicis diligentiam fecit teſtatam.

Porrò autem quòd harmonia res ſit diuina, veneranda, magna: Ariſtoteles Platonis

Ariſtoteles Platonis diſcipulus.

diſcipulus his verbis confirmauit. Enimuerò harmonia res eſt cœleſtis, eiúſque natura diuina atque pulchra.

Tres ſunt principes harmoniæ, à quibus omnis medietas ſumitur, arithmetica, harmonica, geometrica.

Contingit aliquando vt ſenſibus vtrumq; vt ob naturæ inæqualitatem & antecurrant & tardiùs æquo veniant, hoc ergo adimendum eſt ſenſui: vt poßit æquali curſu comitari intellectum. Semper enim eſt neceſſe, tria hæc vnà in auditum incidere: ſonum, tempus, & litteram vel ſyllabam.

Morum magna cura.

Morum ſiquidem magna erat veteribus cura, & propterea ſeueritas, ac minimè curioſum priſcæ Muſicæ, in præcipuo honore habebantur.

Proinde ſi quis Muſicæ eum modum, qui ad probè inſtituendam adoleſcentiam cõducit, labore induſtriáque conſecutus, in prima ætate accuratione conueniente fuerit formatus: is pulchra quidem laudabit & amplectetur, vituperabit autem his aduerſa, non in muſica tantùm, ſed & alijs in rebus, eritque is homo vacuus omnis turpis actionis, maximum hunc fructum è muſica conſecutus, & cùm ſibi ipſi, tum ciuitati plurimum proderit, neque facto neque verbo inconcinno vtẽs, ſed vbique decorum modúmque ſeruans.



Cæterùm ciuitates quæ optimis legibus vterentur maximam ingenuæ muſicæ curam geßiſſe, multis teſtimonijs doceri poteſt. Nobis ſatis ſit Terpandrum produxiſſe, qui Lacedæmone coortam ſeditionem pacauit. Et Thaletam Cretenſem, quem Pythij Apollinis oraculo accitum à Lacedæmoniis, muſica peſtem tum graſſantem ſedaſſe Pratinas ſcribit, quæ infeſtabantur.

Adſciuit enim Homerus vtilitatem & auxiliũ muſices opportuniſsimo loco, in cœnas inquam & conuiuia veterum. Ideo quippe eam his adhiberi receptum fuit, quod animũ reuellere, & vim caloris vini mitigare valeret. In quam ſententiam etiam Ariſtoxenus noſter dixit, muſicam introductam in cœnas eſſe, quòd ſicut vinum nimio ipſo vtentium in animos & corpora labefactat: ita muſica ſuo ordine & concinnitate in contrarium ſtatum abducit atque ſedat.

Muſica cõuiuiis potiſſimum adhibẽda.

Etenim motus rerum & ſtellarũ circuitiones Pythagoras, Archyta, Plato, reliquique antiqui philoſophi ſine muſica neque fieri neque conſtare afirmauerunt: omnia enim à Deo ſecundum harmoniam fuiſſe inſtituta.

## Ex Plutarchi, Comparationis Ariſtophanis & Menandri Breuiario.

AT *Menander tali eſt ſermone vſus, qui congrueret cuiuis naturæ, ſtatui, ætati, cũ quidem & iuuenis ad eam rem ſe contuliſſet, & in ipſo vigore ſcribendi ac docendi fabulas deceſſerit, quando maximè ſcribentes incrementa facere ad elocutionis virtutem* Ariſtoteles *teſtatur.*

*Sic* Ariſtophanes *neque plebi facere, neque ferri à prudentibus potuit: nam poëſis eius ſimilis eſt meretricis, quæ ætate iam vltra vigorem progreſſa matronam imitans, neque fertur à vulgo hominum ob inſolentiam, & graues homines impudicitiam eius maliciámque abominantur.*

*Iã ſicut pictores oculis defeſſis ad floridos & virides ſe auertũt colores: ita philoſophis & laborioſis requies grauium atque continentium meditationum eſt Menãder, tanquã prato pulchrè florenti & opaco atque aura pleno excipiens animum.*

Iam



*Iam cùm hoc tempus actores comœdiarum multos bonóſque vrbs ferat: Menandri comœdiæ plurimos habent ſacróſque ſales, tanquam eo natos mari quod Venerem protulit.* Ariſtophanis *autem ſales amari & aſperi, acrem & mordentem, adeóque exulcerantem vim habent: vt neſciam vbi ſit illa ab ipſo decantata dexteritas, in verbiſne an perſonis.*

Ariſtophanis ſales.

## Ex Plutarchi libro, De vita decẽ Oratorum.

A*Ntiphon Sophili F. tribu Ramuſius, patrem audiuit, is enim ſophiſta fuit, cuius opera etiam* Alcibiades *adoleſcens vſus in diſcendo eſt, vt nonnulli tradunt. Facultatem dicendi adeptus (quidam ſuopte ingenio eam conſecutum exiſtimant) animum quidẽ ad Rempub. appulit: tamen prius ad ſcholã ſe conuertit, & cum Socrate philoſopho de ratione differendi diſputauit, non ſtudio contendendi, ſed induſtria redarguendi vſus, ita enim Xenophõ in libris De dictis & factis Socratis ſcripſit.*

Antiphõtem ſuopte ingenio Rhetoricã didiciſſe.

*Primus etiam Antiphon oratoriæ artis præ-*

Ff

Antiphõtẽ prõpto fuiſſe ingenio.

*cepta edidit.* Prompto *fuit ingenio, ideóque Neſtor cognominatus. Cælius in commentario quem de eo ſcripſit, fuiſſe conijcit diſcipulũ Thucydidis hiſtorici, ex ijs quæ hic in laudem Antiphontis prodidit.*

*Accuratiſsimus eſt in ſuis orationibus Antiphon, probabilis, in inueniendo callidus, in perplexis rebus artificioſus, ex improuiſo argumẽta intentans, ſermonẽq; ad leges & motus animi cõuertens, maximè decori ſtudioſus.*

*Cæterum deiectis Quadringentis tirannis, unà cum Archeptolemo (qui vnus de eorum numero fuit) in ius vocatus condemnatúſque, & pœna proditoribus conſtituta de eo ſumpta, cadauer inſepultum abiectum, & cum tota poſteritate inter infames relatus eſt.*

» *Huic decreto ſubſcriptum eſt.* DAMNATI
» *ſunt proditionis Archeptolemus* Hippodami
» *F.* Agrylenſis, *præſens: Antiphon Sophili*
» *F. Ramnuſius, præſens,* Iis *hæc pœna conſti-*
» *tuta eſt, vt Vndecimuiris dedantur, bona eo-*
» *rum publicentur, decima portione Mineruæ*
» *conſecrata: vtq; eorum ædes ſolo æquentur, &*
» *areis termini ponantur, cum hac inſcriptione.*
» ARCHEPTOLEMI & ANTIPHONTIS,
» PRODITORVM. *Præfecto autem populi*
» *pronunciare neque permitti, vt Archepto-*
» *lemus & Antiphon* Athenis, *aut in terra A-*
» *thenienſium, imperio ſubdita ſepeliantur.*



*Porrò cùm ipſos infames haberi debere, tum qui ex is ſiue ſpurÿ ſiue legitimi naſcantur: infamem etiam eum, qui ex iſtorum progenie aliquem adoptauerit. Hæc inſcribenda eſſe columnæ æneæ, eámque ibi ponendam, vbi ea ſita eſt, quæ decreta de* Phrynicho *continet.*

*Ita repulſus à publico munere* Lyſias *priuatus reliquam ætatem exegit: mortuúſque eſt* Athenis, *annos natus* 83. *aut vt alij volunt* 76.: *alÿ annos vixiſſe, vltra* 80. *aiunt, ab eóque Demoſthenem adoleſcentulum viſum fuiſſe. Natus perhibetur archonte* Philocle. *Orationes eius feruntur* 425. *de quibus genuinas affirmant Dionyſius & Cecilius eſſe* 230.: *ac bis tantum victus dicitur. Eſt & oratio eius pro decreto, quod Archinus reprehendit, oſtendens quomodo in repub. ſit verſatus, & alia aduerſus* 30. *tyrannos. Vim ad perſuadendum habuit maximã, ſummáq; eſt vſus breuitate.*

Lyſias maxima breuitate vſus.

*Iſocrates* Theodori *F. fuit, Erechthienſis, vnius de mediocribus ciuibus, & qui famulos haberet qui tibias conficerent, atque inde tantum rei faceret, vt & choro ſumptus ſuppeditaret, & filios liberaliter inſtitueret: (nam præter Iſocratem etiam alios habuit,* Teleſippum *ac Diomneſtum, ac filiam.) itaque tibiarum gratia eum traduxere Ariſtophanes atque* Stratis *comici.*

*Lyſiæ poſterior fuit* Iſocrates *annis* 22. Platone *prior annis* 7. Puer *inſtitutus eſt ita ingenuè vt quiſquã alius* Athenienſium, *audiuitque Prodicum Ceum, Gorgiam Leontinum,* Tiſiam *Syracuſanum,* Theramenem *rhetorem.*

Iſocratis præceptores.

*Sed conatu eo ad irritum cadente, omiſſo hoc inſtituto, ludum aperuit in Chio primùm Iſocrates, vt aiunt, nouem diſcipulis, cùm quidem ferunt eum, vt numerari mercedem vidit, flentem dixiſſe: Nunc intelligo me his eſſe venditum. Ad ſui conſuetudinem omnes admiſit qui vti ea vellent.*

*Ferunt autem nonnulli Hyperidem & Iſæum & Demoſthenem, cùm Rhetoricen doceret, ad* Iſocratem *ſtudioſè acceſſiſſe, eique dixiſſe, ſe quidem mile drachmas quibus docebat, præbere non poſſe, daturos verò ducẽtas, vt dimidiam artis partem diſcerent. Iſocratem autem reſpondiſſe: Vt non contendamus ô* Demoſthenes *de hoc negotio, quẽadmodum pulchros piſces integros eminus: ſic ſi diſcere voles tu, totam hæreditatem artis facultatiſq; dicendi tradam.*

Iſocratẽ mile drachmis docuiſſe.

*Mortuus eſt* Iſocrates *Chæronida archonte, cùm in Hippocratis palæſtra nuncium de Chæronenſi clade accepiſſet: nam quatriduana inedia ſeipſum è vita eduxit.*

Iſocratẽ inedia periſſe.

*Satis diues fuit: quòd non tantum mercedẽ*



*à diſcipulis exigeret, ſed etiam à Nicocle Cypriorum rege, Euagoræ F. 20. talenta pro oratione de ipſo ſcripta accepiſſet.*

Iſocratẽ pro oratione 20. talẽta accepiſſe.

*Solebat etiam* Iſocrates *diſcipulis ſuis dicere, ſe docere decem minarum mercede: ſed ei qui ipſum audacem ac vocalem docendo redderet,* 12. *milia minarum daturum. Interrogatus cur cùm ipſe ad dicendum non ſatis eſſet inſtructus, alios tamen inſtrueret, reſpondit, Cotes etiam non habere facultatem ſecãdi, habere autem vim ferri acuendi.*

Interrogatus *Iſocrates quæ vis eſſet rhetoricæ, reſpondit, de paruis magna, de magnis parua redigere.*

*Sophoclem tragœdiæ ſcriptorem videns amatoriè puero cuidam comitari dixit: Non manus modò te, ô* Sophocles, *tecum continere, ſed etiam oculos oportet.*

Æchines Atrometi F. (*eius qui à triginta tyrannis in exilium pulſus in reducendo Athenas populo interfuit*) *& Glaucotheæ: tribu* Cothocides, *neque natalibus fuit, neque opibus præſtans.*

Mortuo *Alexandro cùm turbæ fierent,* Rodum *abijt* Æchines *ibique ſcholam aperuit, atque docuit, cùm quidem oſtentandi gratia, poſtquam Rodiis ſuam in* Cteſiphonem *orationem recitaſſet, vniuerſis admirantibus: quod tali habita oratione*

ſuccubuiſſet, dixit: Non admiraremini, ſi contra hæc orantem Demoſthenem audiuiſſetis. Ac Rodi quidem ſcholam reliquit, qui ludus Rodiacus dicitur.

*Lycurgus Lycophronis F. Lycurgi N. eius quem triginta tyranni interfecerũt, cauſam necis præbente Ariſtodemo Batanſi: qui etiam Græcorum quæſtor (hic eſt Hellanotamias) factus, exulauit populo Rempub. gubernante.*

*Publicano qui Xenocrati philoſopho manus iniecisset, cúmque abduceret ob non ſolutum inquilini tributum, obuiam factus baculum in caput inflixit, cúmque liberato Xenocrate in carcerem incluſit vt qui indecenter egiſſet. Cúmque id eius factum laudaretur, poſt aliquos dies Xenocrates Lycurgi filius occurrens, Celeriter, inquit, ô pueri gratiam veſtro patri retuli, A multis enim laudatur, quòd eum vix opitulari potuerit, auxilium tulerit tamen.*

Lycurgi decreta.

*Decreta etiam fecit Lycurgus, opera vſus Euclidis cuiuſdam Olynthij ad eam rem aptiſſimi. Quanquam autem erat diues Lycurgus, tamen eandem tunicam æſtate atque hyeme geſtabat, calceóſque neceſſariis diebus geſtabat. Meditabatur noctéſque diéſque, non ſatis idoneus ad extemporalem dictionem. Lecto ſubſtrato vſus eſt, cui tantùm pellis villo-*



ſa & ceruical incumberent: vt eo faciliùs ex- "
citaretur ad meditandum. Culpanti cuidam, "
quòd orationi ſtudens mercedem ſophiſtis pen- "
deret, reſpondit: ſi quis promitteret ſe filios "
ipſi meliores redditurum, ei ſe non mile drach- "
mas, ſed dimidium bonorum ſuorum daturum.

Lycurgi probitas.

*Publicè ſepultus eſt Lycurgus, & quidam ex eius poſteris, ſúntque eorum monumenta è regione Mineruæ Pæoniæ in horto Melanthij philoſophi menſæ factæ, & Lycurgo liberíſque eius inſcriptæ, quæ hodiéque extant.*

*Toto vitæ tempore probus eſt habitus, orationéſque eius laudatæ, & quanquam à multis accuſatus, nunquam cauſa cecidit. Tres habuit liberos è Caliſthone Abronis filia, & Calæi Abronis curia Batanſis ſorore.*

*Demoſthenes Demoſthenis F. è Cleobula Gylonis filia, curia Pæanienſis, à patre relictus fuit pupillus annos natus ſeptem, cum ſorore annorum ſeptem, Orbitatis tempore apud matrem viuens, operam dedit Iſocrati, ita enim quidam ſentiunt, plures aiunt Iſæi Chalcidenſis auditorem fuiſſe, tunc Athenis degentis. Alij Thucididis & Platonis fuiſſe ſtudioſum narrant: atque huic quidem eum præcipuè vacaſſe perhibent.*

*Nec vero deſunt qui dicant Demoſthenẽ in*

Demoſthenis diſcẽdi deſiderium.

ſpeluncam deſcendere ſolitum, in eáque philoſopari abraſa dimidia parte capitis, quò ſibi exeundi facultatem præriperet: inque anguſta cubuiſſe ſponda, vt cito expergiſceretur, cúmque litteram R non poſſet pronunciare, labore conſecutum vt proferret, cúmque inter declamandum mouere ſoleret humerum incõuenienter, id deſueuiſſe, ſuſpenſo è culmine veru, aut (quod alij dicunt) gladio, vt eius metu ſe contineret. Cum iam actus eſſet vi dicendi, ferunt eum ſpeculum ſibi feciſſe æquale, inque id inſpicientem ſe exercuiſſe, vt corrigeret vitia. Deſcendiſſe etiam ad Phalericum litus, & aduerſus vndas obſtrepentes declamaſſe, vt ſi quando populus obturbaret, hoc ſibi non eſſet terrori. Cúmque eum ſpiritus deficeret, Neoptolemi hiſtrionis opera decẽ drachmarũ milibus cõducta didiciſſe vno ſpiritu integras circuitiones & periodos efferre.

Demoſthenis lectus.

Itaque interrogatus, quid primum, quid ſecundum, quid tertium, in arte eſſet oratoria, ſubinde reſpondit, Actio.

Philippus autem ijs, qui orationes à Demoſthene contra ipſum habitas referebant ſibi, reſponderit etiam ipſemet, ſi audiuiſſem dicẽtem Demoſthenem, bellum contra me ſuſcipiendum decreuiſſem.

Aechinem fugientem à damnatione, equo eſt perſecutus Demoſthenes, cúmque is ſe cõpre-



henſum iri putans ad pedes ei accidiſſet capite velato, erexit hominem, conſolatúſque talento argenti donauit.

Popoſcit tabellam Demoſthenes: eíque ſi Demetrio Magneti credimus, inſcripſit elegiacũ hoc, quod poſtmodò ipſius ſimulacro inſcribi curauere Atheniẽſes, eius hic eſt ſenſus.

Si tibi vis animo, Demoſthenes, æqua fuiſſet,
Non Macedum ferret Græcia victa iugum.

Demoſthenis mors.

Mortuum eum eſſe tradit Philechorus epoto veneno: Satyrus autem hiſtoriæ ſcriptor, veneno imbutum fuiſſe calamum, quo ſcribere epiſtolam ceperit, eoque guſtato ipſum periiſſe. Eraſthotenes, iampridem ſibi à Macedonibus metuentem armillam veneno infectã geſtaſſe circa brachium. Sunt qui dicant contento ſpiritu mortem ſibi paraſſe: alij venenũ hauſiſſe quod in bartheo tegebatur. Mortuo autem Philippo, nitida indutus veſte prodijt in publicum, gaudens morte iſtius: quanquã ipſe nuper filiam amiſiſſet.

Statua ei poſita in Prytaneo extat, ad dextram introitus partem prima, non tantùm tunica ſed etiam gladio accincta, hoc enim habitu concionatus dicitur, quo tempore Antipater oratores quæſiuit.

Diogenes qui Canis vſurpatus fuit, cùm

*eum aliquãdo in caupona conſpexiſſet, pudore commoto ac intro recedenti: quanto, magis, inquit, intrò te recipies, tantò magis intus eris.*

Aſini vmbra.

*Adoleſcens quidam æſtate aſinum conduxit ex Aſtu Megaram eo vſurus. Meridie cum ſolis æſtus eſſet vehemens, cùm ipſe, tum aſini dominus in vmbra iumenti cubare volentes, alter alterum pellebat, cùm dominus nõ vmbram à ſe, ſed aſinum eſſe locatum: conductor in ſua poteſtate omnia eſſe contenderet. His dictis ille abire cœpit. Athenienſibus autem retinentibus, vtq; orationem pertexeret rogantibus: Ergo, inquit, de aſini vmbra audire vultis, de rebus ſeriis diſſerentem audire recuſatis?* Polo *hiſtrioni aliquando dicenti ad ipſum, Bidui certamine ſe talentum pro mercede retuliſſe: reſpondit, Ego quinque talentis vnius diei ſilentium vendidi. Aliquando in concione voce ipſum deficiente cùm obturbaretur: de hiſtrionibus, dixit, è voce, oratoribus è ſententia iudicium eſſe petendum.*

*Hyperides abreptus & ad* Antipatrum *perductus inter tormenta quæſtionis linguam ſuam dentibus ſuis conſcidit, ne quod patriæ arcanum poſſet eloqui, itaque mortuus eſt.*

*Multa enim beneficia in populum Athenienſem contulit Demoſthenes, ſæpe conſilio eum iuuit, patrimoniúmque ſuum in rempublicam contulit, talenta 8. & triremem ſuppeditauit, quando populus Athenienſis liberauit Euboeam, iterum triremem, quando Cephiſodorus in Helleſpõtum nauigauit, aliam, quando Chares &* Phocion *prætores à populo Byzantium ſunt miſsi, redemit precio multos Pydnæ, Methonæ, & Olynthi captos à* Philippo, *ſumptus in chorum fecit, cum* Pan*dionidis deficientibus ea res ceſſaret, largitus etiam eſt & armauit ciues indignos, in muri confectionem ſumptus fecit trium talentorum, ad hoc munus à populo delectus, iterum de ſuo inſumpſit cùm duabus foſsis Piræum cingeret. Poſt Chæronenſem pugnam talentum in publicum contulit, aliud in frumentationem, in penuria. Benefaciendo, conſulendo, perſuadendo ad ſocietatem populi Athenienſis pertraxit* Thebanos, *Euboenſes,* Corinthios, *Megarenſes, Achæos, Locrós, Bizantios, Meſſenios: copias populo ac ſocijs contraxit, peditũ* 1000. *equitum etiam* 1000. *item pecuniæ collationem ad bellum legatus impetrauit à ſocijs, amplius* 50. *talentis, legatus data pecunia obtinuit à Peloponeſiis, ne Alexãdro ad* Thebas *auxilia mitteret, multa alia præclara & vtilia præſtitit cõſulendo & rẽpub. gerẽdo, ita vt nemo æqualium de libertate & imperio populi tantum ſit promeritus.*

*Ergo vt omnibus conſtaret eos qui pro prinſipatu populi & libertate iuſtè volunt rem-*

pub. gerere, cùm viuos maxime fieri, tum mortuis honores haberi ad omnem memoriam duraturos: quod felix fauſtúmque ſit, ſciuit populus laudandum eſſe Lycurgũ Lycophronis. F. Butadem virtutis ac iuſtitiæ cauſa: eique à populo ſtatuendam ceream imaginem in foro, niſi ſicubi lex eam ſtare vetat: dandúmque in Prytaneo cibum ad omnem poſteritatem quouis tempore ei qui ipſius de propagine natu ſit maximus: omnia eius decreta rata habenda, & à ſcriba ciuitatis inſculpta in lapideas columnas debere dedicari in arce, ac poni prope donaria, ad columnarum ſcriptionem quæſtorem populi debere péndere 50. drachmas, ex ea pecunia, quam populus in decreta impendit.

*Lycurgus ob merita laudatus.*

*Lycurgi decreta rata habita.*

## Ex libello Plutarchi, De Stoicorum repugnantiis.

IPſe quidem Chriſippus in quarto de vitis libro, exiſtimat vitã ſcholaſticam ſiue ocio litterario deditam, nihil à voluptaria differre. Porro hoc eſt Zenonis decretũ, tẽpla Deorũ nõ eſſe ædificãda: quod enim nõ ſit magni precij, id ne ſacrum quidẽ eſſe: iã fabrorũ & ſordidas artes exercentiũ opera, non eſſe magni precij.



Præterea virtutum vt Plato: ita etiam Zeno differentiarum reſpectu multitudinem admittit: prudentiam puta, fortitudinem, temperantiam, iuſtitiam ponens abs ſe inuicem nõ ſeparari quidem, ſed tamen diuerſas eſſe atque inter ſe differre.

*Virtutũ numerus.*

Cryſippus cenſet adoleſcentibus primo audiendum eſſe diſſerendi artem, deinde moralem, denique naturalem philoſophiam: & in hac etiam quæſtionem de dijs vltimo loco eſſe attingendam.

Primum, inquit, videntur mihi ſecundũ ea quæ veteres rectè dixerunt, tria ad philoſophicam pertinentia conſiderationem, logicum, ethicum, phiſicum, de his primo loco ponenda eſſe logica, inde moralia, vltimo naturalia: atque horum vltimam eſſe diſputationem de dijs.

Non enim inueniri poteſt, inquit, aliud iuſtitiæ principium, alia origo quàm à Ioue & communi natura petitum, inde enim neceſſe eſt omnia iſta nos exordiri, ſi volumus aliquid de bonis & malis dicere.

*Iuſtitiæ principiũ à Ioue.*

Porrò rationem diſputandi in vtranque partem ait ſe non prorſus repudiare, ſed hortatur vt ea cautè vtamur tanquam in iudicio non patrocinantes aut adſentientes alteri parti, ſed quid vtrinque probabile ſit diſcernentes.

*Dialectica quõ ſit vtendũ.*

Quod autem rei faciendæ ac lucri gratia

» hæc facit, etiam antea declarauit, tribus propoſitis ſapienti conuenientibus lucris, à regno, ab amicis, & tertiò poſt hæc, à doctrina.

Natura pulchritudinis ſtudioſa.

*Idem in opere de natura cùm ſcripſiſſet, naturam multa animalia pulchritudinis cauſa protuliſſe, gaudentem nimirum pulchritudine & varietate, adieciſſétque alieniſſimū à ratione dictum, pauonem ob caudam eiuſq; pulchritudinem eſſe creatum.*

Meiere ad arã aut aliquod Deorũ ſimulacrũ nõ licere.

» *Rurſum in libro quinto de natura ait, rectè Heſiodum interdicere ne in fontes aut flumina vrinam reddamus, & multo magis cauendum eſſe ne ad aram aut ſimulacrum aliquod Deorum meiamus, neque admittendam eſſe hanc rationem, fieri hoc ipſum à canibus, aſinis, infantibus ſine vlla obſeruatione aut cura harum rerum.*

*Rhetoricam definiunt artem in ornatu & ordine orationis verſantem. Rurſum in primo libro hæc ſcripſit. Non ſolum autem liberalis & ſimplicis cultus ornatúſque orationis cura eſt habenda: ſed etiam actionis congruentis, decentiſque pro ſtatu cauſæ conformationis vocis, geſtus, vultus, ac manuum.*

*Ita ſentio, ſummam ſibi repugnandi rationem, fœdiſſimúmque errorem hunc eſſe, cùm quis illud ipſum in ſe admittit, quod in alijs culpauit.*

*Quemadmodum enim neque lex eſt cauſa*



*peccandi, neque dij autores ſunt impietatis ita conſentaneum eſt neque turpitudinis alicuius ipſos autores eſſe.*

*Solus autem ſibi ipſi ſufficere mundus dicitur, quòd ſolus in ſe omnia habet quibus ei eſt opus, alitúrque ex ſeipſo & augetur, cæteris partibus alijs alias conſumentibus.*

*Hæc autem non vtique timuiſſet, ſi non corpora à natura vndiquaque ad medium ferri putaſſet, non ſubſtantiæ, ſed regionis cauſam continentis: de quo etiam ſæpe dixit, velut impoſſibile & præter naturam exiſtat.*

## Ex Plutarchi Commentario, Terreſtriáne an aquatilia ſint callidiora.

Homicidiorum origo.

*AVt enimuerò mi Soclare, inde ferũt inhumanitatem & ſæuitiam ad homines veniſſe, cùm ij ſe adſuefeciſſent ſemel guſtu cædium percepto in venationibus ad ſanguinem & vulnera animantium æquo animo ferenda, gaudendúmque ijs trucidandis.*

*Quod ſanè liquet, ſi cum ciconijs cõpares*

*fluuiales equos, illæ enim patres ſuos aluñt, hi, vt cum matribus coire poſſint eos necant, item columbas cum perdicibus, nam alterius generis mares oua perdunt, femellàſque corrumpunt, non admittentes marem dum incubant, alteri partem curæ in ſe recipiunt fouendis ouis, primíque pullos cibant, & femellam ſi diutius euagetur mas roſtro tundens ad oua & pullos compellit.*

Perdices & columbæ.

*Itaque rurſum Plato in legibus prohibuit, aut potiùs voto hoc petijt, ne marinam adoleſcentes venationem vnquam amarent. Nulla enim roboris exercitatio, nulla ſapientiæ meditatio, neque quicquam ad vires celeritatémve conducens agilitatémque ineſt in certaminibus, quæ aduerſus labraces, congros, aut ſcaros ſuſcipiuntur. At in terreſtri venatione, ferocia animalia congredientium exercent audaciam & fortitudinem: verſuta, inſidiantium calliditatem, velocia robur & laborum tolerantiam apud inſequentes. Atque hæc bona venationi accepta feruntur: piſcatio nulla re eſt nobilis.*

Adoleſcētes nō debere piſcationem amare.

*Omnino enim piſcatio propterea turpis, nullo ſtudio digna, illiberalis credita, quod nihil habet ingenioſum, nullas machinas, nullā verſutiam vſurpet:*

Piſcatio cur turpis & ignobilis.

*Ac initio mihi contemplare propoſita & apparatus taurorum ad pugnam ſe puluere conſpergentium: atque aprorum dentes acuentium. Elephanti quia materia quam alimenti ſui cauſa effodiunt aut excidunt, dentem hebetat deterendo, altero tantum ad hanc rem vtuntur, alterum ſemper acutum ac recentem ſui defendendi gratia ſeruantes.*



*Leo ſemper ambulat pedibus introrſum reductis, itáque vngues occulit, ne attriti aciem amittant, aut inueſtigantibus occaſionem inueniendi exhibeant: non enim facilè inuenitur veſtigium vnguis leonini: ſed in cæca & exigua incidentes ſigna, aberrant venatores.*

Leonis greſſus.

*Hirundo antequam excludat fœtum ſuū, videmus quomodo nidum adornet, quàm bellè fundamenti loco feſtucas ſubijciat ſolidiores, iiſque adfigat deinde tenuiores, & ſi glutinis loco deſideret nidus, quo pacto ſuper lacum aut mare ita volitet vt ſuperficiem eius tangens alis eas vdas, non tamē grauiores faciat, iiſq; deinde puluerem apprehendens, eo illinat atque conſtringat laxas dilapſuráſque partes, opus ipſum figura eſt angulis & multitudine laterum carente æquabile & (quantum poteſt fieri) rotundum in globi morem, ſic enim eſt ſtabile atque capax fit, & non temerè anſam præbet foris inſidiantibus beſtijs.*

Hirundinis nidus.

*Araneæ textum, commune exemplar mulierum telæ, & retibus, non vna de cauſa admirationem ſui præbet: Nam & fili ſubtili-*

tas, & textura non deiuncta aut ſtaminis in morem diuulſa, ſed continens tenuis in morem membranæ, & quodam glutinoſo humore obſcurè admixto conſerta, tum color aëream & caliginoſam reddens ſuperficiem fallendi cauſa atque ipſa adeò totius maximè machinæ gubernatio, quòd callidi inſtar venatoris, ſi quid reti ſuo implicuit, illico ſentiens caſſes ſuos, contrahit, prædámque conſtringit.

Porrò autem cùm vidiſſem canem in naui nautis abſentibus lapillos in amphorā oleo non repletam inijcere, miratus ſum quomodo intelligeret à grauioribus immiſsis leuiora ſurſum elidi.

Similes ſunt Cretenſiū apiū, & anſerum in Cilicia artes. Illæ enim ventoſum aliquod circumuolaturæ promuntorium, ne deijciantur, ſeipſas exiguis lapillis in os ſumptis quaſi ſaburrant, hi quando Taurum traijciunt, animalia alioqui vocalia & obſtrepera, tum metu aquilarum in os iuſtæ magnitudinis lapide ſumpto taciturnitatem ſibi imperant, vt fallere in tranſitu eas poßint.

Anſeres animalia vocalia & obſtrepera.

Vbi autē grues ſe in terrā demiſerūt, eæ quæ noctu excubias agunt, corpus vni inſiſtentes cruri librant, altero pede lapidem perpetuo inter vigilandum retinent longo tempore: obrepente ſomno dimiſſus lapis illico excitat.

Grues in excubiis corpus librare.

Cleanthes, tametſi negabat animalia ra-



tione prædita eſſe, nihilominus in tale ſe narrat incidiſſe ſpectaculum. Veniſſe formicas de ſuo cauo ad aliud formicarum examen, formicam portantes mortuam, Ex hoc adſcendiſſe alias formicas tanquam ad colloquium, rurſúmque deſcendiſſe, id bis térve factum, tandem has ſurſum extuliſſe vermem, tanquam redemptionis precium pro mortua, hoc illas accepto, & reddito formicæ cadauere diſceßiſſe.

Formicas preciū redemptionis ſoluiſſe.

Quod autem minutas ſuas res aliquando foras efferunt formicæ & frigori exponunt, hoc Aratus pluuiam demonſtrari aſſerit:

Sæpius & tectis penetralibus extulit oua
Anguſtum formica terens iter.

Formicarum induſtria.

Quidam non oua interpretantur: ſed verſum ita legunt, vt intelligant eas fructus quos reconditos habent, metu rubiginis ac putredinis quam præſentiant imminentem exitióque futur. foras efferre.

Non probo eos qui quaſi corporis diſſectionem æmulantes, earum cauernas rei perſpiciēdæ cauſa luſtrant, Ii quidem dicūt, à foramine non eſſe rectum in eam deſcenſum, aut quā alia beſtia facilè poſſet perrepere, ſed anfractibus atque flexibus cuniculiſque variè interceptum in tres deſinere cauitates: quarum vna commune ſit omnium domicilium,

Formicarū cauernas tres habere cauitates.

ſecunda penu rerum ad victum pertinentium, in tertiam mortuæ reponantur.

In Syria ſcribit Agno quondam in domo quadam elephantum fuiſſe nutritum: quem cùm magiſter hordei demenſo quotidie dimidio defraudaret, & aliquando idem domino inſpiciente totum demenſum affunderet, elephantum hoc viſo, proboſcide porrecta ſemiſſem ſeparaſſe, itaque ingenioſiſſimè fraudem præfecti ſui prodidiſſe.

Sed Thraces in hunc vſque diem quando concretum gelu fluuium volunt tranſire, vulpe vtuntur ad ſoliditatem glaciei explorandam, ſenſim enim accedens, aurem admouet, & ſi quidem ſtrepitu oblato ſentiat aquam propè ſubterlabi: ratiocinatur non in profundum cõgelaſſe aquam, ideóque ſubſiſtit, & niſi prohibeat aliquis, retrò abit, ſi nullum ſonitum percipiat, iam audacter tranſit.

Romano cuidam in bellis ciuilibus iugulato caput amputare nemo potuit, niſi prius canem qui dominũ cuſtodiebat, ac pro eo propugnabat circumfuſi confodiſſent. Pyrrhus Rex iter faciẽs incidit in canem qui interfecti hominis corpus adſeruabat: cognitóque eum tertium iam diem cibi expertem aſſidere, neque cadauer deſerere tamen: illud quidem humari, canem autem attentè ſecum duci iuſſit.

Canis fidelitas.

Paucis pòſt diebus militum habita fuit luſtratio, ita vt ſinguli rege ſedente tranſirent. Ibi canis, qui aderat, atque adhuc quietus fuerat, vt vidit domini ſui percuſſores tranſire, fremens procurrit, eóſque allatrauit, ſubinde ſe ad Pyrrhum obuertens: ita quidem vt non rex modò, ſed qui aderant omnes ſuſpicionem de ijs conciperent, ergo comprehenſi & examinati, leuibus quibuſdam ſignis aliunde accedentibus, faſſi homicidium pœnas dederunt.



Quod autem parentes noſtri Athenis, cùm ibi bonis litteris vacarent, comperere, id dictis euidentius eſt. Quidam cùm in templum Æſculapij occultè intraſſet, argenteorum & aureorum donariorum quæ mediocris eſſent ponderis arripuit, cúmque ijs abijt, feſelliſſe ſe putans, ſed cuſtos canis, nomine Capparus, cùm nemo ædituorum latrantem exaudiret, fugientem ſacrilegum inſecutus, & initio quidem ſaxis petitus, non abſtitit: luce autem facta eminus eum eſt ſecutus, tanto ſpatio vt videre hominem ſemper poſſet eum obſeruans, cibum ab eo proiectum reſpuit, iuxta dormientem excubauit, rurſum ſurgentem ſubſecutus eſt, obuijs viatoribus adblandiens, illum allatrauit atque vrſit. Hæc cùm ij qui ſacrilegum perſequebantur ex occurrentibus audiuiſſent, ſimul colorem & magnitudinem canis exponentibus, alacriùs perrexerunt, deprahenſúmque ſacrilegum à Cromyone reduxerunt,

*cane in reuertendo præeunte, lætitiáque exſultante, vt qui ſibi capti ſacrilegi laudem vindicaret. Athenienſes decreuerunt, vt cibus ei publicè demenſus daretur, & ſacerdotibus ea cura ſemper demandaretur.*

Equus Alexandri.

* *Bucephalus nudus conſcendendum ſe equiſoni ſuo præbebat, ornatus autem regiis phaleris & bullis, neminem excepto* Alexandro *admittebat: cæterorum ſi quis accederet tentandi gratia, aduerſus occurrens magno cum hinnitu inſiliebat ac conculcabat, niſi quis fuga ſaluti conſuluiſſet.*

*Canes verò qui lepores venantur, ſi ipſi eos interficiant, gaudent iis dilacerandis ac ſanguine eorum potando, ſi verò lepus deſperata ſalute (vt ſæpe fit) quidquid habet reliquum ſpiritus in extremum inſumens curſum eo concidat: mortuum nactus canis nō tangit omnino, ſed adſtat caudam mouens: ſignificans ſe non carnis ſed victoriæ cauſa certaſſe. Verſutiæ autē cùm multa ſint exempla, omiſſis vulpium, luporum, gruum, graculorúmque commentis callidis, (ſunt enim nota) teſtem laudabo Thaletem antiquiſſimum philoſophorum: quem ferunt, non minimam laudem eo inueniſſe, quòd artem arte dextrè ſuperaſſet. Salem portantium mulorum quidam fluuium ingreſſus, fortuito concidit, ac ſale in aqua colliquato, cùm ſurgens onere animad-*

Artē arte ſuperari.



*uerteret ſe leuatum, cauſam ſentit ac memoriæ mandauit, & quoties per amnem tranſiret, dedita porrò opera ſe demiſit, & in vtranque partem verſauit vt vaſa in aquam demergerentur. Quod vbi Thales audiuit, iuſſit loco ſalis lana & ſpongiis vaſa impleri, iiſque oneratum agi mulum, qui cum pro more ſuo egiſſet, & aqua onus ſuum impleuiſſet: ſentiens ſuas ſibi malè argutias ceſſiſſe, poſthac ita cautè fluuium tranſiit, vt ne inuito quidem ipſo vaſa aqua tangerentur.*

Aſinus Thaletis

*Cerui quomodo ſe graues ob pinguedinem & carnium abundantiam ſentiunt, ſubducunt ſe aliò: vt quod fugiendo conſequi non poſſunt, latendo impetrent.*

Echinus.

*Elegantior tamen eſt Echini pro catulis procuratio. Autumni enim tempore ſub vites obrepens vuarum baccas pedibus decutit in terram, eáſque circumuolutans ſe ſpinis ſuis excipit: ac nobis aliquando omnibus hoc ſpectantibus ſpeciem exhibuit ambulantis vuæ, deinde in cauernam ſuam deſcendens, catulis eas à ſe decerpendas præbet. Cubile eius duo habet foramina: vnum verſus meridiem, alterum verſus ſeptentriones. Cùm ergo præſentit mutationem aëris, inſtar gubernatoris vela mutantis obthurat id quod vento eſt oppoſitum, alterum aperit.*

*Scribit etiam Iuba Elephantos dijs vota facere, cùm ſe nemine docente mari luſtrent ſolémque orientem adorent, proboſcide manus loco ſurſum erecta. Itaque etiam hoc animal dijs eſt cariſsimum, vt Ptolemæus Philopator teſtatum fecit. Cum enim victo Antiocho vellet dijs honorem ſplendidè habere, præter alia ob partam prælio victoriam ſacrificia, quatuor etiam elephantes immolauit, nocturnis autem territus inſomnijs, quòd numen ei ob ſacrificium illud inuſitatum comminaretur, cùm multis vſus eſt piaculis, tum quatuor æreos elephantos pro occiſis poſuit. Neque minus ſocietatem colunt Leones.*

Pica mirabilis.

*Eſt quod vobis narrem, auditum ex ore multorum Romanorum & Græcorum, qui rem coràm ſpectauerunt. Tonſor quidam tonſtrinam habebat ante templum, quod Forum Græcorum appellant. Is mirificè vocalem & garrulam alebat picam, quæ hominum verba, & voces boum redderet, inſtrumentorumq; ſonos: non cogente quoquam, ſed quòd ipſa impensè ſtuderet omnes voces prodere, nihil non ſonorum exprimere imitando. Fortè euenit, vt in ea vicinia diues quidam efferretur multis tubis accinentibus, cúmque pro more ibi locorum fieret inſtitutio, tubicines quia placebant, iuſsi cantum diutius protraxere. Ab illa die pica ita muta, ita voce omni deſtituta fuit,*



*vt ne eam quidem ederet qua neceſſaria ſibi ſolebat indicare, Quibus ergo antè vox eius, ijs tunc ſilentium admirationi fuit: etiam eo maiori, quod auditorium ſolitorum eà pergere ita conticuiſſet. Non deerant qui veneficio eandem artem tractantium hoc effectum ſuſpicarentur, pleríque ſono tubarum auditum auis perculſum putabant & attonitum, vnaq; cum eo extinctam vocem. Verum nihil erat tale in cauſa ſed exercitatio, vt apparuit, vi immittandi in ſe conuerſa & vocem tanquã inſtrumentum concinnante atque apparante. Subito enim rurſum emicuit, nihil viſitatarum illarum & veterum immittationum, ſed cantus tubarum ipſis conuerſionibus modulans, omnéſque mutationes & pulſationum numeros exprimens; vt, quomodo dixi, in animalibus intelligi poſsit facultatem à ſeipſo diſcendi rationis maiorem habere vim, quam docilitatem magiſtro aptam.*

Homines animaliũ diſcipuli.

*Sed ridiculi fortaſſe ſumus, qui eo nomine laudamus animalia, quòd diſcant: cùm Democritus affirmet nos eorum in maximis rebus fuiſſe diſcipulos, araneæ in texendi arte atque reficiendi, hirundinis in ædificandi, oloris & luſciniæ, in ſuauiter canendi & imitandi.*

*Teſtudines origanum, muſtelæ rutam mandunt, vbi aliquid de ſerpente comederunt. Ca-*

*nes ſe quadam certa herba bili vexante expurgant, Draco oculum obtusè videntem feniculo compunctum acuit. Vrſa cùm primum ex antro ſuo prodit, aro veſcitur agreſti, cuius acrimonia aperit inteſtinum ipſius concretum.*

*Sed & cibi abſtinentia curãtur quædam, vt lupi & leones, qui cum faſtidium carnium eſu nimio contraxerunt, aliquantum iacentes & calefacientes quieſcunt.*

*Natura enim quantum ex ſe diſciplinæ conſequi poteſt, inque ſe continet, etiam piſcibus largitur, itaque multas anguillas hominibus præbet cicures, quæ ſacræ vocantur quales ſunt in Arethuſa, ſæpe etiam piſces, qui nominatim vocari exaudiant: qualem ferunt Creſſo fuiſſe murenam, qua mortua fleuit, cum quidem* Domitio *obiicienti hoc, reſpondit: Nónne tu ſine lacrymis tres vxores ſepeliuiſti?*

Piſces cicures.

*Crocodili ſacerdotum non modò voce agnoſcunt vocantium, ſéque contrectari ſinunt: ſed etiam rictu diducto dentes manibus purgandos, & linteo tergendos præbent.*

*Nam calamum piſcatorium non volunt craſſum eſſe, quanquam eo robuſto opus ſit ob captorum piſcium violentas reuulſiones, ſed tenuem potius eligunt, ne latam faciens vmbram, terreat animal natura ſuſpicioſum.*

*Vulpes raró ad hamum accedit, ſed*



*dolum fugit: capta ſtatim extra vertit corporis interiora, (quod ei ob robur & flexibilitatem datum eſt) itaque hamum eiicit.*

*Scarus vbi hamum vorauit, reliqui ſcari adſiliunt, & funiculum morcibus rumpunt, ijdem ſuis in rete illapſis caudas tradunt.*

*Cùm autem multa ſint prudentiæ præterea in præcauendis & effugiendis inſidiis exẽpla, Sepiæ artem præterire non conuenit. Veſicam enim iuxta collum habens plenam atro humore, (tholus is vocatur) vbi deprehenditur, hunc effundit foras, tenebráſque circa ſe efficit mari infecto, vt piſcatoris conſpectum ſubterfugere poſſit, imitans deos Homericos, qui quos ſaluos volunt, cærulea ſæpenumero nube obiecta eripiunt atque ſuffurantur.*

Dij Homerici.

*Iam thynnus ita exactè æquinoctia & ſolſtitia ſentit, vt etiam hominem doceat, nihil huc tabulis opus habẽtem aſtrologicis, vbi enim eum bruma deprehendit, ibi quieſcit, codémque ſe loco continet vſque ad æquinoctiũ.*

*Quanto, amice, maior eſt delphini ſolertia? Huic cum nefas ſit ſtare, & motu vacare, in quo natura eius ſemper eſt, neque ante mouendi quàm viuendi finem facit: quando ſomnum captat, corpus ſurſum ad ſuperficiem maris euehit, ſupinúmq; rurſum per profundũ demittit, fluctu quodam vectationis agitatus,*

Delphini motus & quies.

*donec ad terrā perueniat, ibi excitatus è ſomno, ſurſum cum impetu ad maris ſuperficiem effertur, iterúmque poſt ſe demittit, itáque ſibi in motu quietem quandam machinatur.*

*Hirundines quantum ipſis opus eſt domos hominum ſubeunt, vmbram ſecuritatémque quærentes: ipſum hominem interim fugiunt tanquam feram.*

## Ex Plutarchi Commentario, De animæ procreatione, quæ in Timæo Platonis deſcribitur.

P*Ræſtat itaque Platonis ſententiam ſequi, atque hoc & dicere & canere, mundum à Deo eſſe factum, nam & mundus omnium operum eſt pulcherrimum, & Deus omnium cauſarum præſtantiſsima.*

Animam rerū nata rū præſtā tiſſimā.

*Corpus, inquit, cœli factum eſt adſpectabile, anima autem quæ videri nequeat, ſed rationis ſit & harmoniæ particeps, à præſtantiſsimo intelligibilium ſempérque manētium ipſa rerum natarum præſtantiſsima facta eſt.*

*Quòd autem Plato animam non ponat numerum eſſe, ſed ordinatam rationem numeri, iam antè dictum eſt. Aduerſus vtroſque illud commune eſt argumētum, quòd neque extremitatibus neque numeris vllum ineſt veſtigium illius facultatis, qua res ſenſiles anima iudicat ſuapte natura.*

*Atque hoc ipſe pœnè diſertis verbis declarat. Mea, inquiens, hæc eſt, vt verbo dicā, ſententia, fuiſſe ante originem cœli tria hæc ſeorſim, Ens, Spacium, Ortum ſeu procreationem. Spacij enim vocabulo adſicit materiam, vt & ſedis, atque aliàs receptaculi. Ens autem vocat, id quod ſola mente percipitur, ſeu intelligibile: Ortum mundi nondum nati ſubſtantiam, nulla ſitam alia in re, quam in mutationibus & motibus, inter informans atque informatum medio loco ordinatam, atque effigies eorum quæ ibi ſunt huc tranſmittantem.*

Ens quid ſit.

## Ex Plutarchi libello qui, Amatoriæ narrationes, inſcribitur.

P*Auper quidem homo nomine Scedaſus, Luctris habitauit, qui eſt Theſpienſis regionis exiguus vicus. Filiæ huic fuerunt duæ,*

*Hippo & Miletia: ab aliis Theano & Euxippæ nominantur. Ipſe Scedaſus vir erat bonus, & hoſpitalis: quanquam tenui fortuna. Ergo ad ſe venientes duos Spartanos iuuenes, comiter hoſpitio excepit, qui amore puellarum correpti, audere tamen aliquid bonitate Scedaſi fuerunt prohibiti. Poſtridie ad Pythium oraculum, quo iter inſtituerant, profecti ſunt: cúmque Deum de iis quæ ſtatuerant conſuluiſſent, rurſum per Bœotiam itinere facto in Scedaſi domo diuerterunt. Aberat tum Leuctris Scedaſus, eius filiæ, ſicut conſueuerant, hoſpites exceperunt, ij ſolas nacti puellas, per vim vitiauerunt, cúmque eas viderent hanc contumeliam iniquiſſimè ferre, interfectas in puteum quendam abiecerunt, itaque diſceſſerunt. Domum reuerſus Scedaſus, filias nuſquam videns, omnia illa quæ reliquerat ſaluas inueniens, expedire ſe ex hac re nequibat, tandem cane muſſitante & ſubinde ad ſe adcurrente, atque ab ipſo ad puteum redeunte, id quod res erat ſuſpicatus, inuenta ibi filiarum cadauera exhauſit: cúmque è vicinis cognouiſſet viſos pridie fuiſſe in domum ipſius intrantes Lacedæmonios eos, quibus etiam pridem hoſpitium dediſſet: coniecit hoc ipſorum eſſe facinus, quòd tunc etiam perpetuo puellas laudaſſent, beatóſque prædicaſſent, quibus eæ nuptæ eſſent. Ergo Spartam contendit, Epho-*

Luctrica calamitas Spartanorum.



*ris rem ſignificaturus. Cùm in Agricolam perueniſſet, nocte ingruente in cauponã quandam diuertit. Eodem tum venit etiam quidam ſenex, Orei Heſtieatidis in Eubœa ciuis. Hic cum ingemuiſſet, diráque Lacedæmonijs eſſet imprecatus: Scedaſus hoc audiẽs quæſiuit quidnam mali à Spartanis accepiſſet. Tũ ſenex ita rem narrauit. Sum, inquit, Spartanorũ ſubditus, ſed miſſus ab eis Ariſtodemus qui Oreum gubernaret (harmoſtã illi vocant) crudeliter admodũ ac nefariè egit. Nam amore filij mei captus, cùm ei perſuadere vitium nequiret, vim inferre aggreſſus eſt, eúmq; è paleſtra abripere, reſiſtente autem pædotriba, & multis adoleſcentibus ad opem filio ferendam acurrentibus: tunc quidem diſceſſit, poſtridie autẽ triremi inſtructa filiũ illum meũ arreptũ in vlteriorem continentem traiecit: ibíque libidini ipſius reluctantem cùm iugulaſſet, Oreũ reuerſus conuiuium celebrauit: Ego qui maturè quid actum eſſet reſciuiſſem, corpus filij humaui, Spartámque profectus, rem ad Ephoros retuli, ſed illi facinoris eius nullam habuerunt rationem. Hæc narratio Scedaſi animo mæſtitiam attulit, ſuſpicanti ſuam quoque cauſam Spartanis curæ non futuram: ſuam interim calamitatem ſeorſim hoſpiti narrauit, is ei hoc conſilij dedit vt neutiquam appellaret Ephoros: ſed in Bœotiam reuerſus,*

filiabus ſepulchrum conderet. Scedaſius nõ obtemperauit: ſed Spartam profectus rem ad Ephoros detulit, iiſque animum non aduertentibus, ad reges acceſsit, atque ab ijs digreſſus quemuis popularium accedens, ſuam miſeriam deplorauit. Tandem cum nihil ageret, per mediam diſcurrit vrbem, manúſque ad Solem intendens, ac rurſum terram ijs feriens, euocauit Furias, ac ſibi denique mortem conſciuit. Verùm enimuerò poſteà pœnas luerunt Lacedæmonij. Cum enim in omnes Græcos imperium occupauiſſent, & vrbibus præſidia impoſuiſſent, primùm apud ſuos collocatum præſidium Epaminondas Thebanus interfecit, deinde cum ea de cauſa Lacedæmonij bellum intuliſſent: occurrerunt ad Leuctra Thebani, moti omine loci: nam & antè ibi fuerũt liberati, quo tempore Amphictyon extorris à Sthenelo factus Thebas venit: eóſque inueniens Chalcidenſibus ſtipendiarios, interfecto rege Euboënſium Chalcodonte, à tributo abſoluit. Euenit autem, vt omnino ſuccumberent in prælio Lacedæmonij apud ipſum filiarum Scedaſi monumentum. Traditum eſt ante illum conflictum, Pelopidæ vni de ductoribus Thebani exercitus, ob quædam oſtenta quæ ipſi non admodum viderentur proſpera, de auſpicium ſententijs perturbato: in ſomnis adſtitiſſe Scedaſum, hortantem vt bono eſſet animo:

Scelerũ impunitas punita.

animo:



animo: nã Lacedæmonios eò ad Leuctra venire, vt Scedaſo eiúſque filiabus pœnas pendant, ac iuſſiſſe, vt ea die quæ pugnã eſſet antegreſſura, pullum equinum album ad ſepulchrum virginum immolaret. Pelopidam adhuc Lacedæmonijs apud Tegeam caſtra habentibus, miſiſſe qui de eo ſepulcro explorarent, cúmque rem ita habere ex eius loci incolis accepiſſet, confirmato animo exercitum in aciem produxiſſe, victoriaq; eſſe potitum.

## Ex Plutarchi Quæſtionibus naturalibus.

Grauem eſſe aquam marinam, ac terreſtrem, & alia multa demonſtrant, & quod facilius ſuſtinet naues & natatores. Aut quia ſiccitas maximè officit arboribus, vim autem ſiccandi habet aqua marina quæ cauſa eſt, quòd aduerſus putredinem ſales valent: eorum qui in mari lauant corpora ſtatim ſiccam habent aſperámque ſuperficiẽ. Vel quod pinguedo ijs quorum ſtirpes terra continentur eſt inimica, & inuncta perdit. Multum autem pinguedinis adeſt marinæ aquæ: adeò vt etiam vnà exardeſcat, ſoleamúſque hortari,

Aqua marina craſſa & grauis.

Mare pingue.

Hla

*ne in flammam ea inijciatur.*

*Ergo aqua cæleſtis leuis eſt atque aërea, ſpirituque mixta, celeriùs ob tenuitatem deducitur atque eleuatur in plantam.*

*Imbrium porrò aquas facilè mutari, argumento id eſt, quod citiùs quàm fontanæ aut fluuiales putreſcunt, concoctio autem videtur eſſe putrefactio.*

*Itaque & pecus aquam pluuialem bibit libentiùs, & ranæ imbrem expectantes vocẽ præ gaudio clariorem faciunt, tanquam lacuſtris aquæ condimentum pluuiam præſtolantes, & ſemen dulcedinis quæ aquæ in ſtagno inſit. Nam & hoc ſignum pluuiæ imminentis Aratus poſuit.*

Aut cùm gens miſera, atque hydris
immanibus eſca
In limo veterẽ ranæ cecinere querelam.

Salis acrimoniã digeſtionẽ iuuare.

*Nam & appetitum cibi acuit ſalis acrimonia, & meatus reſerando cibum faciliùs deducit ad digeſtionem.*

*Tenuatur etiam ſanguis ſalem lingentium, neque coëunt quæ intus ſunt, ſalibus admixtis. Quin & hoc conſidera, nam magis fœcundum fiat inde pecus, & ad coïtum pronius, nam canes quoque ſalſamento eſo celeriùs concipiunt, & naues quibus ſal vehitur plures alunt mures ob frequentiorem coïtum.*



Tonitrua in hyeme rara.

*An quia tonitrua & fulgura efficit calor in aëre contra frigus pugnans: vnde fit vt hyeme minimum tonet, vere plurimũ & autumno ob inæqualitatem temperiei, calor autẽ humorem coquens germinibus cum amicum commodúmque reddit. An quod vere plurima tonitrua & fulgura fiunt ob cauſam dictam, vernis autem aquis admodum opus habent ſemina ante æſtatem, itaque regio quæ vere plurima pluuia rigatur, vt Sicilia, multum bonúmque fructum producit.*

*Nam rori natura ineſſe quandam rodendi vim, ſatis ex eo liquet, quòd potus graciliores facit & pingues mulieres tenuibus veſtimentis aut lanis rorem excipientes, videntur eo nimias carnes conſumere.*

*Calorem nimirum frigori cedere, & ab eo circumcirca cõſtringi, hinc calidiores in profundo maris fieri aquas, vt in terra. Itaque etiam fontanæ aquæ tepidiores ſunt per hyemem magisq; vaporant lacus & flumina, nam calor in imum concluditur à præualente frigore.*

*Eſt autẽ hordeum tritico imbecillius & laxius, itáque etiã non admodum largè nutrit, teſtimoniũ huic rationi inde ſuggeritur, quod triticum illud, cui à prouentu trimeſtri nomen eſt, in aliquãtum ſiccis agris faciliùs prouenit: cùm ſit exſuccum & minori indigeat nutrimento, ideóque faciliùs abſoluatur.*

*Nam frigidus eſt ceruus, aper admodum calidus & igneus, itaque ille fugit, hic ſe defendit aduerſus inſectantes: cùm quidem maximè excandeſcentiæ ei lacrymas exprimit, multo enim accidente ad oculos calore (ſicut dixit Homerus:*

Igne oculos ardens, ſetíſque horrentibus aſper.)

Venus ſacietatis comes.

*Etenim ſatietatis comes Venus eſt, quoniam ex alimenti vbertate excrementum genitale & plantis & hominibus abundat.*

*Itaque apud Ætnam in Sicilia nemo canes ad venandum educit, quod ibi multũ floreat ac toto anno pullulet origanum, locique adſiduus odor bonus abripiat ferarũ veſtigia. Fabula etiam fertur, Proſerpinam ibi cùm flores legeret raptam à Plutone fuiſſe: ideóque illum locum venerantes tanquam aſylum non inſidiari paſcentibus ibi animalibus.*

Proſerpinã circũ Aetnam à Plutone raptam.

*Eſt enim ros pluuia imbecillis & languida, vt & calor Lunæ parum eſt validus, itaque trahit è terra vt Sol: ſed in altum euehere & pertrahere cùm non poſſit, dimittit.*

*Canes enim herbam edunt euomendæ bilis cauſa, ſues cancros fluuiales petunt, quorum eſu capitis dolori medentur, teſtudo vbi carnẽ viperæ edit, origano deinde veſcitur, vrſam aiunt quando faſtidio & nauſea incipit repleri, lingua formicas excipere, iiſque de-*



*uoratis ſanari.*

*Frigus autem concoctionem, vtpote quæ à calido fit, prohibet.*

*Sed videtur natura admirationem rebus raris attribuiſſe, vt quæratur quo pacto fiat quod rarò fit.*

Rara admirationi magis ſubiecta.

*An ſicut caluities accidit multum vini potantibus, calore vini humorem euaporante.*

## Ex Plutarchi libro primo, Sympoſiacôn, id eſt conuiualium diſputationum.

*ODi memorem compotorem. Nonnulli adagium illud imperare cenſent obliuionem eorum quæ inter pocula dicuntur atque aguntur, ideóque maiorũ noſtrorum ritu Obliuio & ferula vnà cum Baccho dedicantur quo indicatur aut nihil eorum in memoria habendum quæ per vinum peccantur, aut leui omnino aut puerili pœna corrigendum eſſe. Quando autem tibi quoque videtur obliuio malorum re vera eſſe bona, quod idem Euripides pronunciauit: prorſus autem obliuione conterere quæ inter pocula fiunt, non modò*

Odi memorẽ cõpotorem. Prouerbium.

aduerſari menſæ officio, quod ei tribuitur amicitiarũ conciliandarum: ſed haberi etiam qui contrarium teſtantur præſtantiſſimi viri Plato, Xenophon, Ariſtoteles, Speuſippus, Epicurus, Hieronymus, Dio Academicus, qui operæprecium cenſuerunt colloquia conſcribere in conuiuio habita, exiſtimauerúntque debere nos colligere quidquid de rebus ad humanitatem pertinentibus memoria dignũ ſparſim vel apud exteros vel in Græcia in menſa & inter pocula diſputatum ſit.

Philoſophandũ non eſſe inter pocula.

Tunc ego: Equidem ſunt, aiebam, amice, & verò admodum grauem ſimulantes ſeueritatem, philoſophiam dicunt tanquam matrẽfamiliàs non debere loqui inter pocula: Perſáſque laudant, qui non cum vxoribus, ſed cũ pellicibus ſuis inebrientur atque ſaltent: eodémque modo volunt à nobis muſicam & hiſtriones introduci, philoſophiam omitti: quòd neque tum nos ſeriis vacare rebus poſſimus, neque illa ad colludendum ſit idonea: nã Iſocratem quoque rhetorem in conuiuio vt oraret rogatum, nihil aliud dignatũ dicere, quàm hoc vnum: Quæ ipſe noſſet, ea in præſentia non eſſe tempeſtiua: quæ vero præſens tempus requireret, eorum ſe eſſe ignarum.

Silentiũ noſtræ inſcitiæ remedium.

Quod ſi tanquam Oreſtem qui accipiebant conuiuio, legibus imperato ſilentio adhibito edendum nobis bibendumq; eſſet: non infelix



hoc noſtræ inſcitiæ nobis eſſet remedium.

Non enim modò extrema eſt iniuſtitia, vt ait Plato, iuſtum videri cùm non ſis: ſed etiam ſummæ ſcientiæ philoſophari ita vt hoc non videaris agere, & ludentem res ſerias conficere.

Argumẽta in cõuiuiis qualia.

Vides enim vt Plato in cõuiuio de fine diſſerens, & primario bono, omninóque theologica tractans, tamẽ nõ contendat demõſtrationem, neq; more ſuo luctatorẽ referat, qui validis & ineuitabilibus aduerſariũ cõſtringat nexibus: ſed molioribus ſumptionibus, ex ẽplis, ac fabulis fidem conuiuis faciat. Cæterũ ipſæ etiã quæſtiones eſſe debent magis familiares atque notæ, & interrogationes moderatæ, neque nimis ſubtiles: ne iis rudiores opprimantur aut à colloquio fugentur.

Nã vt vini, ita orationis quoque ad omnes conuiuas pertinens eſſe debet cõmunitas. Qui vero quæſtiones abſtruſas, ii ab hac non minus abſunt, quàm grus & vulpes Aeſopi, de his vulpes ad cœnam inuitatæ grui pultem tenuẽ in tabula propoſuit, quam ob liquorem hæc diffluentem edere nequiret aut roſtro prehendere, itaque ridicula eſſet, viciſſim grus vulpæ ad cõuiuium vocatæ cibum in laguncula propoſuit, quæ tenue haberet & longum collum, vt ipſa vulpe interim eſuriente per id roſtro inſerto cibum nullo capere poſſet negotio. Ita etiam quando philoſophi inter pocula

ſubtiles & dialecticas quæſtiones ſuſcipientes, reliquis nihil earum intelligentibus moleſtiam exhibent: hi contra incantationes, narrationes nugarum plenas, ſermones illiberales, atque forenſes proferunt, actum eſt de conuiualis ſocietatis fine, & contumelia Bacchus afficitur.

Ordinem in conuiuio requiri atq; in acie.

*Sanè Paulum quoque Æmilium imperatorem aiunt, cùm debellato Perſeo in Macedonia conuiuia agitaret vſum admirabili ordine & apparatu omnium rerum dixiſſe, Eiuſdem viri eſſe & armatam aciem quàm ma-*
*» ximè terribilem, & conuiuium quàm iucun-*
*» diſſimum inſtruere, in vtroque etiam artem*
*» ordinis rectè inſtituendi requiri.*

*Ipſi autem cernimus ſumptum qui in conuiuia fit, ordo ſi abſit nihil iucundum habere, nihil liberale. Proinde ridiculum eſt coquis & menſæ miniſtris, curæ eſſe quid primo, quid ſecundo, medio vltimóve loco apportent: atque adeò etiam vnguentis, ſertis, fidicinæ (ſi adhibeatur) ſuum eſſe ordinem atque locum: iſtos, qui ad hæc vocantur temerè & fortuitò iuberi diſcumbere, neque ætatis, magiſtratus, aliarúmve id genus rerum vllam haberi rationẽ, cum quidem conueniente inſtituto ordine, & honore afficiatur præſtantior, & qui eo minor eſt, adſueſcat locum cedere digniori: præterea is qui collocat exerceatur in iudicio & coniectura de decoro facienda.*

Minores in conuiuiis debere locum cedere dignioribꝰ & maioribus.



*Equidem ineptus fuit Menelaus, & prouerbio locum dedit, qui ad conſilium dandum acceſſiſſet non vocatus. Abſurdior fuerit, qui ſe pro conuiuatore iudicem conſtituat, ac diſceptare velit nemine ei iudicium deferente, aut cauſam dicente, quis quo ſit melior aut deterior, cùm quidem ij non ad certamen, ſed ad cœnam venerint.*

Nemo ad cõſilium dãdũ accedat niſi vocatus.

*Cùm hæc quoque eſſent dicta, & ſententiam poſtularer: Ego, inquam, non vt iudex adſcitus pronunciabo, ſed tanquam honorarius arbiter medium feriam. Nam ſi quis adoleſcentes, ciues, aut familiares conuiuio excipiat, condocefaciendi ſunt, vt aiebat Timon, abſque delectu & faſtu quemuis locum accũbendi boni conſulere, & viaticum ad amicitiam præclarum vſurpare facilitatem.*

*Præterea debet peritus quàm maximè eſſe, quam vnicuique conuiuarum mutationem vinum adferat, & ad quod affectionis genus procliuior ſit, ac quomodo merum ferat.*

*Quod ſi hoc difficile eſt, iſta quidem omnino tenenda ſunt arbitro bibendi communia de naturis & ætatibus, puta, quod ſenes faciliùs inebriantur quàm iuuenes, qui mouentur ſubinde, quàm quieſcentes, inſomnijs & curis vexati, quàm qui animo quieto ſunt & hilari.*

Senes faciliùs inebriari quàm iuuenes.

*Eſt enim conuiuium oblectatio inter pocula, ob gratiam in amicitiam deſinens.*

*Quod ergo vulgo dici ſolet, iucundiſsimam eſſe nauigationem iuxta terram, & deambulationem iuxta mare: Id huc transfert, itaque ſeria iocis temperabit, vt & iocantes ſerium vtcumq; aliquid ſectentur, rurſum ſeria agentes animū recipiant, veluti à nauſea dum ad ludum iocumq; propinquum reſpiciunt.*

*Eſt autem hominis modeſti ac prudentis irā atque inimicitias vitare: quarū occaſiones in foro ex auaritia, in palæſtra & gymnaſiis è cōtendendi ſtudio, & magiſtratibus & honorū petitionibus, ex ambitione in cœna atq; inter pocula è iocis captatæ nobis inſidiantur.*

Amoris vis & robur.

*Dictum ergo fuit, Amorem vim habere ad omnia audendum, & nouas res tentandū impellendi: quamobrē Plato nihil eum intentatū relinquere dixit. Nā & de taciturno loquacem, & de verecundo officioſum reddit, & de negligente induſtriū: de ſocorde impigrū: & quod maximè videatur alicui mirū, tenax homo & ſordidus, tanquā ferrū in ignē, emollitur, mitiorq; fit & facilior, vt iā non planè ridiculū ſit illud verbū, vulgo quod fertur, Amātium crumenas folio porri ligatas eſſe.*

Amantiū crumenas filo porri ligatas.

*Hoc quoq; dictū fuit, amorē ebrietati eſſe ſimilem. Facit enim calidos & hilares, ac diſſolutos, & qui tales ſint redditi, ad cantillandū vocéſque*



*menſura contentas maximè efferuntur, atque adeò Aechylum aiunt cùm vino incaluiſſet tragœdias ſcripſiſſe.*

Amorē in laudādo loquacē.

*Iam cum amaſios libentiſsimè amatores videant, non minus libenter eos laudant quàm vident: & amor alioqui loquax, in laudando eſt verboſiſsimus, nā qui amant, cùm ſibi ipſis hoc perſuaſerunt, tum aliis perſuaſum volunt eſſe, pulcros abs ſe & bonos amari, quæ res etiam Candaulem illum Lydium eò pertraxit, vt in cubile introduceret ſeruum, cui ſpectandam ſuam vxorem præberet. Ipſi enim volunt ſuorum amaſiorum pulchritudinis teſtes eſſe: itaque cùm laudationes ſcribunt, eas cantilenis & verſibus exornant, tanquam auro ſtatuas, vt & audiantur & memorentur à pluribus.*

*Theophraſtus enim tria ait muſica eſſe principia: dolorem, voluptatem, inſtinctum diuinum, quorum vnumquoduis vocem à conſueto modo auerſam ad cauendum inclinet.*

Amor, furor maximus.

*His ita habentibus, ſi explicatum in aperto amorem intueri velis, ac pernōſcere, inuenies nullam aliā animi perturbationē vel dolores adferre acriores, vel gaudia vehemētiora, vel maiores furores, mentiſq; abalienationes.*

Heraclidis cōpotatio.

Heraclides, *cū ei adſiduus cōpotor nullus obtingeret, quoſdā ad matutinā potationē, alios ad prādiū, ad cœnā rurſū aliquos, & tādē alios ad*

*comeſſationem inuitauit, ita vt primis continuò ſecundi, itaque deinceps tertij & quarti ſuccederent: ipſa nulla facta intercapedine omnibus ſufficiebat, quatuórque vnà compotationes peragebat.*

Remedium aduerſus ebrietatē.

*Inter hos qui cum Druſo Titi Cæſaris F. vixerunt, medicum bibendo alijs omnibus palmam præcipientem deprehenſum eſt quinque aut ſex amygdalas amaras ſubinde ante compotationem edere ſolitum ne inebriaretur, & prohibitum, ac ne id facere poſſet obſeruatum, facilimè à vino fuiſſe victum.*

*Nobis magis hoc viſum eſt amarorem vim exſiccandi humorémque conſumendi habere. Etenim guſtatu omnium ſaporum iniucundiſſimus eſt amarus, qui venulas linguæ (vt Plato ait) moliores ac rariores contra naturam conſtringit.*

Ebrietatē oriri à diſtentione & cõturbatione venarũ.

*His, aiebam ſic habentibus, non abs re creditur amaritudinem amygdalarum remedio aduerſus vinum eſſe, cùm interiora corporis exſiccans, non patiatur impleri venas, quarum diſtentione dicunt & conturbatione ebrietatem oboriri.*

*Magnum autem huius rei argumentum eſt id, quod vulpibus vſu venit, quæ ſi amygdalas amaras edant, neque ſtatim aquam lambant, mori, humore illicò omni conſumpto.*



*Nam florum etiam odores longiùs accidentes, ſuauiores ſunt: ſi nimis prope florem admoueas, non ita pura ſincerâve eſt fragantia, cuius rei cauſa eſt, quod terreſtria ac turbida multa vnà cum odore exhalant eúmque hauſtum in propinquo vitiant, ſi vero remoueas florem aliquantum, terreſtria decidunt quod ſincerum eſt & calidum, id ob ſuam tenuitatem ad ſenſus inſtrumentum perfertur. Nos autem Platonicum ſecuti principium dicemus ſpiritum lucis ſimilem ex oculis excidere, & cum luce quæ circa corpus eſt commiſceri, ac cum ea concreſcere, ita vt ex ambobus vnum fiat corpus conſentiens.*

Cauſa, cur aīalia quædā noctu videāt, clarius quā diu.

*Atque ea cauſa eſt etiam, quòd animalia quædam noctu vident. Viſus enim eorum diurna luce, cum ſit imbecillis obruitur, cum non poſſit cum magna & valida luce facultas exilis & languida commiſceri: cum obſcura autem luce & tenui, qualis eſt ſtellarũ, fulgorem ſufficientem miſceri & proportione ei reſpondentem emittunt vt hac temperatione viſio poſſit fieri.*

*Etenim mari permiſtæ ſunt partes aſperæ atque terreſtres, vnde ei ſalſugo. Atque ideò mare & faciliùs fert natantes, & onera ſuſtinet: cum dulcis aqua ob leuitatem & imbecillitatem ijs cedat. Ideò aqua dulcis, vt quæ ſincera ſit, & impermixta, facile in ve-*

*ſtes ſua tenuitate penetrat, rurſúmque perfluens magis quàm marina maculas eluit, aut eſt cur non videatur tibi* Ariſtoteles *hoc probabiliter dixiſſe? Probabiliter ſanè, inquàm ego, at non verè. Video enim cinerem quoque, & lapides, aut ijs deficientibus puluerem aquæ iniici, vt craſſior fiat: nimirum quòd terreſtria ob aſperitatem magis valeant ad eluendas ſordes: cùm aqua per ſeſe ob tenuitatem id minus efficere poſſit. Ergo maris craſſities non propter acrimoniam, ea enim meatibus reſerandis ſordes ſecum aufert. Omne autem pingue difficulter eluitur, & næuum facit, Pingue autem eſt mare: ídque in cauſa eſſe puto, quòd aqua eius non bene eluit. Pinguem verò eſſe aquam marinam, ipſe Ariſtoteles docuit: nam ipſo teſte & ſalibus ineſt pingue quippiam: & lucernæ meliùs ardent ſale iniecto: & iniecta in flammam aqua marina vnà exardeſcit: neque vlla eſt alia aqua quæ perinde incendatur, vtquæ mea fert ſententia, idcirco etiam eſt calidiſſima. Sed & alia ſuppeditat ratio. Finis lotionis eſt exſiccatio, & maxime purum videtur, quod eſt » maximè exſiccatum, oportet autem humorem » qui eluat, vnà cum ſordibus abire, ſicut veratrum cum vitioſis humoribus quos expurgat. At dulcem aquam eò quia leuis eſt, Sol facilè extrahit, ſalſa in meatibus inhæ-*

Lucernas melius ardere ſale iniecto.

Aqua marina calidiſſima.



*reſcens, ob aſperitatem difficiliùs reſiccari rem patitur.*

*Democritus enim cùm fortè ficum ederet, ſapórque mel referre videretur, quæſiuit è famula, vnde emiſſet, cúmque ea hortum quendam nominaſſet, eò iuſſit ſe (nam de menſa illico ſurrexerat) adduci ſibíque locum commonſtrari, mirante muliercula, & quid ſibi vellet interrogante: Oportet, inquit, me cauſam dulcedinis inuenire, quod fiet loco à me conſpecto: tum ſubridens illa. Aſſide, ait, menſæ: ipſa enim, imprudens in vaſe quod melle imbutum fuerat, ficus poſueram: tum philoſophus indignabundus, Enecaſti me, inquit, & tamen meditabor, cauſámque inquiram, quod dulcedo ficui à natura eſt attributa.*

Democriti ficus.

## Ex Plutarchi libro ſecundo, Sympoſiacôn, id eſt conuiualium diſputationum.

*Salibus autem qui nequit cautè, artificiosè, ac tempeſtiuè vti, omnino is abſtineat*

*cenſeo. Sicut enim in lubrico loco, etiam ij ſubuertunt, qui tantum in tranſcurſu attingunt: ita in vino quæuis oratio non ſatis commoda occaſionem nobis peccandi præbet.*

*Qui enim ſalſamentarium te appellet, is palàm conuicium facit, qui dicat, Meminimus te cubito nares emungere, ſalsè pungit. Et Cicero ad Octauium, qui ex Africa oriundus videbatur, orante ipſo dicentem ſe non audire, Atqui, aiebat, aurem habes perforatã. Et Melanthius cùm à comico poëta derideretur, dicebat: reddis mihi ſymbolum non debitum.*

*Itaque intempeſtiua iaciens dicteria etiam præſentes malignitatis quodam contagio inficit, tanquam gaudentes aliorum contumelijs. Enimuero præclara illa Lacedæmone inter alias hæc fuit diſciplina, ſalsè dictis alios impetere citra moleſtiam, & æquo animo dicteria, ferre: nam ſi quis iniquius ferret, alter ſtatim mordendi finem faciebat.*

Amor naſcens.

*Sicut enim ignem initio reſtringit ſpiritus, ob ipſius imbecillitatem: auctum autem nutrit atque roborat, ſic naſcens adhuc amor & latens, ſuccenſet ijs qui ipſum detegunt: vbi eluxit & manifeſtatus eſt, alitur ſcommatibus, iiſque quaſi inflatus arridet. Gratiſſimum eſt amantibus, ſi amaſiis præſentibus eis per iocum ipſum amare obijciatur, aliud nihil.*





*Nam quæ inter familiares & amicos audientes ridemus: ea ſi nobis dicantur vxore præſente, aut patre, aut præceptore, indignamur, niſi fortè aliquid proferatur, quod ij quoque gratum habeant.*

Cur voraciores ſimus circa finẽ autumni.

Lamprias *autem dixit, innatum nobis calorem, quo alimur, per æſtatem diſperſum, imbecilliorem eſſe & rarum, eum autem ſub autumni exitum colligi, ac viribus augeri, intus occultatum ob frigus circundatum & denſationem corporis. Ego dixi Æſtate nos magis ſiticuloſos eſſe, pluſque humoris ſumere ob æſtum, hoc autem tempore naturam in mutatione more ſuo contrarium quærentem, nos magis famelicos reddere, alimentúmque ſiccũ temperiei corporis reddere.*

Galina priúsne fuerit an ouum.

*Adhæc, ſicut in animali aiunt primum naſci arterias & venas, ita rationi conſentaneum eſt ouũ animali prius extitiſſe, vt quod contineat in contentó.*

*Vt verò primùm naſcitur eruca, deinde ſiccitate concreſcens, tandem rumpitur, atque è ſe aliud alatum animal exhibet, quod pſyche dicitur, papilionis genus quoddam: ita hic ouum prius exſiſtit, tanquam materia ortus.*

Perfectũ imperfecto natura prius.

*Nam in omni mutatione neceſſe eſt re mutante eſſe id, è quo mutatur. Quippe rationi congruit perfectum imperfecto prius eſſe natura, vt mutilato integrum, parte totum.*

» At enim innumera animalia in cœno
» naſcuntur. Et quid de alijs dicam? tam multis
» captis anguillis, nemo vnquam vidit genitale
» ſemen aut ouum anguillæ, ſed etiam ſi quis om-
» nem exhauriat aquam, omnem limū, nihilo-
» minus aqua in locum iſtum denuò confluente
» anguillæ naſcentur.

Quare ouis à lupo morſæ caro ſit ſuauior, lana autem pediculos gignat.

*Secundum hæc quæſtio de morſis à lupo ouibus incidit, quæ dicuntur carnem habere dulciſsimam, lanā pediculos gignentem. Non ineptè autem viſus eſt Patrocles adfinis noſter de dulcedine ratiocinari, carnem morſu eius feræ colliquari. Eſſe enim ſpiritum lupi adeò feruidum & ignitum, vt oſſa etiam duriſsima in ventre colliquet atque emolliat, atque*
» *adeò à lupis morſa celerius quàm alia lique-*
» *ſcere.*

*Quæ enim animalia non morbo, neque ſenectute diſſoluuntur, ſed iugulantur, eorum pellis valida eſt & denſa, quæ autem à feris mordentur, eorum & vngues denigrantur, & capilli defluunt, & pelles laxæ fiunt ac ruptu faciles.*



# Ex Plutarchi libro tertio Sympoſiacôn, id eſt conuiualium diſputationum.

*SImonides poëta, Soſsi Senecio, quodam in conuiuio cùm videret hoſpitem accumbere tacitum, & cum nemine verba commutantē, Mi homo, dixit, ſiquidem ſtultus es, ſapiens factum edis: ſin ſapiens, ſtultum. Etenim inſcitiam præſtat occultare: verum hoc difficile eſt, inter pocula.*

Inſcitiā occultare difficile inter pocula.

Nam vinum vel prudentem cantare coëgit,
Et tenerum ridere, pedéſque inferre choreis,
Atque tacenda loqui, nec idonea dicere dictu.

*Vbi quidem, ni fallor, poëta vinolentiæ & ebrietatis conſtituit diſcrimen. Nā cantus, riſus, ſaltatio, ijs qui mediocriter abbibere poſſunt accidere, garrire, & ea dicere quæ reticeri præſtabat, iam ebrietatis eſt opus. Itaque Plato etiā in vino maximè plerorumq; hominū animi affectiones exiſtimat poſſe perſpici.*

Vinũ ad loquẽdũ prouocare.

Non enim contrahitur notitia inter tacitè edentes ac bibentes: ſed ad loquendum prouocat vinum: inter loquendum multa aperiuntur atque deteguntur aliàs occulta inuicémque innoteſcunt compotores, vt non ineptè
» Æſopum ille increpauerit: Quid quæris? ridi-
» culum caput, illas feneſtras, per quas in alte-
» rius cogitationes alter poteſt inſpicere, vinum enim nos aperit ac oſtentat, non ſinens latere: ſed ſpeciem atque laruam adimit, lege tanquam pædagogo quàm longiſſimè ſemoto.

Vinũ laruã adimere.

Cõuiuiũ philoſophorum.

Enimuerò in conuiuio philoſophorum, locus non eſt vllus voluptati, nulli annexæ vtilitati, neque principium aliquod naturalis appetitionis comitanti.

Aut vnguentum potiùs & purpuram auerſamur ob luxum ijs adhærentem, tanquam doloſas veſtes, doloſos colores, vt barbarus ille dicebat: ſponte autem ſua nati colores, & odores ſimplicitate præditi ſunt, & puritate, nihilque differunt à frugibus arborum? Nónne enim ſtultum ſit ſapores natura præbente colligere, iiſque frui: odores autem & colores eadem ſuppeditante, ob elegantiam ac voluptatem in ijs effloreſcentem ſpernere, quod nullam aliam extrinſecus vtilitatem adferant?

Naturam nihil facere fruſtrà.

Hæc enim interſe pugnare videtur, Naturam (quod vos dicitis) nihil facere fruſtrà &



iſthæc delectationis cauſa eſſe condita, nullam aliam vtilitatem conferentia.

Iam hoc conſidera, ijs quorum ſtirpes terra continentur, ac quæ germinant, folia data eſſe ob conſeruationem fructus, vtq; foueant plantas, eæq; ita facilius caloris ac frigoris viciſſitudines perferant: flores dum permanent in planta, nullam vtilitatem adferre, niſi quod nobis odoratu aut viſu ſunt iucundi: cum & odores mirabiles edant, & varietatem coloribus tincturiſque inimitabilibus exhibeãt. Itaque foliis auulſis veluti dolent & mordentur plantæ, & vlceroſum ijs quodam accidit detrimentum, ac denudatio indecora, & non tantum, vt voluit Empedocles,

Plantas foliis auulſis dolere.

Omnino foliis debemus parcere palmæ:

ſed & reliquis arboribus omnibus, neque nos ornare illorum cum dedecore, vi & contra naturam folijs eas ſpoliando. At enim florum detractio vindemiæ cuidam eſt ſimilis, tantúmque à nocendo abeſt, vt ij vltrò marceſcentes decidant niſi tempeſtiuè demantur. Quemadmodum ergo barbari pellibus pecoris loco lanæ veſtiuntur: ita mihi videntur qui è folijs potiùs quàm floribus coronas texunt plantis non vti conuenienter rationi.

Bacchus porrò non eo tantum nomine medicus eſt habitus, quod vinum inuenit medi-

camentum validiſsimum & ſuauiſsimum: ſed quòd ederem quoque facultate ſua, vino maximè reſiſtentem in honore habendam docuit, eáque bacchantes coronauit vt minus à vino læderentur, edera ſuo frigore ebrietatem reſtinguente.

Ruta prægnātibus inimica.

Rutam quoque peganon ea de cauſa dictum autumant, quòd ob ſiccitatem calore mixtam ſemen genitale conſtringat & coagulet, ideóque prægnantibus planè ſit inimica.

Florum exhalatio nes ebrietatem pellere.

At florum exhalationes mirabiliter contra hoc mali præſidio ſunt, capútque veluti arcem muniunt ad ebrietatem pellendam: nā & calidi flores molliter aperiendis meatibus faciunt vt perſpirare vinum poſsit: & quæ leuiter frigida ſunt mediocri contactu vapores repellunt, vt violacea & roſacea corona, vtrumque enim horum adſtringit, reprimitq; odore ſuo ea quibus caput grauatur.

Similacis vmbram homines necare.

Mirum verò nemini debet videri, ſi exhalationes ſertorum vim tantam habēt: cùm memoriæ proditum ſit vmbra ſimilacis interficere homines in ea dormientes, quo tempore planta maximè turget & florem parturit ſuum, & ſpiritum à papauere defluentem nō cautè obſeruatum ab iis qui ſuccum colligunt, ſubuertere homines, herbam autem alyſſum ſi duntaxat in manum ſumatur, immò nonnullos ſi modò intueantur eam, ſingultu li-



berare, eadem pecori & caprarum gregibus conducere dicitur, ſi iuxta caulas plantetur. Roſa autem ῥόδον Græcis haud dubiè dicitur, quia multum odoris exhalet, quo fit, vt etiam celerrimè marceſcat, naturalem autem habet vim refrigerandi, adſpectu igneum aliquid oſtentans, idque nō abſque ratione, nam in ſuperficie eius tenuis effloreſcit calor, eo à frigore expulſus.

Roſa vnde dicatur.

Etenim calida eſt edera, eiuſque fructus vino admixtus inflammando vim eius inebriandi & conturbandi auget, & palmitem ederæ auulſum ferunt inſtar lignorum igni curuatorum intorqueri, vix etiam, quæ aliis plantis ſæpe per complures dies incumbit, ederam celerrimè fugit, immò autem ſtatim periit liqueſcens eius caliditate.

Senes facilimè inebriari.

“ Præter hæc videre licet ea quæ ebrietati comitantur ineſſe vltrò naturæ ſenum, ſunt autem maximè euidentia, tremor membrorum, linguæ hæſitatio, garrulitas,
“ iræ acres, obliuio, & error mentis quo-
“ rum pleráque etiam ſanis ſenibus cùm adſint, leui momento & quauis exagitatione inducuntur: vt in ſene ebrietas non peculiarium accidentium procreatio ſit, ſed communium quædam contentio, cuius rei argumentum eſt, quòd nihil tam ſimile eſt ſeni atqui temulentus iuuenis.

Sanguis in fœminis copioſus.

*Deinde ſanguinis multitudine, qui cum fons caloris in corpore videatur eſſe, tam copioſus eſt fœminis, vt eas inflammet atque incēdat, niſi multæ eis & celeres accidant purgationes.*

*Traditum enim eſt veſpillones cadauera vrenda ita componere, vt decem virilibus apponerent vnum muliebre vnáque incendere, quòd muliebre corpus quidpiam tædæ ſimile atque pingue habeat, efficiátque eo vt reliqua etiam faciliùs ardeant.*

*Porrò ſi id calidius eſt quod ad gignendum eſt procliuius: cùm virgines priùs quàm pueri ad rem veneream incitantur, ne hoc quidē leue eſt argumentum muliebris caliditatis. Maius etiam hoc & ad perſuadēdum aptius, quod gelu & hyemem mulieres faciliùs perferunt, pleræq; enim minùs algent quàm viri, omninóque pauces veſtes deſiderant.*

*Ego autem inquit Florus, his ipſis ratiocinationibus euerti iſtam iudico opinionē. Primùm enim quòd frigus magis tolerant, eò ſit quia ſæpenumerò ſimile à ſimili minùs afficitur. Deinde non ſemen genitale priùs in mulieribus naſcitur: ſunt enim frigidiores: ſed alimentum duntaxat & materies quæ maris ſubijciatur ſemini, tùm longè citiùs deſinūt parere mulieres, quàm gignere viri. Quòd vruntur cadauera mulierum promptiùs, ob*



*pinguedinem ſit quæ corporis pars eſt frigidior, itaque iuuenes & qui corpora exercent, minimè pingueſcunt. Illa autem menſtrua purgatio non eſt copioſi, ſed vitioſi & corrupti ſanguinis, qui concoqui cùm non poſſit & excrementum ſit locum in corpore non inueniēs vbi ſubſiſtat, ob imbecillitatem excidit planè languidus & conturbatus caloris defectu, quin & horror & rigor plerúmque purgationem patientibus accidens, ſatis oſtendit frigidum eſſe & inconcoctum id quod agitatur & ſecedit è corpore.*

Mulierū purgatio quid.

*Denſiora autem mulierum quàm virorum* "<br>
*corpora, mi Luite, diſcere poſſis ex ijs qui cō* "<br>
*cumbunt cum mulieribus vnguento aut oleo* "<br>
*delibutis, opplentur enim vnguento inter. cō* "<br>
*cumbendum, etiam ſi mulieres non contrectent* "<br>
*neque attingunt, corpore id ob calorem & ra-* "<br>
*ritatem attrahente.*

*Languente ſtomacho, & ob imbecillitatē confirmationis indigente, & nihil calidum adhibent, vino tantum dato medentur, ſic & fluxus ventris, & ſudoris eruptiones vino ſiſtunt: vt pote non minùs, ſed magis quàm nix poſſit conſtringente frigoris vi & inhibēte materiam.*

Vinū ſtomacho mederi.

*At qui multum meri bibunt ſegniores ſunt ad coitum, nihilque validi aut bene temperati gignunt: ſed ob frigiditatem ſeminis atq;*

*prauitatem inanes ſunt eorum cum mulieribus permixtiones. Et verò quæ hominibus à frigore accidunt, tremor, grauedo, pallor, agitatio ſpiritus in membris, linguæ titubatio, contentio extremitatum in neruis ac torpor: ea omnia ebriis contingunt.*

*Nã vt apparet, & maximè, vt diximus ſimiles ſunt ſenibus ebrij: ideóque vinoſi admodũ maturè ſeneſcunt, multóſque eorum ante tẽpus caluicies & cani occupant.*

Acetum igni maximè aduerſari & flammã cõprimere propter maximã frigiditatem.

*Præterea acetum vini quædam eſt natura & vis, de omnibus autẽ reſtinguentibus nihil eſt quod magis igni aduerſetur: omnium maximè id flammam vincit & comprimit ob exuperantem frigiditatem.*

*Antiqui nonne ea de cauſa de repentibus draconem, & ederam de ſtirpibus Baccho cõſecrauerunt, quia frigida & gelida ſunt natura? Si verò putant, eo ſigno vini calorem monſtrari, quòd poſt hauſtam potum cicutam veneni vim retundit: nos id inuertentes dicemus vinum cum cicuta temperatum, immedicabile eſſe venenum, bibentémque omninò interficere: vt non magis reſiſtendo calidũ, quàm adiuuando frigidum ſit vinum, nam cicuta quidem nulla alia quàm frigus inducendi facultate vim habet necandi.*

*Adoleſcentuli quidam, qui non ita pridem antiquorum ad doctrinam ſeſe contulerant,*



*Epicurũ inſectabãtur acriter, quòd in cõuiuiũ ſermonẽ neq; honeſtũ neq; neceſſariũ, de coitus oportuno tempore intuliſſet, eſſe enim aiebant extremæ intemperantiæ, hominem prouectæ ætatis id cœna adoleſcentibus præſentibus mentionẽ facere venereæ rei, ac diſputare ante cœnamq;, an à cœna ea ſit vtendum.*

*Non enim eum ab initio ea quæſtione propoſita, eam deinde differendo tractauiſſe: ſed cùm à cœna ad deambulandum excitauiſſe adoleſcentes, de temperentia feciſſe verba, & eos à laſciuia deteruiſſe, quod nimirum res venerea cùm aliàs facilè noceret, tum maximè ſi quis eam à conuiuio exerceret.*

*Diurnum enim tempus, quando iam concoctio ſuas obit partes, imbecilliores ad coitum facit. A cœna autem ad eum ferri, non caret periculo, nam incertum eſt an nondum ſubacto ob imbecillitatem concoquentis facultatis nutrimento, ſuperueniens huic exagitatio, duplex incommodum faciat.*

*Mihi* Cliniæ Pythagorici *dictũ admodum probatur interrogatus quãdo cũ res vxore eſſet habenda, reſpondit cùm maximè lædi voles, Nã & quod Zopyrus dixit rationẽ habet: & aliis temporibus alia incommoda ſequi rem hanc & difficultates video.* Itaque *ſicut* Thales *vt coniugium euitaret, matri ad hoc*

" contrahendum adhortanti initio Nondum
" appetiſſe, poſteà iam præteriſſe tempus vxorem ducendi dixit, ita etiam ad rem venereã expedit vnumquemque affectum eſſe, vt decumbens Nondum tempeſtiuum, ſurgens Non iam amplius tempeſtiuum eius vſum dicat.

Non eſſe luce coëũdum.

Exiſtimo enim rectè voluptati coitus velaminis loco tenebras prætendi: ne ſi luce coëamus, verecundiam ab oculis profligemus, libidinique audaciam paremus, ac memoriam euidentẽ, quæ inhærens exſuſcitet iritétque cupiditates. Viſus enim omniũ quas corpore percipimus affectionum eſt acerrima, ſi Platoni credimus, & quæ propinquis viſis animum vehementer excitet, ad quæ nouarum voluptatum & recentium imaginationem inſtiget. Nox autem furioſam operi libidinem detrahens, naturam ſubducit atque ſedat, neque patitur viſu ad laſciuiam ferri.

Coitum diurnum non eſſe mariti ſed adulteri rabioſi.

Porrò autem Homerus neminem heroum vel cum vxore vel cum pellice concumbentem fecit: Paridem duntaxat è pugna profugum in gremium ſe abducere Helenæ ſcribit: non mariti ſed adulteri rabioſi diurnum coitum oſtendens eſſe.

Nobis autem ſi leges ciuitatis rectè colimus, cauendum eſt ne ad templa & ſacrificia accedamus paulo antè venerea re vſi. Itaque ex-



pedit nocte & ſomno interiecto, iuſtóque interuallo adhibito, mundos rurſum quaſi de integro & ad nouum diem noua cogitantes, vt ait Democritus, ſurgere.

Dulcia vino admixta reprimere ebrietatẽ.

Ariſtænetus verò Nicæus in quibuſdam ſe libris legiſſe ait, idque memoria recolere, dulcia vino admixta reprimere ebrietatem, & medicorum nonnullos præcipere ebriis, vt dormituri panem melli intinctum edant. Si quid ergo dulcis ſapor facit ad retundendam meri vim, par eſt muſtum nondum mutata dulcedine non inebriare.

Finita cœna Euthydemus cùm quæſtionem in medium reuocaſſet, Moſchio medicus dixit, Putrefactionem eſſe colliquationem & fluxũ quendam carnis corruptæ inque humorem mutatæ, omninóque humectari quæ putreſcunt. Calefactionem porrò omnem ſi ſit mollis & languida, commouere humorem, & humida reſoluere, ſi igneus ſit calor, contrà carnes exſiccare. Hinc manifeſtum fieri quod in quæſtione verſaretur. Lunam quippe ſenſim tepefaciendo humectare corpora: Solem igneo ſuo feruore potiùs eripere humorem è corporibus.

Nutrices cur Lunæ infãtulos oſtendere caueant maximè.

Quæ enim eſt cauſa, quòd nutrices infantulos admodum cauent Lunæ oſtentare: nam pleni humore, viridium inſtar lignorum, conuelluntur & peruertuntur, & videmus eos qui in lumine Lunæ decubuerũt, ægrè ſurgere,

» quaſi attonitos, & ſenſuum quodam torpore
» correptos, humor enim à Luna diffuſus agra-
» uat corpora. Dicitur etiam ad expediendum
» partum Luna conducere, cùm orbe fulget di-
» midio: quòd laxandis humoribus dolores mi-
tiget.

Ferunt etiam plenilunio farinam ſubigi melius: nã fermentatio etiam ſi intra modũ fiat; tamen totam maſſam corrumpit fluidámque reddit.

## Ex Plutarchi, Sympoſiacôn, ſeu conuiualium diſputationũ, libro quarto.

Amicos eſſe faciẽdos.

POlybium Africano præcepiſſe nouimus, Soſſi Senecio, ne è foro vnquam digrederetur inter negotia verſans ciuium, niſi prius aliquem amicum ſibi feciſſet. Amicum autem hic exiſtimamus non preſsè aut ſophiſticè eum intelligendum, qui perpetuus ſit & immutabilis: ſed communiter beneuolum, quomodo Dicæarchus vnumquemque cenſebat dare operam debere, vt omnium beneuolentiã ſibi conciliaret, amicitiam autem cum bonis iniret. Etenim amicitia multo tempore & per virtutem paratur: beneuolentiam vſus,



colloquium, & ioci ciuilium virorum alli- «
ciunt, opportunitate affectionis animi ab hu- «
manitate profecti & gratia adiuuante. Sed «
vide, an non id præceptum præterquam quod foro accommodatum eſt, etiam ad conuiuia pertineat: vt non antè ſit inde diſcedendum, quàm vnà accumbentium alicuius beneuolentiam & amicitiam fuerimus nacti.

Quippe conuiua non obſonij modo, vini, & bellariorum, ſed & ſermonum, ioci, comitatis in beneuolentiam deſinentis particeps futurus venit.

Vini diuerſi vſus citò inebriat.

Vinum mixtũ vitant potores.

Vinum nobis euidens huius rei argumentũ «
ſuppeditat, celerrimè enim inebriat diuerſorum vinorum vſus, quas ἀλλοινίας Græci dicunt ſimilis autem eſt ebrietas cruditati à vino non cocto profectæ: ideóque vitant mixtũ vinum potores: & qui miſcent, clàm id faciunt, vt qui inſidias ſtruant.

Ipſe hoc auſim affirmare facilius contrariis ſermonibus fidem ac aſſenſionem parari poſſe, quàm concoctionem diuerſis qualitatibus. «

Philonẽ quippe ſæpenumero dicentẽ audiuimus, difficultatẽ concoctionis alimẽto accidere à qualitate, dum varia mixtura dãnoſa eſt, & alienas generat qualitates: itaque oportere vnumquemque id nutrimentum ſumere eóque contentum eſſe, quod ſuæ congruere naturæ compertum habeat. Quòd ſi ſuapte natura

nihil eſt concoctu difficile, ſed multitudo eſt quæ turbat & corrumpit.

Hic Socratis etiam meminiſſe expedit, qui iubebat cauere à cibis qui non eſurientes ad bibendum allicerent, nihil aliud nimirum quàm ciborum multiplicem varietatem vitare mandans. Ipſe nemini apud nos fulmen incidiſſe in domum & multa mirabilia feciſſe: nam & vinum è doliis illæſis conſumpſit: & hominem dormientem tranſuolauit, neque ipſum lædens neque veſtem tangens: & cinguli æs, quo obductum erat, colliquauit.

Canes & aues cadaueribus fulmine percuſſorum abſtinere.

Sulfur quoque thion inde puto nominatũ, ob ſimilitudinem odoris ignei & acris, quem edunt icta fulmine corpora: ob quem puto canes etiam aueſque abſtinere cadaueribus fulmine percuſſorum. Huc vſque enim cauſam, vt etiam lauri dixero.

Fulminis ignis mirabili eſt ſubtilitate atque tenuitate, quam ſtatim à prima origine habet ex pura & ſincera ſubſtãtia: & quicquid ei humidum aut terreſtre admiſcetur, id ſui motus celeritate excutit atque expurgat.

Proinde corpora denſa vt æs, vt argentum & horum ſimilia, fulmen excipiunt, corrumpunturque & liqueſcunt eò quòd repugnant atque reſiſtunt. At per rara, multis hiantia
" meatibus ob laxitatem eorum ſine tactu di-
" ſcurrit fulmen, vt per veſtes & arida ligna, idem



Dormiẽtes fulmine non necari.

idem viridia vrit, arreptum ab humore, eóq; incenſo. Ergo ſi verum, dormientes fulmine haud necari, hic quærenda eſt cauſa, non alibi. Magis enim firma ſunt, & ſolida atq; reſiſtunt corpora vigilantium, vtpote omnibus partibus ſpiritu opletis: quo etiam ſenſus intendente tãquam inſtrumẽto & cõſtringente, validũ fit & ſecũ continẽs denſumq; animal.

Quæ cedũt min⁹ læduntur quã quæ reſiſtunt.

Nam quæ minùs ſunt valida, ea munit natura duricie aliqua aut denſitate, vt non facilè patiantur, quarum verò inexpugnabilis eſt vis, ab his minùs læduntur quæ cedunt quàm quæ reſiſtunt.

Mortuos metu tonitrui. Mortem metuẽdo mortui.

Itaque tonitru oborto paſtores condocefaciunt pecus, vt in vnum concurrant, ſeque inuicem applicent, nam quæ balant à reliquis auulſæ oues, abortum faciunt. Et innumeros videre eſt mortuos tonitru, in quibus nullum ictus aut aduſtionis appareret veſtigium: quod nimirum præ metu anima eorum è corpore auis inſtar euolaſſet; multos enim exanimauit ventus tonitrui, vt ait Euripides. Huc accedit etiam conſternatio, quæ fulminibus ingruentibus inceſſit, ac metus & pauor: ob quæ multi nihil aliud paſſi mortem metuendo ſunt mortui.

Nam aliàs quoque de omnibus ſenſibus auditus facilimè afficitur, perturbationeſque & metus à ſtrepitu orti, quàmmaxime animum

*exagitant: contra quos dormienti ſtupor præſidio eſt. Vigilantes cùm præſenſione exanimantur, tu metu corpus re vera conſtringente & denſante, ictum reſiſtendo faciunt validiorem.*

Cur in nuptiis plurimi ad cœnã vocẽtur.

*Hic primus ego: Nullius, inquam conuiuij cauſa ita manifeſta, ita celebris eſt, vt nuptiarum. Nam & rem ſacrã Dijs facere, & amicum diſceſſurum excipere conuiuio, aut peregrè venientem licet ignorantibus hoc neceſſariorum multis. Nuptialis autem menſa indicem habet hymenæum alta voce inclamantem, & facem, ac tibiam, quæ Homerus ait mulieribus ad fines ſtantibus eſſe admirationi, itaque cùm nemo ignoret conuiuiũ agitari, verecundia ducti omnes neceſſarios, familiares, & quocumque tandem pacto ſibi coniunctos inuitant.*

*Ac quod plus habet momenti, duabus in vnam coëuntibus familiam, cùm accipiens dantis familiares & amicos, tum dans accipientis exiſtimans ſibi comiter demerendos, duplicem conuiuarum faciunt numerum. Denique cùm multa, adeóque pleraque in nuptiis mulieres peragant: vbi adſunt mulieres, neceſſe eſt etiam viros adhiberi.*

*Adde quod omnium obſoniorum precium exceditur à marino. Cato ſanè non vltra modum, ſed verè dicendo inuehens in luxum vr-*



*bis dixit, Pluris vendi piſcem quàm bouem.*

*Ergo ſicut philoſophi, qui à ſpe quam vnicè prædicabant ἐλπιστικοὶ dicti ſunt, nihil eſſe pronunciauerunt quod vitam magis contineat atque ſpes, qua non condiente eam vita ſit intolerabilis, ita etiam ad alimentum id ponemus appetitum continere, ſiue quod id planè ingratum & incommodum ſit futurum.*

Salẽ alice re appetitum & ad alia obſonia.

*Itaque etiam acria & ſalſa ante cibũ ſumunt, & omnino quibus plurimũ ſalis adeſt, hæc enim alliciunt appetitum ad alia obſonia, hiſque ille delinitus, ad reliqua alacris recénſque ſe confert, ſi verò ab alijs incipiat, mox elangueſcit. Nõ ad cibum proinde dũtaxat, ſed ad potum quoque condimenti vim ſales habent.*

Obſonia marina non grauare.

*Cæterum marina obſonia reliqua præterquàm quòd ſunt ſuauiſſima, maximè etiam ſunt innoxia, nam & carnoſa ſunt, & nõ perinde vt carnes grauant, ſed facilè concoquuntur & digeruntur. Teſtimonium mihi perhibebunt Zeno hic, atque etiam me Crato hercle, qui ægrotantes ante omnes alios cibos ad piſcem ablegant, vt leuiſſimum.*

*Quòd autem ſui parcitur à Iudæis, iſque in honore habetur, non caret ratione. Prima enim ſuis (vt aiunt) roſtro terram findens, veſtigium arationis impreſſit, ac*

*vomeris opus ſubmonſtrauit quem hynin indi-dictum ſunt qui putent.*

*Iam Ægyptij qui cauã & mollem incolunt regionem, omnino etiam aratri vſum non admittunt: ſed poſtquam Nilus eluuie ſua ſolum rigauit, eum ſubſequentes, ſues in agros depellunt eæ verò calcanda ac fodienda tellure celeriter eã altè ſubuertunt, ſeménque occulũt.*

*Ibis quoque pedum deductione, eorum inter ſe & cum roſtro comparatione, triangulum repræſentat æquilaterum.*

*Et fortaßis rationi hoc conſentit, ſicut aſino ſuus eſt apud eos honor, qui fontem aquæ eis demonſtrauit: ita ſuem eos reuereri, vt ſationis & arationis magiſtram.*

Lepores apertis dormire oculis.

*Nam lèporum oculi adeò ſunt indefeßi, vt etiam apertis ijs dormiant. Celeritatę autem exaudiendi videntur alijs anteire, quorum admiratione ducti* Aegyptij *in ſuis ſacris litteris picto lepore auditum ſignificant.*

Porrò *autem ſuis victus ita turbidus & immundus non caret vitio, nullùm enim animal videmus ita gaudere cœno ac ſordidis impuriſque locis, etiam ſi non ineamus rationem ortus & naturæ quam in ſeſe habent. Oculi etiam porcorum ita dicuntur confracti, & humi defixi, vt nihil eorum vnquam cernant, quæ supernè ſunt, neque in cœlum intueantur: niſi ſupini contra naturam facti*



*pupillas ſurſum obuertant, ideóque animal hoc, aliàs clamoſißimum, vbi ſupinatum fuerit, tacere attonitum inſolenti conſpectu cœli, maioríque metu vociferationem eius reprimi putant. Si verò fabuloſa etiam licet huc adferre: fertur* Adonis *à ſue interfectus.*

*Bacchum verò à* Iudæis *coli, id quoque argumento non leui eſt, quòd inter multas pœnarum formas vna maximè odioſa eſt, quæ vino interdicitur damnatis ad certum tẽpus, quod à iudice præſcribitur.*

## Ex Plutarchi, Sympoſiacôn, ſeu conuiualium diſputationũ, libro quinto.

S*Icut igitur nutrices, quæ cibum infantibus præbent, parum percipiunt voluptatis: ſaturatis autem ijs & fletu miſſo dormire orſis, ipſæ tum pro ſe commodo cibo potúque fruuntur, ita animus in partem venit voluptatum quæ edendo bibendóque percipiuntur, corporis appetitionibus in morem nutricis inſeruiens, eiúſque deſideriis ſe accommodãs, concupiſcentiámque demulcens: vbi verò*

*illud mediocriter affectum conquieuit, ibi tum defunctus, ſuo miniſterio & negotijs vacuus exinde ſuas ad voluptates conuertitur, diſputationibus ſe recreans & diſciplinis, hiſtoriiſque & ſubtiliũ rerũ quæſtionibus.*

*Ego autẽ, tametſi pedẽ in alieno, quod aiũt, choro ponerem, tamen hæc dixi. Cùm natura ſimus ratione præditi, artiúmque amantes, ijs quæ ſcitè & artificioſè aguntur ídque feliciter, familiariter afficimur, eáque admiramur, Nam veluti apis ob ſtudium dulcedinis ſuum, omnem materiam, cui melleum aliquid inſit, conſectatur: ita homo natura artium ſtudioſus & pulchritudinis, omne opus, omnem actionem mente ac ratione conſtantia amplectitur & diligit.*

*Alioquin enim quid paßi, aut qua extrinſecus adfectione accidente Parmenonis ſuem ita admirati ſunt homines, vt in prouerbium abiret. Et quidẽ ferunt* Parmenone *ob hanc rem celebri, quoſdam idem æmulando certaſſe, cúmque homines præiudicio occupati dicerent, Bene hoc, nihil ad* Parmenonis *ſuem, quendam cum porcello ſub axilla geſtato prodijſſe:*
» *& cùm vero ſuis grunnitu homines*
» *tamen dicerent, Et quid hoc ad* Parmenonis
» *ſuem: eum emiſſo in medium porcello arguiſſe,*
» *nõ veritatẽ eos in iudicãdo, ſed opinionẽ ſequi.*

Nihil ad Parmenonis ſuem.

» *Enimuerò etſi loci apparatúſque ſit ſatis,*



*tamen vitanda eſt conuiuarum multitudo, quæ cõmunionẽ ſermonis & cõpellationum è conuiuio tollit: cùm tolerabilius ſit vini quã loquendi communicationem à cœna abeſſe. Itaque Theophraſtus iocans tonſtrinas appellauit conuiuia vini expertia, ob loquacitatem ibi deſidentium.*

*His dictis, illicò quæſitum fuit de anguſtia acumbentium initiò, ac deinde laxatione, cùm videatur contrariũ debuiſſe fieri, corporibus in cœna diſtentis. Fuerunt qui formam diſcũbendi cauſarent, omnino enim in latum diſcumbere nos, vt qui dextras in menſam protẽdamus: cœnati autem magis in latus nos obuertamus, corporiſq; figuram acutam reddamus: neque iam ſecundum ſuperficiem ferè, ſed ad lineam ſpacium occupemus. Sicut ergo tali minus loci*
*occupãt ſi recti, quã ſi proni cadãt: ita vnum-* «
*quẽque noſtrum principio in faciem proclinari* «
*dum in menſam intuemur: deinde trãsformare* «
*accubitũ in altitudinẽ ex latitudine.* «
*Plerique ſtragulo cauſã adſcribebãt, id enim dũ accũbitur dilatari & laxius fieri: quomodo calcei attritu paulatim diducuntur, & pedi ſpacium concedũt. Senex autẽ iocans, Duos, inquit, cõuiuiũ habet diſsimiles præfectos ac duces, initiò famem, quæ planè expers eſt artis inſtruendorum ordinum, deinceps* Liberũ *patrẽ, quem ducẽdi exercitus peritiſsimũ fuiſſe apud omnes*

Quid cauſæ ſit, quòd initio cœnæ anguſtè poſtmodò laxè ſedetur.

*in confeſſo eſt. Sicut ergo Epaminondas exercitum inſcitia ductorum in anguſtias coniectū & ſe inuicem conturbantem ac atterentem, ipſe in ducis partes ſuccedens euoluit, inque ordinem reduxit: ita nos ab initio à fame cōfuſè in vnum conductos & permiſtos nactus Bacchus, qui* Lyæus *&* Chorius *à ſoluendis & choris inſtituendis dicitur, in ordinem venuſtum atque humanum componit.*

Bacchus Lyæus & Chorius vnde dictus.

*Cùm in cœna ſermo incidiſſet de ijs qui faſcinare dicantur, & oculum habere faſcinatorem: fuerunt qui totā rem nugas eſſe dicerēt atque deriderent.* At *Metrius Florus, qui nos cōuiuio exceperat. Famam, inquit, mirabiliter adferunt ea quæ eueniunt: ſed ignoratio cauſæ fidem hiſtoriæ derogat: iniuria id quidē. Etenim innumera ſunt, quorum cùm ſtubſtātia in aperto ſit, cauſæ tamen nos latent. Omnino autem qui in ſingulis probabilitatem requirit is, quod mirabile eſt ex omnibus rebus tollit, atque vbi cauſæ ratio deficit, ibi dubitare & inquirere, hoc eſt philoſophari, incipimus, vt philoſophiam quodam modo perimant, qui admirabilibus fidem detrahunt. Oportet verò cur vnumquodque fiat cauſam ratione inueſtigare: an fiat, ex hiſtorijs eſt percipiendum.*

*Narrantur autem multa talia. Nouimus enim homines, qui intuendo infantibus potiſ-*



*ſimùm noceant, qui ob humiditatem habitus ſui imbecillitatémque ab iſtis adficiuntur atque in deterius mutantur: cùm ſolidis & cōpactis iam corporibus hæc minùs accidat. Phylarchus ſanè refert* Tibios *qui olim circa Pontum habitauerunt, non infantibus modò, ſed adultis etiam exitium attuliſſe: obtutu enim eorum, ſpiritu ac ſermone adfectos, tabuiſſe & ægrotaſſe, idque ſenſerunt vt apparet, conuenæ, ſeruos inde emptos educentes. Sed de his hoc quidem fortaſſe minus eſt mirum. Contrectatio enim & contagium habet quoddam apparens adfectionis principium. Et quemadmodum reliquarum auium pennæ, ſi cum aquilæ componantur pennis, pereunt defluentibus ob putretidnem plumis: ita nihil impedit, quò minus hominis contactus, alius vtilis ſit, alius damnoſus. Quòd autem damno aliquis afficitur tantùm inſpiciente altero, id euenit quidem ſicut dixi: non creditur autem, quia cauſam habet indagatu difficilem. At verò, inquam ego, quodammodo tute cauſæ veſtigium quoddam callémque venandæ attigiſti, ad defluxus corporum perueniēdo. Odor enim vox & fluxus, halitus, ſunt quidam à corporibus animalium delati, & quaſi partes eorum: ac ſenſui accidentes adficiunt eos.*

*Ac multo magis probabile eſt talia à*

corporibus animalium deferri, ob calorem & motum ſpiritui quaſi palpitatione quadam & conturbatione ingenerata: qua corpus adſiduè pulſatum quoſdam emittit defluxus. Maximè autem id fieri ab oculis, conſentaneum eſt. Viſus enim cum multis cieatur motibus, cum ſpiritu quem emittit, ſimul mirabilem quandam igneam vim diſſeminat: cuius opera multa homo cùm patitur, tum agit. Voluptatibus quippe moderatis, & item moleſtijs adficitur homo à viſibilibus rebus quæ offeruntur: & amores quibus nullus vehementior animis motus accidit, ab adſpectu principium ducunt: adeò vt fluat & quaſi liqueſcat amans, cùm intuetur in id quod amat, inque id veluti tranſit. Itaque maximè puto miretur aliquis eos, qui lædi videndo hominem cùm ſentiant, agere & lædere itidem, id verò negant. Mutui enim formoſorum obtutus, & quod per oculos excidit, ſiue id lumen eſt, ſiue fluxus quidam, amatores colliquat atq; perdit dolore voluptati permixto, quem ipſi γλυκύπικρον id eſt dulcamarum & ſuauamarum nominant. Nã neque tangentes neque audiẽtes ita vulnerantur & adficiuntur, vt cùm inſpiciunt & inſpiciuntur, adeò enim redditur incendium ab oculis, vt neceſſe ſit planè ignaros eſſe amoris, qui Medicam naphtham mi-

Amorem principiũ ducere ab aſpectu.

Amatorẽ ob aſpectum trãſire in id quod amat.



rantur ignem ex interuallo ad ſe rapere: cum formoſorum corporum adſpectus etiam è longinquo reſpicientium ignem in animis amore captorum accendant.

" Præterea regio qui laborant morbo, eos ſæpenumerò cognouimus ſanari ſi in auem charadrium (ſiue ea ſit rupex) inſpiciant, tali natura, vt apparet, prædito animali, vt morbum è corpore adfecti elabentem ad ſe trahat, atque recipiat oculis tanquam defluentem quendam humorem, itaque charadrius arquatum non intuetur, neque ſuſtinet, ſed clauſis oculis ſe auertit, non inuidens (vt putant nonnulli) remedium quod ab ipſo petitur, ſed quia quaſi ictu quodam ſauciatur.

" Equidem & cogitatione actus venerei pudenda eriguntur, & excandeſcentiæ canum in certaminibus aduerſus feras ſæpe lumina extingunt atque excæcant, tum animi ægritudo, auaritia, riualitas colorem mutant, habitũq; corporis adfligunt, nullo autẽ horũ minùs inuidẽtia vbi animũ ſubijt, corpus quoq; prauitate occupat: quã pictores probè conantur pingẽdo liuoris vultu exprimere. Sic ergo inuidia adfecti cùm intendunt oculos in aliquem, radios tanquam veneno imbuta iacula excipientibus partibus animo proximis, nihil (puto) abſurdi ſit ſi læditur in quem illi ſunt intuiti.

Morſus canũ grauiores eſſe ſi irati mordeãt.

*Nam & morſus canum grauiores ſunt ſi irati mordeant, & ſemina hominum efficatiora, ſi amantes coëant: & vniuerſæ animi affectionibus facultates corporis roborantur atque intenduntur.*

*Quid obſecro dices de his qui faſcinare ſe metipſos feruntur? Vtique enim auditũ tibi hoc eſt, aut ſaltem iſtud legiſti.*

Quondam pulcer erat ciuibus Eutelidas.
Sed ſeſe ipſe videns placidis in fluminis vndis,
Liuore infamis perdidit inuidiæ.
Faſcinus attraxit morbum, formámque peremit.

*Ferunt enim hunc Eutelidam ſibi ipſi viſum forma inſigni, eóque adſpectu adfectum, hinc in morbum incidiſſe, valetudinémque cum forma amiſiſſe.*

*Florus cum nos excepiſſet, quærebat, quinam eſſent qui in prouerbio dicuntur ad ſalem & cuminum eſſe amici, Atque hoc quidem promptè ſoluit Apollophanes grammaticus, dicens eo adagio notari qui ita ſunt inter ſe familiares, vt etiam ſale & cumino ſolis propoſitis vnà cœnent.*

*Verum enimuerò id quoque cõſidera, an nõ ſali id etiam diuinum cõtigerit, quod cadauera putredinis ſecura & durabilia adſeruans*



*aliquanto tempore morti reſiſtit, neque patitur id quod mortuum eſt, penitus aboleri, ſed quemadmodum anima, noſtrarum rerum diuiniſſima, diffluere non ſinit molem animalis, ſed eam cõtinet: ita ſalis natura imitatur animæ opus, dum cadauera arripiens, id quod ad interitum vergebat conſtringit atque cohibet, partibus inter ſe quandam concinnitatem atque amicitiam indens.*

Libidinẽ excitari cibis ſalſis. Naues ſalẽ vehentes multos producere mures.

*Equidem qui canibus alendis operam dant, cùm eos ſegniores ad coitum vident ſalſis cibis ſalſamentiſque carnium excitant languentem eorum libidinem. Naues quoque ſalem vehentes, incredibilem murium producunt copiam, hoc fieri dicunt nonnullis femellis citra maris coitum ſalem duntaxat lingentibus, eſt autem probabilius ſalſugine ad coitum mures vtrinque ſtimulari. Atque hac fortaſſe de cauſa pulchritudinem mulieris non ocioſam aut inuenuſtam, ſed gratioſam & ad permouendum aptam, ſalſam vocant atque acrem.*

## Ex Plutarchi, Sympoſiacôn, ſeu conuiualium diſputationum, libro ſexto.

Cur ieiuni magis ſitiũt quã eſuriunt.

*Dixi tum ego, Eorum quæ in nobis ſunt aut ſolùm aut maximè calorẽ nutrimento indigere, idque adeò nos in eo cernere, quòd neque aër, neque aqua, neque terra nutrimentum requirunt, neque conſummunt, quod eis appropinquat: ſolus id ignis facit. Hinc etiam adoleſcentes ſenibus voraciores ſunt ob calorẽ: & contrà ſenes ieiunium faciliùs ferunt, quod obtuſus eorum iam & exilis eſt calor: ſicut &*

Adoleſcẽtes ſenib⁹ voraciores.

» *exſanguinum animalium, quæ ob inopiam ca-*
» *loris minimo indigent alimento.*

Cur fames potu ſedatur, ſitis cibo ſumpto fit vehementior.

*Cùm enim meatuum, qui omnibus inſunt corporibus, alij aliã habeant proportionem: latiores tam ſiccum quàm humidũ recipiunt nutrimentum: gracilliores potum admittunt, cibum non item, horum porro euacuatio ſitim, illorum famem gignit. Hinc ergo eſt quod ſitientes ſi edant, nihil inueniunt auxilij, meatibus ob tenuitatem non capientibus ſiccum alimentum, & adhuc manente in iis fami-*



*liaris nutrimenti indigentia. Atqui eſurientes ſi bibant, humor per maiores penetrans meatus, & eorum vacua implens, nimiam famis placat vehementiam.*

*Etenim ſitis edendo intenditur, cibo ſua* «
*ſiccitate humorem qui ſparſim imbecillis in* «
*corpore eſt reliquus contrahente & omnem* «
*liquorem abſumente, ſicuti videmus terram* «
*& puluerem, & multo magis mixta hu-* «
*morem omnem in ſe recipere atque abolere. Contrà famem neceſſario mitigat potus. Humor enim ciborum reliquias aridas & exiles rigans ac diffundens, ſucco ingenerato & exhalationibus, eas effert in corpus, indigentibúſque applicat partibus. Itaque non malè Eraſiſtratus humorem cibi vehiculum dixit, nam quæ ob ſiccitatẽ aut aliam affectionem ignaua ſunt & grauia, admixtus attollit ſurſúmque euehit.*

Humorẽ cibi vehiculũ eſſe.

*Omnis aqua prius calefacta magis refrigeratur, vt ea quæ Imperatoribus paratur, igni admota dum feruet, vaſe dehinc multa niue accumulata circumdato frigidior redditur.*

Aqua pri⁹ calefacta magis refrigeratur.

*Sed potiùs aër iſte frigidus, cum totam putei aquam præ multitudine eius refrigerare non poſſit, partem eius ademptam faciliùs ſubigere & ſua qualitate afficere valet.*

Sicut enim gallinaceos gallos & porcos caſtrare, vt caro eorum contra naturam fiat tenella & feminea, non ſit ſanorum hominum, ſed gulæ ſtudio perditorum: ita (ſi licet honeſta translatione vti) merum vnguibus deſpoliant (aiebat) & effeminant qui id diffundũt per colum, cum neque ferre merum ob imbecillitatem poßint, neque eos intemperantia moderatè bibere ſinat. Itaque hoc commento vtuntur, quò largiùs potandi ſtudium excuſent.

*Vinũ dilutum.*

Veſtem aqua madefactam videmus mox reſiccari, olei autem maculas eluere non eſt laboris vulgaris, maximè enim penetrat, quia tenuißimum eſt & humidißimum, quando vinum quoque dilutum Ariſtoteles ait difficiliùs elui è veſtibus: quòd magis tenue factum, faciliùs in meatus ſubeat.

*Taurum etiã ferociſſimum ficui alligatũ omnino ferociã deponere & tactũ admittere.*

Equidem ſpiritum validum & vehementem à ficu exhalare, cùm viſus planè teſtatur, tum id quod de tauris fertur: ſcilicet ficui alligatum taurum etiam ferocißimũ, quieſcere, tactúmque admittere, & omnino ferociam quaſi elangueſcentem deponere. In acrimoniam tamen arboris maior pars cauſæ collata eſt. Eſt etiam arbor hæc omnium plantarum ſucci plenißima, quo & ficus ipſa, & lignum, & cortex plenus eſt. Itaque ficulnum lignum crematum fumo maxime mordet: & combuſti



combuſti cinis lixiuium præbet ſumma tergẽdi vi preditum.

*Quæ cauſa, quòd mactatæ carnes ſi de ficu ſuſpendantur, mox tenereſcunt.*

Spiritum igitur calidum, acrem, incidendique vi preditum ficus emittit: iſque incidit & concoquit carnem auis. Idem fit ſi frumenti aceruo imponatur, aut iuxta nitrum: calore id efficiente. Eſſe autem triticum calidum colligunt ex ampheris, quibus in tritico poſitis vinum celeriter conſumitur.

## Ex Plutarchi, Sympoſiacôn, ſeu conuiualium diſputationum, libro ſeptimo.

ITaque etiam aues carent epiglottide, non enim hauriunt aut lambunt potum, ſed roſtris immerſis paulatim eum in arteriam dimittunt atque ſic eam rigant.

Euidentius etiam hoc eſt indicium, quòd animalia vel nullum vel admodum paruum habentia pulmonem, omnino potu non indigent, neque eum expetunt, eo quòd certis partibus innata eſt humiditatis appetentia, neque vero partibus ijs carent.

Deridebat ſocer noſter Alexion Heſio-

Vini mediũ, olei ſummũ, mellis imũ optimum.

*dum, qui è ſummo & imo dolio iuberet vinum bibere, medio parcere, quod ibi vinum eſſet optimum. Quis enim ignorat, aiebat, vini medium, olei ſummum, mellis infimum eſſe optimum? at Heſiodus nos vult omiſſo quod in dolij medio eſt vino expectare donec dolio deficiente vinum deterius fiat.*

*Nec de vino quidem probabilia defuerunt argumẽta. Primùm vis eius calor cùm ſit, conſentaneũ eſt eum maximè in medium conduci, idque ibi optimum conſeruare, deinde quod in fundo eſt, fæce vitiari: quod in ſummo, ab aëre vicino corrumpi. Nam nouimus ab aëre vinum lædi: ideóque dolia defodere aut integere ſolemus, vt quàm minimum aëris ea tangat, & quod maximum habet momentum, aër nõ ita facilè nocet pleno vaſe vino, vt aliquantum vacuato, nam in exhauſti locum aër confertim ſubiens, maiorem infert mutationem, in plenijs dolijs vinum ipſum ſeſe ſuſtentat, non multum extrinſecus admittens, vnde vitiari poſſit.*

Vim dolia quare integere ſoleam?

*Etenim vetuſtas vino conducit, oleo nocet, aër vtrique accidens, aufert. Nam humorem refrigeratum digerit, oleum autem ob continuitatem exſpiratione carens, facilè veteraſcit, dictum probabiliter quia in ſuperficie accidens aër, recentia facit, itaque vini ſummum eſt viliſſimum, olei optimum nam ætas oleum*

Vinũ vetus, oleũ recẽs optimum.



*peſſimè, vinum optime adficit.*

*Itaque eos, qui in cibo, potu, re venerea modum excedũt, vnde morbi multi, pecuniæ perditio, & mala fama ſequuntur, incontinentes dicuntur, qualis Theodectes ille ex oculis laborans amica ſuperueniente dicens, Vale carum lumen.*

*Quæſitũ fuit, quando mos cœperit vt ad cœnã venirẽt vocati non ab eo qui præbet cõuiuium, ſed ab aliquo eorũ qui inuitati ſunt: vmbras vocant, qui hoc pacto veniunt. Videbatur autem Socrates autor, qui Ariſtodemo perſuaſit vt non inuitatus ſecum iret ad Agathonis conuiuium, & quidem ridiculè euenit Ariſtodemo vt Socrate in via ſubſiſtente ipſe prior ingrederetur, nimirum vmbra corpus præcurrens quod à tergo lumen habet. Poſterioribus autem temporibus in excipiendis conuiuio hoſpitibus, maximè principibus viris, neceſſe fuit, cùm ignoraretur quinam eos ſequerẽtur, quóſue ij magni facerẽt, conuiuatori facultatẽ inuitandi integram relinquere, numero certo quidẽ conſtituto cõuiuarum: ne ei vſuueniret, quod aliquãdo Philippũ regẽ ruri inuitãti accidit, venit enim rex ad cœnã multis comitantibus, nõ multis apparatã hominibus, ibi cum videret hoſpitẽ eſſe anxiũ, circũmiſit qui amicos clã moneret, vt locũ placentæ relinquerent, cuius expectatione cùm illi parciùs veſcerẽtur*

Conuiuij vmbræ.

Philippi, vt parua cœna multis ſufficeret cautio.

*appoſitis, cæna omnibus ſuffecit.*

*Eſt enim conuiuium communio ſeriorum, iocorum, actionum, & ſermonum, itaque non quiuis id frequentare debent, ſed amicitia inter ſe deuincti & familiares, vt ſuauiter hoc fiat.*

*Cæterùm quemadmodũ* Peripatetici *aiunt quoddam eſſe primum mouens, quod ipſum nõ moueatur: Et extremum quod moueatur, neque vim ipſum mouendi habeat: inter hæc quod & motũ adferat alijs, & ab alijs ipſum quoque moueatur, ita ratio docet tres eſſe in*
» *conuiuali re, vnum qui inuitet duntaxat, al-*
» *terum qui duntaxat inuitetur, tertium deni-*
» *que, qui inuitetur & inuitet.*

*Fuit vero Græcus qui dixit,*

Conſilium meliùs capietur ventre repleto.

Noctem cõſilium habere.

*Antiquiſsimi verò ipſum Bacchum, tanquam nihil Mercurij egentem, Eubulen (hoc eſt bonum conſiliarium) & eius gratia noctem* Euphronen *quaſi prudentiæ aptam appellauerunt.*

Vino captos ſe ſapiẽtes exiſtimare.

Porrò *autem ſummum eſt, vt in conſultatione de maximis rebus imprudens atque rerum imperitus, prudentes ſequatur & peritis*
» *aſſentiat: hoc vinũ ebrijs adimit, ideóque* Pla*to etiam vino nomen ait factum* οἶνος *quia efficit vt qui bibunt ſapere ſe putent,* οἴεσθαι



νοῦν ἔχειν. *Nam neque nobilis, neque pulcer, neque diues quiſpiam bibentium ſibi ita videtur, etiamſi videatur, vt prudentem ſeſe opi-*
*natur. Atque hinc eſt quòd vinum loqua-* «
*ces facit, intempeſtiuáque garrulitate & ani-* «
*mi elatione præire autoritate omnibus volente* «
*implet: quaſi verò noſtrum iam ſit non audire, ſed audiri potius: non ſequi, ſed ducere.*

*Sane aliud eſt bibere aliud inebriari, &* «
*qui ita abibunt, vt iam delirent, eos cenſemus* «
*debere dormitum ſe conferre.* «

Vinũ vnà cũ animo corpus calefacere.

*Nam cùm vt,* Plato *ait, vinum vnà cum animo corpus calefaciat, agile reddit hoc, meatúſque perrumpit, viſis cum audacia iunctis, ſermonémque proripientibus.*

## Ex Plutarchi, Sympoſiacôn, ſeu conuiualium diſputationum, libro octauo.

*Qui philoſophiam è conuiuijs eijciunt,* «
*Soſsi Senecio, non idem, ſed peius a-* «
*gunt quàm qui lumen inde tollunt.* Nam *lu-* «
*cerna ſublata, modeſti ac pudici homines ni-* «
*hilo fient deteriores: quippe qui pluris faciant*

*mutuò ſe reuereri, quàm inuicem videre. At vbi inſcitia & bonarum artium imperitia ad vinum accedunt, iam ne aurea quidem illa Mineruæ lucerna modeſtum gratioſúmque effecerit conuiuium.*

*Equidem philoſophi ebrietatem vituperãtes, delirationẽ è vino obortam appellant, quid autẽ eſt delirare, quàm inani & nugaci oratione vti? & cùm garrulitas incompoſita ac nugæ vino accedunt, finis inſcitiſsimus ingratiſsimúſque ſequitur cõtumeliæ & bacchatio.*

*Non malè Ion de fortuna pronunciauit, eã cum à ſapientia differat plurimum, permulta huius operum ſimilia facere.*

" *Mentio etiam facta eſt huius rei, quod*
" *Alexander Magnus & Diogenes Cynicus*
" *ille vna eadémque die è viuis exceſſerũt. Con-*
" *uenit quoque regem Attalum ſuis in natalitijs diem ſuum obijſſe. Pompeium Magnum alij ſuo natali, alij pridie eius perijſſe apud Ægyptum aiebant.*

Omnia cũ Deo, in ipſo, & circa ipſum.

*Nõ enim profectò etiam Deo opus eſt mathemate, tanquam inſtrumento, quod à rebus natis ad æternas eius traducat intellectũ: cùm ea in ipſo, cum ipſo, & circa ipſum ſint.*

*Etenim forma & figura, omnis rei formatæ & figuratæ finis ſunt ſiue terminus: quorum priuatione materia ſuapte natura informis erat & infigurata: numeris & proportionibus in eam inſertis tanquam deuincta & circumſtricta lineis, & per lineas ſuperficiebus ac craſsiciebus, primas formas & diſcrimina corporum tanquam fundamentorum exhibuit ad gignenda aërem, terram, aquam, & ignem.*



*Inter maximè geometrica theoremata, aũt potiùs problemata eſt* Datis duabus figuris *tertiam adiungere, alteri earum æqualem, alteri ſimilem quo inuento ferunt* Pythagoram *ſacrificaſſe, eſt enim haud dubiè hoc multo ſplendidius & ſcitius illo, quo oſtenditur anguli recti in triangulo ſubtenſum quadratum æquale quadratis eum continentium laterum poſſe.*

*Intelligetis, in memoriam reuocata diuiſione, quæ in Timæo eſt, vbi prima è quibus mundi origo eſt in tria diuidit, quorum vnum iuſtiſsimo nomine Deum, alterum materiam, tertium formam appellamus.*

*Materia proinde ſubiectorũ vt quod maximè inordinatũ & incompoſitũ eſt: idea exẽplorũ pulcerrimũ: Deus cauſarũ præſtãtiſsima.*

*At vox ictus eſt corporis perſonantis ſonum tranſmittit ac perſonat id quod cognatum ei eſt & ab eo adficitur, motu facile, & leue atque æquabile, obſequénſque ei quod valdè & continenter fertur, qualis eſt noſter aër. Etenim aqua, terra, ignis, muta ſuapte*

natura, omnia tamen ſonum edunt & fragorem ac ſtrepitum ſpiritu illapſo.

Itaque hac ratione omiſſa, Anaxagoram produco, qui aërem à Sole ait motu tremulo & trepidante cieri, quod manifeſtum eſt è minutis iſtis ramentis quæ perpetuò per lumen diſſultant, fruſtuliſque, quas Græci quidam τίλας quaſi floculos, vocant, hæc ille ait ob calorem ſibilantia & ſtrepentia facere ſonitu ſuo, vt interdiu voces difficiliùs exaudiantur: noctu eorum agitationem & ſonum tolli.

Voces difficili⁹ diu exaudiri.

Nocturnus autem aër tranquillus plerunque & ſilens, omnibus quieſcentibus, vocem integram & ſinceram haud abs re ad nos mittit.

Aër nocturnus tranquillus.

Primus ego hoc adfero, oportere victoris gloriam quantum omnino fieri poteſt ab interitu & ſenio eſſe immunem. Palma autem inter maximè longæuas plantas vel præcipua eſt. Palmam nullum abijciens è ſe natura folium, conſtanter folijs ſuis ſemper ornatur, quam eius vim victoriæ robori potiſſimum accommodant.

Victoris corona cur de palma fiebat antiquitus.

Equidem Athenienſes quoque apparet non temerè aut ſine ratione Apollini gymnaſium dedicaſſe, nimirum enim à quo ſanitas nobis eſt Deo, eum firmam quoque corporis largiri conſtitutionem, & robur in certamina cenſebant.



Ac Deus quidem, vt par eſt, omnibus æquè benignum ſe præbet.

Deũ omnibus æquè benignum.

Babilonij eam celebrant atque decantant arborem, quòd ipſis 370. vtilitatum genera præbeat.

Palmæ lignum ſi supernè onere impoſito premas, non deorſum adfligitur aut concedit, ſed contra incuruatur, quaſi vi renitens prementi. Eodem modo res habet in athleticis certaminibus. Qui enim ob imbecillitatem & molliciem concedunt, ij flectuntur atque deprimuntur: qui exercitationem fortiter ſuſtinent, eorum nō corpora modò, ſed animi quoque eriguntur & augentur.

Palmæ lignũ oneri reſiſtere.

Viſum eſt nonnullis eos Solem metuere, qui humida calefaciendo præueniens ad putrefactionem faceret prona, omne enim quod calefactum aut tepefactum eſt ſemper ad mutationem eſt propenſius, iam antè adfectum qualitatis ſuæ remiſſione. At frigus cùm alia in ſuo continere & ſeruare ſtatu videtur, tùm vel maximè aquam, quæ natura ſuapte eo conſeruatur, oſtendit hoc nix, qua carnes in multum tempus à putredine vindicantur. Calor cùm alia, tùm mel quoq; ſua qualitate exuit: quod crudum alia quoque à corruptela defendens, elixando perditur. Maximam huic cauſæ fidem conſiliauerunt aquæ paluſtres: quæ hyeme potui non minus alijs aptæ, æſtate vi-

Cur qui nauigāt, ante diē aquam è Nilo hauriunt? Niuē carnes à putredine cōſeruare.

*tiantur & morboſæ fiunt. Itaq; cum nox hyemi reſpondere credatur, æſtati dies: exiſtimant aquam minùs obnoxiam fore mutationibus ſi noctu hauriatur.*

Aquas mōtoſas & lapidoſas validiores eſſe lacuſtribus.

*Aquæ enim montanā & lapidoſam permeātes terrā, quia nō multū terræ ſecū trahunt, validiores lacuſtribus & in plano fluctibus ſunt.*

*Et Batti, qui apud Cæſarem fuit ſannio, iocum retulit, Cœnipetas vocantis eos qui non ſatis maturè ad cœnam ſe contuliſſent: quòd quantumuis occupati, tamen ob cœnandi cupiditatem non abnuiſſent inuitati. Ego autem dixi, Polycharmum Athenis in repub. verſantem oratorem, cùm vitæ ſuæ rationem redderet in concione ſic dixiſſe, Præter alia, viri Athenienſes, nunquam vocatus ad cœnā vltimus veni, hoc enim videtur admodū populare, ſicut contrà quos tardè venientes præſtolari coguntur, inſuaues & imperioſos iudicant, moleſtéque ferunt.*

Nunquā vocatus ad cœnā vltimus veni.

Cœna vnde.

*Obſon autē vocabatur cœna, quòd ad eam ſerò (id eſt ὀψὲ) negotijs iā defuncti ſe cōferrēt.*

Romanis cœna quid.

*Eſt enim Romanis δεῖπνον cœna, quaſi cōmunio: quia antiquitus ſeorſim ſolebāt prandere Romani, cœnare cū amicis. Prandiū autē ἤ ἄριστον dicunt, ab hora, παρ' ἔνδιον nā ἔνδιον ſignificat meridianū tēpus & meridiari ἐνδιάζειν aut cibum matutinum voluerunt notare & nutrimentum quo vterentur priuſquam*

Prādium vnde.



*indigerent, πρὸ τοῦ ἐνδεῖσθαι.*

Hirundo ingrata.

*Enimuerò ciconia, quanquā à nobis neque tegitur, neque fouetur, neque tutelam aut auxilium vllum accipit, perſoluit tamen mercedē loci quem occupauit, dum infeſta hominibus animalia rubetas & angues circumiens interficit. Hirundo his omnibus potita, excluſis & educatis pullis ſuis abit, turpiter ingrata.*

*Nā Herodotus ſcribit neq; ſerere fabā, neq; edere Ægyptios, atq; etiā à cōſpectu eius abhorrere, ſcimus autē hodieq; ſacerdotes ea abſtinere: qui cū ſanctimoniæ ſingulari ſtudēt, etiā ſalem vitant, ne vel cibum vel condimentum mari affine vſurpent. Huius rei alias alij adferunt cauſas. Vera autem hæc eſt, quòd mare oderunt, vt alienum à nobis elementum, omnínoque inimicum humanæ naturæ.*

*Pythagoricos verò à piſcibus ideò abſtinere quia ſint alienæ gentis, ridiculum eſt & abſurdum: immò inhumanum & Cyclopicum præmium cognationis ij præbuerint reliquis atque affinitatis, coquentes ea & abſumentes.*

*Et quidem fertur capturam piſcium emiſſe aliquando Pythagoras, ac captiuos dimitti iuſſiſſe: non qui tanquā alienigenas & inimicos negligeret eos, ſed vt pro amicis & familiaribus captiuis precium liberationis perſolueret. Itaque contrarium iubet iſtorum hominum nos ſuſpicari māſuetudo & humanitas:*

*nimirum iuſtitiæ meditandæ gratia, & vſu diſcendæ, eos à marinis potiſſimum abſtinuiſſe, quòd reliqua animalia vtcunque maleficio cauſam necis hominibus præbent, piſces neque nos iniuria adficiunt, neque adficere poſſunt, quantumuis à natura ad hoc videantur inſtructi. In promptu eſt cùm è ſermonibus, tum è ſacrificijs veterum oſtendere, non eſum modò, ſed & cædem animalis innoxij eos pro facinore impio & nefario duxiſſe.*

Carnium eſum initiò neceſſitatē introduxiſſe.

*Itaque carnium eſum, quem initiò neceſſitas introduxit, nunc ob voluptatis ſtudium tollere difficile eſt.*

*Idcirco* Pythagorei *non lege tantùm ab omnibus hominibus, ſed natura etiā ab omni innoxio iniuriam abſtinentes, minimè, aut omnino nequaquam vſi ſunt piſcibus pro cibo, cùm præter iniuſtitiam piſcatio videatur intemperantiam quandam & gulæ incontinentiā ſecum trahere, ſumptuoſa & curioſa.*

Morbum non poſſe gigni abſque cauſa.

*Morbus quidem gigni abſque cauſa nullus poteſt, neque eſt vis vlla quæ ex nihilo aliquid contra leges naturæ poſſit producere, difficulter autem noua inuenietur cauſa, niſi nouum aërem, peregrinámque aquam & ignotos cibos prioribus ex alijs quibuſdam mundis aut intermundijs pronunciemus nunc demum in noſtrum hunc confluxiſſe.*

*Quidam cùm diu laboraſſet difficultate*



*vrinæ tandem culmum hordaceum geniculatum excreuit, & hoſpitem noſtrum nouimus Athenis Ephebum cum multo ſemine eieciſſe beſtiolam aſperam, multis pedibus celeriter ambulantem.*

Hominē Athenis cū multo ſemine beſtiolā eieciſſe.

*Nihil ergo, Diogeniane, opus eſt huic diſputationi extrinſecus adſcitis medijs, aut intermedijs: ſed rectà mutata victus ratio ſatis virium habet ad alios gignendum, alios abolendum morbos.*

*Tuis quidem ſocijs, meis filijs videbatur ſoluiſſe nodum Ariſtoteles, neque aliud quærendum putabant, ſed cum eo cauſam in fructus conferendam: qui recentes & humore turgidi multum turbulentúmque in corpore ſpiritum gignerent.*

Cur autumnalibus ſomniis nō ſit credēdū.

*Cibos porrò quoſdam eſſe qui difficiles ſomnos faciant, & animam perturbent, teſtatum fieri fabarum exemplo, & polypodis capite, quibus abſtinere iuberentur qui diuinare per ſomnum cuperent.*

*Autumni enim extremo nomen tribuitur hoc, vt folia deijcere dicatur, quæ tum ob frigus & ſiccitatem plantarum deferunt: niſi quæ calidæ ſunt & pingues, vt oleæ, lauri, palmæ: aut humectæ, vt myrtus & edera, his enim temperies opitulatur: reliquis non item, non enim gluten quo folia continentur permanet, ſed vel frigore humoris congelat, vel ob*

Quare nōnullæ plātæ folia ſua hyeme retineant.

*inopiam & imbecillitatem exſiccatur.*

*Porrò ſanguis qui in nobis principem vim obtinet ſimul humidus eſt & calidus, ſenectutem vtraque deficit qualitas, videtur autem anni circumeuntis quaſi ſenium eſſe finis autumni, nondum enim humor appetijt, & tamen caloris vis abijt.*

*Iudicium rei eſt non obſcurum, quòd eo tempore ob frigus ſimul & ſiccitatem corpora ſunt ad morbos procliuia.*

## Ex Plutarchi libro nono, Sympoſiacôn, ſeu conuiualium diſputationum.

Alpha inter literas cũ primũ locum habeat.

*PRoinde princeps Hermias geometra propoſuit grammatico Protogeni hanc quæſtionem, cur* Alpha *primum inter litteras haberet locum. Is cauſam attulit, quæ tradi in ſcholis ſolet, vocales optimo iure mutis & ſemiuocalibus anteire, vocalium alias longas, alias breues haberi, alias ancipites: de quibus ancipites haud dubiè prærogatiuam habeant, rurſum de ancipitibus ordine eam reliquis facilè priorem, quæ vtrique præponi, neutri poſt-*



*poni ſoleat, tale autem eſſe alpha.*

*Iam omniũ numerorũ primus eſt perfectus* "
*ternarius, principio, medio, vel fine conſtans:* "
*ſenarius, quia omnibus ſui partibus æquatur.* "

*Ceſſante autẽ ſe nõ continuit, quin magnas iſthæc eſſe nugas diceret non enim ratione aliqua, ſed fortuito caſu numerũ & ordinẽ litterarum qualis eſt exſtitiſſe ſicut hoc quoque temerè euenerit, vt primus Illiadis verſus totidem conſtet quot primus Vlyſſeæ ſyllabis: quod ipſum extremis quoque eorum operum verſibus contigerit.*

Primũ Iliadis verſum & Vlyſſeæ primum totidem cõſtare ſyllabis.

*Quid accidit nobis, inquit, qui patimur rhetores iſtos aliis irridendis luxuriare? nihil ipſi diſputamus, neq; ſtipẽ huc cõferimus? niſi fortaſſe dicent ſe cõmunionis inter pocula exſortes eſſe, Demoſthenis laudatores atque imitatores, qui tota vita nunquam bibit vinum.*

Demoſthenẽ tota vita nõ bibiſſe vinum.

*Primũ in decretis, legibus, fœderibus, pactis ſemper poſteriora prioribus plus valere maiorémque habere autoritatem cenſeatur.*

*Ideò multas muſas genuit Iupiter, vt affatim omnibus bona haurire liceret. Neq; enim venatu, militia, nauigatione, aut manuarijs artibus omnes indigemus: eruditione & ſermone, opus habemus omnes,*

Quicunque terræ munere veſcimur.

*Itaque vnam Mineruam, vnam Dianã, vnum Vulcanum, Muſas fecit multas.*

Omnes eruditione & ſermone indigere.

*In ore omnes habent nouenarium numerum, & nemo non eum decantat, vt qui primum ſe primi imparis quadratum, & impariter impar, ſcilicet quia in tres æquales diuidatur impares. Et Ammonius in leuem ſolutus riſum: Viriliter, inquit, hæc memoria repetiſti: atque his id quoque adde, numerum hunc è primis conflatum eſſe cubis vnitate & octonario: rurſúmq; alio modo è duobus triangulis ternario & ſenario, quorum vterque etiam perfectus eſt.*

Philoſophiæ tria genera.

*Enimuerò priſci, vt mea ferè opinio, cùm obſeruaſſent omnes ſcientias & artes quæ ratione & ſermone abſoluuntur, in tribus verſari generibus, philoſophico oratorio, & mathemathico: dona hæc fecerunt trium deorum, quas Muſas dixerunt.*

## Ex Plutarchi Libello qui, Eroticus, hoc eſt, amatorius, inſcribitur.

*NAm finis concupiſcentiæ, voluptas eſt & fruitio: amor expectatione amicitiæ amiſſa, non vult permanere, neque colere formæ gratia id quod moleſtum eſt, neque id quod*

*floret,*



*floret, ſi non fructum ingenij ad amicitiam & virtutem commodum efferat. Audis tragicum quendam maritum hæc vxori dicentem:*

O diſti? ego me inuiſum facilè patiar tibi,
Lucro meámque ducã contumeliã.

*Nam pudicæ quidem neque amare conuenit neque amari.*

Mulier pudica.

*Itaque ij qui ſapiunt, ipſi tanquã alas mulierum præcidunt luxum ab opibus profectũ, qui eas ita inanes facit & leues, vt ſæpe auolent. Alioqui præſtat, aureis compedibus ligatum manere (quod fit in Æthiopia) quàm diuitijs vxoriis. Hoc verò non dicis, aiebat, Protogenes, quod ineptè & ridiculè Heſiodi præceptum nos inuertimus, ſiquidem is dixit:*

Luxus mulierũ amputãdus.

Tũ tibi cõiugij maturè fœdus initur,
Cùm triginta annos, vel paulo plúſve minúſve
Impleris vitæ, quatuor quater, aut ſuper vnum
Nata annos nubat.——

*Qui verò vxorem in arctum cogit & comprimit veluti annulum digito ob gracilitatem alias delapſurum: ſimilis eſt eorum qui æquas tondent, & deinde ad fluuium vel lacum adducunt: nam ſuam formam conſpicientes fœdatam, ferociã dicuntur amittere, ac pati porrò ab aſinis ſe conſcendi. Equidem illiberale eſt*

Vxores in arctũ cogendas.

*diuitias vxoris virtute aut genere antiquiores ducere: iunctas autẽ his rebus auerſari, ſtultũ.*

Iuuenes difficulter libidinẽ exuere.

*Difficulter enim commiſcentur iuuenes, & vix longo tẽporis decurſu ferociam libidinẽq; exuunt: initiò æſtuant & iugum detrectant, maximè autẽ ſi quis amor exſiſtat, is, ſicut ventus gubernatore abſente nauim, facilè matrimonium cõturbat atque confundit, cùm iuuenes inuicem regere & parere non poßint. Iam ſi nutrix infantem, puerũ magiſter, ephebũ gymnaſÿ præfectus, amator amaſiũ, adultũ lex & prætor regit, ac nemo ſui prorſus iuris & omnis imperÿ immunis eſt: quid mali habet res, ſi cordata mulier ætate minoris mariti iuuenis gubernet vitam: vtilis quia prudentia eum ſuperat, ſuauis autem & grata amando futura?*

Amori repugnare difficile.

*Amori autem non iræ, (vt ait Heracletus) repugnare difficile eſt: qui quod cupit, vel vita vel pecunia vel fama redimit.*

*Tum pater:* Nónne, *inquit, abſurdum & hoc ſit, cùm amicitiæ quatuor ſint genera, ſicut antiqui diſtinxerunt, primum naturale, ſecundum cognationis, tertiũ ſocietatis, quartũ amoris, & quoduis reliquorum habeat Deũ aliquẽ ſibi præfectum, ſiue* Amicitiæ *patronum, ſiue Hoſpitalẽ, ſiue Gentilem aut* Paternum*: ſolũ quartum quaſi impium abſq; procuratore relinquatur? cum quidem plurimum curæ & gubernationis deſideret.*



Amatori⁹ furor.

*Furorẽ autem amatoriũ, vbi is hominẽ rectè inuaſit atque inflammauit, nõ Muſa aliqua, nõ demulcens incantatio, nõ loci mutatio compeſcit. Sed & præſentes amãt, & abſentes deſiderant, & interdiu ſectãtur, & noctu ad fores excubant, & ſobrÿ vocant, & bibẽtes canunt. Et non, vt quidã dixit, viſa poëtarũ ob efficacitatem ſomnia ſunt vigilantium: ſed de viſis amantium eſt verum, loquuntur tanquã ad præſentes, ſalutant, incuſant.*

Amatorũ deſiderium.

Amantiũ curæ & labores.

Multi *concubitus ſocios paßi ſunt eſſe alios, non cum ſcortis modò, ſed etiam vxores ÿs ſuas proſtituentes, vt* Gabbas *ille* Romanus*, qui cùm Mæcenatem excepiſſet, & eum nutibus videret ad ſuam vxorem alludere, ſenſim capite inclinato ſomnum ſimulauit, cùm autem interim ſeruorum quidam ad menſam acceßiſſet extrinſecus, ac vinum ſuffuraretur, apertis oculis, Perdite, inquit, an neſcis me ſoli dormire Mæcenati. Hoc quidem indignum eſt facinus fortaſſe: & erat quoque* Gabbas *ſannio.*

*Eſt verò apud Muſas non indigna quæ commemoretur Sappho. Nam* Romani *quidem* Cacum Vulcani F. *aiunt ignem & flammas ex ore euomuiſſe, ipſa autem verè igni mixta loquitur, & per carmina calorem corde conceptum emittit, ſuaue ſonantibus Muſis amori medicans ſuo.*

*Fortaßis enim, amice, reliqua etiam omnia, quæ ſenſu nullo percipiuntur, alia per fabulas, alia legibus, alia denique ratione principio fidem inuenerũt, certè vt de Dijs hanc conciperemus, quæ obtinet, opinionem, omnino autores nobis ducéſque poëtæ fuerunt & legum latores: adde his tertio loco philoſophos. Omnes hoc vno dicunt ore, eſſe Deos, de numero eorũ, ordine, natura, & poteſtate maximæ ſunt inter ipſos diſſenſiones. Quos enim philoſophi agnoſcunt, ij morborum ſenij, laborúmque expertes perhibentur.*

Philoſophorũ Dij quales.

*Ægyptij eodẽ quo* Græci *modo duos faciũt cupidines, vulgarem vnũ, (qui* Pandemos *eſt) alterũ cœleſtem, tertiũ autem cenſent eſſe Solẽ.* Venerẽ *valde venerantur. Nos autẽ videmus magnam eſſe* Cupidinis *cũ Sole ſimilitudinẽ.*

*Vt autẽ Sol per nubes & caliginem calidiores radios mittit, ſic amor poſt iras & obtrectationem reconciliato amaſio ſuauior fit, & acrior. Et ſicut Solem accẽdi extinguique putant nonnulli: ſic etiam de amore tanquam mortali & inſtabili cogitant.*

Cupidinis cũ Sole ſimilitudo magna.

*Non enim idem cum anima eſt corpus, ſed ab ea diuerſum: ſicut* Sol *etiam oculis, amor ſola mente cernitur. Quòd ſi non videatur dictũ hoc acerbiùs, contraria pronunciauero eſſe Solis & Amoris effecta.*

*Atqui formam virtutis eſſe florem dicunt*



*abſurdum verò dictu eſt, mulieres non florere, neque indolem ad virtutem aptam oſtendere. Rectè quidem Aeſchylus ſcripſit,*

Flagrãs mulieris oculus adoleſcẽtulæ
Me neutiquam latebit, expertæ virũ.

Mulieris formã ingeniũ aperire.

*Ergo in forma mulieris ingenij procacis, impudici, & corrupti indicia extant, modeſti & pudici nullum lumen effugerit?*

*Cui verò coniugio Amor adſpirauerit, primùm tanquam è Platonica ciuitate eijcit voces Meum, Tuum, non enim ſimpliciter communia amicorum ſed corporibus tantum definientes animas vi conducunt & colliquant. Deinde mutua reuerentia, qua maximè opus habet coniugium. Nam externa illa, legum neceßitate magis quàm voluntate conſtricta, ob pudorem & metum,*

Cõiugiũ voces Meum & Tuũ eiicere.

Permulta fræna, multáque guberna-
cula deſiderat.

*Amori tantum adeſt continentiæ, modeſtiæ, fidelitatis, vt etiam ſi libidinoſam attigerit animam, eam ab alijs amoribus auertat ferociáque & proteruitate excißis verecundiã, taciturnitatem, tranquillitatẽ, modeſtiámque conciliet, vniq; amatori faciat morigeram.*

*Inaudiuiſtis haud dubiè quid Laidi obtigerit. Nobilis illa, & tam multis amata viris, quæ ſui deſiderio Græciam inflãmauit, atque adeò de qua duo maria certauerunt: poſtquam*

Lais multis amata viris.

*Lais lapidibus in tẽplo Veneris obruta.*

*eam Hippolochi Theſſali amor inuaſit, Acrocorintho, qui viridi (vt ille ait) vnda alluitur, deſerto, magnũ aliorum amatorum clàm ſubterfugiens exercitum, modeſtè ad eum cõceſsit, ibi verò eam mulieres inuidia pulchritudinis & æmulatione impulſæ in templum Veneris adductam lapidibus obruerunt: vnde vt probabile eſt, hodiéque Veneris homicidæ templum dicitur.*

*Amoris erga maritum hiſtoria.*

*Mulier autem ingenua, vi amoris cum ſuo contẽperata marito, amplexus vrſarũ & draconũ potiùs ſuſtinebit, quàm cõtrectationẽ & concubitũ alieni viri. Cuius rei cum abundè exemplorũ ſit, apud vos Cupidinis populares atq; cultores tamen par eſt Cammæ Galaticæ mulieris facinus referre. Hæc cùm eſſet forma venuſtiſsima, vxor Sinati Galatiæ reguli, adamata fuit à Synorige Galatarum potentiſsimo, qui cùm marito viuẽte, neque perſua-*
» *ſurum ſe mulieri adulteriũ, neque vim inferre*
» *poſſe videret, Sinatum interfecit. Erat Cam-*
» *mæ refugium & ſolamen calamitatis, ſacer-*
» *dotium Dianæ auitum, in cuius æde plerunq;*
» *commorabatur, neminem admittens quanquã*
» *multi ipſam & potentes ambirent: Cum au-*
» *tem Synorix auſus eſſet eam de nuptijs appel-*
» *lare, non ſubterfugit, neque facinus eius cul-*
» *pauit, ad quod ſcilicet non alia prauitas, ſed*
*amor ipſius & deſiderium impuliſſet. Ergo*



*Synorix homicida veneno necatus.*

*Synorix fidens Cammæ, venit eam in matrimoniũ petitũ. Occurrit mulier, dataq; dextra ad aram Dianæ hominem adduxit. Ibi cùm de mulſo, quod veneno infecerat, è patera libauiſſet, dimidium ipſa ebibit, reliquúmque Synorigi ebibendum propinauit: poſtquam ebibiſſe vidit, altè ſublato eiulatu, nomine maritum inuocans. Hanc ego, inquit, diem præſtolans adhuc ſine te Synate cariſsime, vitã acerbam toleraui: nunc verò lætus me accipe, vltã tui gratia ſceleſtiſsimum virum, vtq; tibi vitæ, ita huic mortis ſociam perlibenter factã. Ac Synorix equidem lectica vectus, paulo pòſt viuendi finẽ fecit: Cammã ferũt diẽ illã noctẽq; ſuperuixiſſe, valdeq; alacrẽ & hilarẽ deceſsiſſe.*

*Itaque qui corpus ſuum libenter proſtituunt, eos omnium deterrimos cenſemus, nullámque ijs fidem, nullam reuerentiam, nullum amicitiæ vſum tribuimus: ſed verè, vt eſt apud Sophoclem:*

Tales amicos quiſquis amittit, ſolet
Gaudere: quique habent cupiunt amittere.

*qui verò non mala indole præditi decepti aut vim paſsi ſunt, neminem hominũ magis oderunt quàm autores ſceleris, eóſque ſemper ſuſpectos & inuiſos habent, ac oblata occaſione iniuriam grauiter vlciſcuntur.*

*Solonem peritiſſimum fuiſſe coniugialium legum conditorem, qui ter minimùm quouis menſe maritum cum vxore coire iuſſit, non ſanè voluptatis cauſa: ſed ſicut ciuitates inter ſe ſe fœdera temporis aliquo interuallo renouant: ita volens amicitiam matrimonij ſubinde hac ratione inſtaurari.*

Amare in coniugio maius eſt bonũ quã amari.

*Etenim in coniugio amare quàm amari maius eſt bonum: vtpote abolens multa, immò omnia delicta, quæ matrimonium corrũpunt atque diſſipant.*

Cõiugialis amoris exemplũ.

*Vnum ego referam, quod mea ætate, imperante Veſpaſiano, accidit. Iulius qui in Gallia defectionis autor fuit, cùm alios multos habuit, vt fieri ſolet, ſui conatus ſocios, tum Sabinum quoque, hominem non degenerẽ, & qui diuitiis gloriáque omnes alios facilè vinceret. Hi rebus arduis tentatis, ſucceſſu caruerunt, cúmque ſupplicia ſe daturos præſentirent, partim ſeipſos è vita eduxerunt, partim in fuga capti ſunt. Sabino autem cæteróqui facilè licebat fuga ad barbaros facta ſaluti ſuæ conſulere. Sed vxorem duxerat optimam, nomine Emponã Grecè Heroidem diceres. Hanc cùm neque ducere ſecum poſſet, neque deſerere ſuſtineret: & ruri haberet ſub terra effoſſas cameras, in quas reponi res vtiles poſſent, duobus tantùm notas libertis reliquos famulos omnes dimiſit, ſe veneno ſibi mortem conſciturum ſi-*



*mulans, duos quos fideles norat, adſumpſit, & in ſpecus iſtas ſubterraneas deſcendit, miſſo ad vxorem liberto Martiale, qui patronum veneno extinctum, & caſam villæ cum eo concrematam eſſe renunciaret. Volebat enim luctu vxoris fidem facere ſui, quem fingebat, interitus. Idque etiam euenit. Nam ea vt erat accepto nuncio, lamentans & eiulans in terrã proiecit ſeſe, tréſque dies, ac totidem noctes ſine cibo ita exegit. Quod vbi reſciuit Sabinus, metuens ne ſe prorſus vita exſolueret: occultè Martialem ei ſignificare iuſſit, viuere ſe etiãnum, & occultari, rogare autem vt adhuc aliquantulum in lugendo perſeueret, accuratéque mariti interitum diſſimulet. Tragœdiam huius calamitatis vxor artificiosè admodũ egit: tamen noctu deſiderio viſendi ad maritũ ventitauit, nemine obſeruante, & tantùm non apud inferos cum eo conſueuit. Exactis ſeptem menſibus, facta ſpe impetrandæ veniæ, veſte, tonſura, & capitis redimiculo ignotum redditum obiis Romam perduxit. Sed re infecta, in ſuam is ſpecum redijt, ipſáque cum eo maiorem temporis partem ſub terra exigens, interdum Romam iuit, amicis & neceſſariis mulieribus ſe viſendam præbens. Et quod creditu difficillimum eſt, cum ijs lauans fefellit, vterum gerens. Nam medicamentum, quo mulieres comam inungentes faciunt auri in morem ruti-*

» *lam & fuluam, pinguedinem habet, qua ca-*
» *ro ſiue fit grandior ſiue rareſcit, itáque diffun-*
» *ditur quaſi, & maior fit eius moles, hoc illa*
» *in cæteris membris vſa affatim, attollens ſe vt*
» *turgidum celauit ventris onus. Partus verò*
» *dolores ipſa ſola pertulit leanæ in morem, ad*
» *maritum in foueã ſeſe abdens: natóſque duos,*
» *vt ſic loquar, catulos educauit, peperit enim fi-*
» *lios duos, quorum alter in Ægypto occubuit,*
» *alter nuper admodum Delphis nobiſcum fuit,*
» *nomine Sabinus. Ipſam Cæsar interfecit: ſed*
» *cædis pœnas dedit, exiguo temporis ſpacio to-*
» *ta ſtirpe ipſius funditus interempta.* Nullam
» *enim rem hoc facto triſtiorem iſtud tulit im-*
» *perium; neque fuit cur vllius rei adſpectum*
*magis & Dij & Genij auerſaretur. Miſera-*
*tionem quidem ſpectantibus ipſa exemit ma-*
*gnanimitate ſua & grandiloquentia, quibus*
*maximè irritauit Veſpaſianum, deſperata*
*enim ſalute, mortem ſuam commutationem*
*vocauit, dixitque ſuauiùs ſibi fuiſſe in tene-*
*bris & ſub terra viuere, quàm ipſum videre*
*imperio potiri.*

Mulieris magnanimitas & grãdiloquẽtia.



# Ex Plutarchi Commentario qui, De facie quæ in orbe Lunæ apparet, inſcribitur.

V*Ides nimirũ ſtatim, quàm abſurdè quidã dixerit formam quæ in Luna cernitur, affectionem eſſe viſus, præ imbecillitate ſplendori cedentis, quod cæcutire dicimus.*

Nõ *enim animaduertit ille, id potius debuiſſe accidere in Solem intuentibus, qui acris & vehemens nobis offertur, ſicut etiam Empedocles non inuenuſtè diſcrimen indicauit:*

Sol radiis acer, lumen Lunæque
benignum.

C*ogita ergo, quot Lunis terra æqualis ſit, ſi eius vmbra, quã eſt minima, tres lunas æquat, & tamen de Luna vos ſoliciti eſtis ne cadat: de terra fortaſſe Æſchylus vobis perſuaſit de Atlante ſic ſcribens:*

Lunæ cũ terra comparatio.

Terram polúmque ſtat ille columna fulciens,
Humeríſque pondus ingens ſuſtinet ſuis.

*Nã Vniuerſum quidẽ infinitũ eſt: infinito,*

neque principium neque finem cùm habeat, nõ conuenit habere medium, nam ipſum quoque centrum extremitas quædã ſiue terminus eſt: infinitas priuatio terminorũ eſt. Qui autẽ non Vniuerſi ſed mundi medium putat terrã, facetus eſt, ſi non cenſet mundũ eadem teneri infinitate, nam ne huic quidem medium eſt ab Vniuerſo relictũ: cùm lare & fundamento carens in infinito feratur inani ad nihil quod naturæ ipſius ſit accommodatum: aut ſi ſubſiſtat, aliam manendi cauſam inuenerit quàm loci naturam.

Omnino verò, inquit ille, mi Ariſtoteles, terra quatenus eſt, res pulcerrima, admiranda, & probè ornata videtur eſſe Luna ſiu vt aſtrum eam, lumenq́; aut corpus diuinũ ac cœleſte conſideras, metuo ne deformis, atque turpis ſit, & pulchram appellationem dedecoret.

Probabile eſt ergo Lunã non vitri aut cryſtalli in morem illuminari, Sole eam ſuo perlucente & illuſtrante lumine: neque rurſus quadam fulgoris & luminis coitione, vt cum faces lumine augentur.

Quòd cùm omnis reflexio fiat ad æqualem angulum, cùm Luna dimidiata mediũ cœli tenet, lumen ab ea non fertur in terram, ſed ad latus eius delabitur.

Reflexionis lex de ſpeculis.

Sol enim in horizonte conſtitutus, radiis ſuis lunam tangit, itaque is fractus ad æquales angulos in alterum relidetur extremũ, neque huc ſplendorem dimittit alioqui oportet magnam diuerſitatem anguli fieri, quod eſt nefas.



Omnem ergo reflexionem tendere ad æquales angulos, neque ſenſui apparet neceſſe eſſe, neque in confeſſo eſt.

In ſpeculis curuis res maiores quàm ſint apparere.

Sed primum in curuis ſpeculis hæc poſitio improbatur, cùm res maiores quàm ſunt videntur, reflectione facta ad vnum viſus punctũ. Fallit deinde etiam in duplicibus ſpeculis, cùm duobus inter ſe conſertis ad angulum, vtráque ſuperficies duplæ ſpeciẽ reddit, fiuntq́; quatuor imagines ab vna facie, duæ exterioribus aduerſæ, obſcurè dextras partes in profundo ſpeculorum ſiniſtrorſum repræſentantes.

Noctem eſſe terræ vmbram.

Id verò conſtat, noctem terræ eſſe vmbram, & defectus Solis Lunæ vmbram eſſe, quando viſus noſter in eam incidit. Nã Solẽ, poſtquã occidit, videre ne poſſimus, terra interpoſita luminibus noſtris officit: cùm deficit, Luna noſtro viſui aditum obſtruit. Horum vtrunque obſcuratio eſt: ſed occiduam terra: defectũ Luna facit viſum interuertendo. Ex iis autem quid cõſequatur facilè poteſt intelligi. Si enim ſimilia ſunt effecta, ſimiles etiam ſunt cauſæ ea efficientes.

Luna cur ſæpi⁹ quã Sol deficiat.

Ariſtoteles vero antiquus ille cur Luna ſæpius quàm Sol deficere videatur: cauſam inter alias etiam hanc poſuit: quod Sol Lunæ

interiectu obſcuratur, Luna terræ.

Videmus enim ignem ex umbroſo loco magis effulgere ac lucere ob craſſiciẽ aëris caliginoſi, qui ſplendorem diffluere & diſſipari non ſinit, ſed eius ſubſtantiam continet atque cohibet, ſiue ea ſenſus eſt affectio, quo modo calida frigidis adpoſita calidiora, & voluptates iuxta dolores fiunt vehementiores: ita ſplendida ponè tenebroſa magis fulgeant, ob diuerſas adfectiones in contrarias partes intenta imaginatione.

Si ſub veſperã Luna deficit, horribiliter nigra apparet vſque ad horã tertiã & ſupra ſemiſſem horæ. Si media nocte, tunc iſtum puniceum & igneum colorem edit: à ſeptima hora & ſemiſſe rubor oſtenditur: verſus auroram iam cæruleum trucémque vultũ ſumit, à quo eam potiſſimùm poëtæ & Empedocles glaucopin, id eſt cæſiam appellant.

Præterea Solis lumẽ ad nos defertur per aërem turbidum, atque in nos infligit calorem exhalationibus nutritũ, iſthic autẽ tenuis eſt aër & pellucidus, diffunditque & diſſipat ſplendorem nullo fomite, nullo corpore ſuſtentatum.

Lunã plurimũ iuris in vitã noſtrã habere.

Ac dixit de ijs qui in Deorum habentur numero, præcipuam venerationem Lunæ deberi, vt quæ plurimum iuris in vitam noſtram haberet: neque vt eam ſtudioſiùs quàm alia numina colerem, hortatus eſt.



Omnis anima, ſiue prædita ſiue carẽs mente, vbi primum è corpore exijt, fati lege ad tempus vagatur ea in regione quæ terram & Lunam interiacet, Verum non idem eſt tempus præſcriptũ, Impiæ enim & intemperantes pœnas flagitiorum luunt, piæ certũ tempus, quãtum ad luſtrandum, & corporis vt pote malæ cauſæ pollutiones abolendum ſufficit, in aëris puriſſima parte degũt, quam prata Ditis appellant. Deinde veluti ab exſulio in patriam reductæ, gaudium deguſtant, quale maximè percipiunt qui ſacris initiantur, trepidatione ac ſuaui ſpe permixtum.

Parcæ.

Luna & accipit, & dat, & componit, & diuidit alia atque alia facultate. Lucina, cùm cõponit: Diana cùm diuidit dicta. Et de tribus Parcis Atropos circa Solem collocata, initium ortus præbet: Clotho circa Lunam vecta colligat & miſcet: vltima Lachæſis terram contingit, eique plurimum fortunæ eſt admixtum. Quod enim animæ eſt expers, id ſui iuris non eſt, ſed alteri ſe afficiendũ præbet: mens imperium obtinet, neque aliunde afficitur, mixtum eſt quidpiam & medium anima, Sicut Luna etiam ex ſuperis & inferis mixta eſt à Deo, hanc ad Solem habens rationem, quam terra ad Lunam.

Quod eſt animæ expers nõ eſt ſui iuris.

# Ex Plutarchi commentario qui, Cur nunc Pythia non reddat oracula carmine, inſcribitur.

Crœſus ab ancilla liberatus.

ID verò non commemoras, aiebat interpretum alter, quòd Crœſus hic etiam ancillæ ſuæ panem pinſentis auream ſtatuam poſuit? non quidem ille per luxuriam inſultans templo, ſed cauſam nactus iuſtam atque honeſtam. Traditum enim Alyatten Crœſi patrem inducta filio nouerca alios ſuſtuliſſe liberos: nouercam Crœſo inſidiantem, venenum piſtrici dediſſe, ac iuſſiſſe vt panem ex eo effectum Crœſo daret, eam re clanculum Crœſo indicata, panem nouercæ pueris iſtum appoſuiſſe, itaque Crœſum regno potitum, veluti teſte Deo gratiam bonam mulieri retuliſſe, laudabili ſanè inſtituto.

Deo non eſſe reſiſtẽdũ nequerepugnandũ.

Non enim Deo repugnandum eſt, neque ſimul cum vaticinio prouidentia & numen tolli debent: ſed quærendæ ſunt eorum quæ aduerſari videntur ſolutiones, interim pia à maioribus noſtris propagata perſuaſio nõ eſt prodenda. Rectè dicis, inquam ego, optime Serapio, Nam philoſophiam quoque non ideò pro deplorata habemus prorſus aut corrupta, quia antiquitus carmine ſuas ſententias philoſophi preferebant, vt Orpheus, Heſiodus, Parmenides, Xenophanes, Empedocles, Thales: poſtea verò deſierunt verſibus vti, te dempto, cuius opera rurſum in philoſophiam poëtica ſe ingerit, adoleſcentibus claſicum ingenuè canens.



Non enim inquam eſt aut abſurdum, cauſas quærere huiuſmodi mutationum: iniuſtum verò eſt artes ipſas & facultates abolere, ſi quid in ijs mutatum ſit. Sub hæc Theo. Atqui iſthæc, inquit, magnas reuera mutationes & innouationes paſſa ſunt: oracula multa etiã dudum proſa oratione ſunt edita, ac de rebus ea haud leuibus.

Hercules mulierũ oſor.

Eſt in Phocide templum Herculis mulierum oſoris, & ſtatutum vt ſacerdos toto anno mulieribus ſe abſtineat, itáque ferè ſenibus id ſacerdotium cõmittitur. Tamen paulo ante tempore adoleſcens non malus, & liberali ingenio, id minus accepit puellam quandam tum amans. Is cùm ab initio continens ſuique potens amaſiam fugeret, quodam tempore eam, cum ad ipſum quieti poſt conuiuium & choreas deditum irrueret, confecit. Metuens ergo ſibi & turbatus, ad oraculum confugit quæſiuitque an aliqua ſui peccati eſſet expiatio:

Deũ oĩa neceſſaria cõcedere.

*hócque illi datum eſt oraculum: Omnia neceſſaria concedit Deus.*

Animum corpore vti vt inſtrumento.

*In præſentia paucis hæc in memoriam reuocemus, quòd corpus inſtrumẽtis vtitur multis, corpore & eius membris animus, qui eſt inſtrumentum Dei.*

*Teſtem habeo etiam hic Homerum, qui cùm nihil ferè effici ſine Deo ſcribat, tamen non facit Deum omnibus ad omnia vtentem, ſed quolibet ad id, quod eius arti aut facultati congrueret.*

Deũ coruis ad aliquid ſignificandum vti.

*Sed nos Deum credimus erodijs, trochilis, & coruis vti, vt earum auium voce aliquid ſignificet, hoc poſtulamus, vt quia Deorum nuncij & præcones ſunt, diſerto omnia ſermone enarrent: Pythiæ vocem & loquelam, tanquam è ſcena volumus non inconditam, non ſimplicem ſed cum numero, faſtu, figmentis, nominum translationibus, & tibiæ cantu nobis offerri.*

Oratio monetæ ſimilis.

*Vſus enim ſermonis, ſimilis videtur eſſe mutationi nomiſmatis: quorum vtrunque aliud alio tempore valens tum probatur cùm notum eſt & vſitatũ. Ac fuit ſanè tempus, cùm pro nomiſmate ſermonis homines vterentur metris, carminibus, cantilenis, omnem hiſtoriam, omnem philoſophiam, omnes denique euentus & res grauiorem requirentes orationem, ad poëticam & muſicam applicantes. Non enim*



*vix tantùm pauci intelligunt, quæ tunc omnes percipiebant gaudebántque ea cùm cantarentur opiliones, aratores & aucupes, vt Pindarus ait: ſed ob illius ætatis ad poëſim facilitatem plerique lyra & carmine caſtigabant aliorum mores, liberè loquebantur, hortabantur, fabulis & prouerbijs vtebantur: quin & laudes Deorum, vota, pæanes verſibus & carmini includebãt, alij ob vim ingenij, alij propter conſuetudinem.*

*Non itaque miror, ſi veteribus interdum opus fuit ambiguitate, circuitione, & obſcuritate quadam. Neque enim priuatus aliquis profectò de emendo mancipio oraculum conſulebat, aut de conducendo opere: ſed ciuitates admodum potentes, regéſque & tyranni nihil moderatum cogitantes Deum interrogabant de rebus: quos irritare multa reſpondendò eorum voluntatibus aduerſa, non erat ex vſu eorum qui oraculum procurabant.*

*Porrò autem nulla maior orationi à poëtica vtilitas conciliatur, quàm quod numeris illigata & comprehenſa faciliùs memoria tenentur ac ſeruantur.*

# Ex Plutarchi libro, Aduerſus Colotem.

Platonē irratū punire noluiſſe.

*ATqui, aiebat Ariſtodemus, meminiſti Platonē, cùm puero iraſceretur, nō ipſum verbera ingeßiſſe, ſed hoc Speuſippo mandauiſſe, quod ſe animo commoto eſſe diceret.*

*Propterea quod quidam ruſticitate & ſcurrilitate atque petulantia nimia elatus, fenum Socrati edendum obtulit, loco panis, cum nihil hic ſe certo ſcire pronunciaret: interrogauitque cur cibum non in aurem ſed in os imponeret. Sed fortaßis hæc riſum alicui concitent, manſuetudinem & comitatem Socratis conſideranti.*

Bene viuere quid

*Etenim vitā quidē nobis parentes Deorū auxilio largiti ſunt, à philoſophis autem iuris & legū adiutricē doctrinā, & quæ cupiditates coërceat accipientes, bene nos viuere putamus, eſt autem bene viuere, amice & ſocietati hominū cōuenienter, tēperenterq; & iuſtè viuere.*

*Quid enim dicit Democritus? ſubſtantias multitudine infinita, diuiſionis & differētiæ, qualitatis quoq; & affectionis expertes in vacuo ferri diſperſas, quæ ſi inuicē appropinquēt,*



*aut incidant, aut ſeſe complectentur, congeriem videri aliam ignem, aliam aquā, aliā plantam, aliam hominem, eſſe autē omnes atomos, quas ideas ſeu formas ipſe appellet, aliud nihil. Nā ex eo quod nō eſt, nihil fieri, ex iis quæ ſunt nihil naſci, cùm ob ſoliditatem neque adfici poſſunt atomi, neque mutari, vnde neque color ex carentibus colore, neque natura aut anima è qualitate nulla præditis omnémque affectionem ſubterfugientibus exſiſtat.*

*Quid ergo aliud fecit Empedocles, docens naturam nihil eſſe ab eo quod naſcitur diuerſum, neque mortem à moriente.*

Ideas Platonicas.

*Ideas autem Platonicas Ariſtoteles vbiq; inceſſens dictis, in moralibus, in naturalibus commentarijs, ijs quæ exotericæ ſeu extraneæ vocantur diſputationibus, viſus eſt quibuſdā maiore contendendi quàm ſapientiæ ſtudio id feciſſe: vt qui ſibi propoſuiſſet philoſophiam Platonis contemnere, tantum abeſt vt eū fuerit ſecutus.*

*Sed Socratem aliter locutum, aliter vixiſſe, mirum in modum tibi teſtimonium perhibent res geſtæ ad Delium, ad Potideam apud triginta viros, ad Archelaum, ad populum, paupertas, mors, ſcilicet enim hæc eius ſermonibus indigna ſunt. Hoc, ineptè, Socratem aliter locutum aliter egiſſe poterat conuincere, ſi fine vitæ poſito voluptate vitam, qualem egit,*

egiſſet. Hæc ad calumnias reſponſa ſint.

Heracletus quidē tāquā re magna & preclarè geſta, Quæſiui, inquit, meipſum. Nā inter ea quæ Delphis ſcripta ſunt, maximè diuinum illud creditum eſt, Noris teipſum, idque huius dubitationis & inquiſitionis Socrati anſam dedit, vt ait in Platonicis Ariſtoteles. Itaque nouimus philoſophorum haud paucos malè hoc ponere, nullum eſſe viſum verum, quàm omnia eſſe vera, magíſque diffidentes omnibus in quos incidāt hominibus, rebus, ac ſermonibus, quàm vnum vt putent verum viſum de his, quæ rabioſis Corybanteo furore exagitatis, aut ſomniantibus accidunt.

Sui cognitio.

Deus quidem, vt & antiquitus traditum eſt, principium, medium, finémque tenens omnium rerum, rectam lineam conficit ſecundum naturam incedēs. Hunc ſequitur Iuſtitia, vindex eorum qui à diuina deſciſcunt lege. Hæc enim qui tanquam fabulas contemnunt, & circa ventrem fælicitati locum ſtatuunt, reliquíſq; voluptati parandæ ſeruientibus laboribus: ijs lege opus eſt, metu, verbere, ac rege vel principe ius in manibus habente, ne proximum quiſque quenque deuoret præ gulæ ſtudio impietate effe rato. Talis quippe brutorum eſt vita, quæ nihil pulchrius voluptate norūt, neque iuſtitiā Deorum agnoſcunt, neque pulchritudinem virtutis venerantur: ſed ſi quid ijs à natura calliditatis

Epicuri decreta damnoſa.



audaciæ, virium ineſt, eo ad carnis voluptatem & ſatisfaciendum concupiſcentiæ vtuntur.

Nam itaque neceſſe porrò eſt Græcos ſeruare aut coronam ab iis ob ſapientiam reportare: ſed edendum eſt & bibendū, ô Timocrates, quantum carni gratum & innoxium eſt. Atqui in legum conſtitutione, quam Colotes laudat, primum eſt & maximum, de Diis opinio, quamobrem & Lycurgus Lacedomonios, & Numa Romanos, & Ion antiquus Athenienſes & Deucalio Græcos ferè vniuerſos Diis cōſecrauerunt, votis, ſacramentis, vaticiniis, omnibúſque eos ob ſpem ac metum diis deditos obnoxióſque reddentes.

Religio antiquorum.

Sed facilius vrbem condi ſine ſolo poſſe puto, quàm opinione de Diis penitus ſublata ciuitatem coire aut conſtare.

Ciuitates non poſſe conſtare, opinione de Diis omnino ſublata.

Socrates damnatus, cùm ei effugiendi oportunitatem amici paraſſent, legum confirmandarū cauſa non eſt ea vſus: maluítque iniuſtè mori, quàm contra leges euadere.

Zeno Parmenidis diſcipulus Demylo tyranno inſidiatus, re infeliciter geſta, doctrinam Parmenidis velut aurū in igne illæſam ac probam facto oſtendit, ſcilicet turpitudinem magno viro metuendam eſſe: dolorem à pueris & mulierculis, ac viris animum mulibrem gerentibus timeri. Linguam enim ſuam dentibus amputatam in tyrannum expuit. Ex Epicuri

*autem decretis non dicam quis tyrannicida, quis eximiam rebus agendis laudem meritus, quis legumlator, quis princeps, quis regis conſiliarius, quis populi tutor exſtitit, quis pro iuſtitia tortus, quis mortuus eſt? Sed quiſnam ſapientum iſtorũ propter patriam nauigauit, legationem obijt, ſumptus fecit? vbi ciuilis vlla veſtrûm alicuius actio ſcripta extat.*

*Ciuiles autem viros deridentes, gloriámque eorum obruentes, ſolis verbis Epaminundam aliquid aiunt habuiſſe, idque perexiguum, ipſum vero ferream viſcus appellantes, quærũt quid acciderit, vt per mediam iter faceret Peloponneſum, nõ pileolo ſumpto domi deſideret, nimirum totius ventri curando intentus.*

## Ex Plutarchi libro, De cõmunibus noticiis aduerſus Stoicos.

Stoicorũ ſapientẽ non gaudere de malo optimũ factũ eſſe.

*ENimuerò hoc etiã communibus repugnat notionibus, homo qui ſit, eum non gaudere ſi è maximis malis in ſumma bona perueniat. Atqui hoc accidit Stoico ſapiẽti. Nã è ſumma vitioſitate in ſummam mutatus virtutem, ſimúlque & miſerrima liberatus vita, & beatiſsimam adeptus, nullum præ ſe fert gaudium, neque animum eius erigit aut mouet tãta mutatio, omni infœlicitate & vitio ſolutum,*



*inq; certo & tuto omnium bonorum cumulo conſtitutum, eóque perfectiſsimo.*

*Neque hæc ſolum Stoici dicunt, ſed hoc præterea, temporis acceſsione bonum non augeri, nam ſi quis momento horæ ſapiens fuerit, quod ad felicitatem attinet nihilo deteriore conditione futurum quàm eum, qui per omnem ætatem virtutem coluerit, inque ea beatè vitam exegerit.*

Canẽ regnare & regem appellari.

*Gentem aiũt eſſe Aethiopum, vbi canis regnet, rexq; appelletur, & ſacris ac honoribus colatur regiis: viri autem obeant principum & magiſtratuum munia.*

Ordo rerũ à Chriſippo mutatus.

*Nam cùm in natura ſint bona, mala, & neutra ſiue indifferentia: nemo hominum eſt, qui non malit bonum habere, quàm indifferẽs aut malum. Sed & Deos in teſtimonium vocamus, votis ab ijs petentes priore quidem loco poſſeſsionem bonorum, poſteriore malorũ fugam: id quod neque bonum eſt neque malũ, loco boni nolentes habere, loco mali volentes. At ille Chryſippus ordinem inuertens, ipſamq; mutans naturam, ex vltimo loco medium in extremum collocat, extremo in medium traducto: ſic vt tyranni ſolent priorem in conſeſſu locum malis tribuere, ac lege lata iubet primò ſectari bona, deinde mala poſtremò id deterrimum iudicare, quod neque bonum ſit neque malum.*

Virtutem ſine vitio exiſtere nō poſſe.

*Enimuero chorus conciuere poteſt, nemine vitioſè canente: & corpus ſanū, nullo mēbro ægrotante: virtus autē abſque vitio exiſtere nequit.*

*At vitiis repleta ſunt omnia, totáque vita ſtatim à primordio, fabulæ vſque ad coronidem decorum non ſeruans, aberrans à recto curſu, conturbata, nullam partem habens puram, aut repræhenſionis immunem, vt ipſi dicunt, omnium eſt dramatum turpiſſimum & iucundiſſimum.*

Malū propter prudentiam non eſſe ponēdū

*Initio igitur ſtultum eſt opinari prudentiæ cauſa bona & mala exiſtere. Extantibus enim iam bonis & malis ſuperuenit prudentia: ſicut medicina, ſalubribus iam & inſalubribus ſubiectis.*

*Qui Spartæ Phiditiis præerant, vnum aut tres hilotas meri plenos & ebrios producebant, vt adoleſcentibus demonſtrato quid rei eſſet ebrietas, ad temperantiam ſeruandam eos condocefacerent. In vita autem plurima ſunt huius rei exempla, nemo enim ad virtutem ſobriè ſe confert, ſed vagamur omnes, turpiter agentes & miſerè viuentes, ita ratio nos inebriat, adeóque conturbat & dementat, ſimileſq; ſumus canum Aeſopi, quæ cùm in mari natare quaſdā viderent pelles, conatæ ſunt illud ebibere, priuſque crepuerunt quàm pelles appræhenderent.*

*Dic ſapientē nulla re opus habere, nullius indigere, ille fortunatus eſt, ille nullius rei indi-*



*gus, ſibi ſufficiens, beatus, perfectus.*

Qualis oratio talis actio.

*Sed qualis oratio, talis etiam fuit vita iſtorū virorum, actiones ſuas dictis ſuis congruentes & concinnentes exhibentium.*

*Equidem de duobus bonis, quorum alterum finis ſit, alterum ad finem pertineat, finem eſſe potius & perfectius bonum, nemo ignorat.*

Nihil quid.

*Agè nūc, ſi interrogēt cuncti homines quidnā ſit Nihilū & quomodo eius notionē percipiāt: nónne reſpondebūt hoc nihil eſſe, quod neq; cauſa eſt, neq; cauſā habet, neq; totū eſt, neq; pars, neq; perfectū neq; imperfectū, neque animatū neq; nō animatū, neq; corporeū neq; incorporeū? hoc, & non aliud quippiā definiens eſſe Nihil.*

*Certe qui athei appellantur quòd negarēt eſſe Deos Theodorus, Diagoras, Hippo: non auſi ſunt dicere Deū eſſe interitui obnoxiū, ſed non crediderunt aliquid eſſe ab interitu immune, ac talem aliquam naturam eſſe poſſe negātes, notitiam de Deo reliquerunt in medio.*

*Enimuerò tam eſt contra cōmunes notiones, Deum eſſe mortalē, quàm hominē immortalē: immò non video quod ſit futurum Dei & hominis diſcrimen, ſi Deus quoque animal ratione præditum & interitui obnoxium eſt.*

*Equidē nullum animal ita malè eſt compactum, vt ipſo nolente gradiantur pedes, loquatur lingua, feriant cornua, quorum pleraque neceſſe eſt Deum, ſi partes ipſius cùm ſint*

*vitioſi homines, iniuſſu eius mentiuntur, impoſturas exercent, furantur, tædes perpetrant. Sin, quod Chriſippo placet, ne minima quidem particula ſecus habet quam iuxta* Iouis *voluntatem: ſed animatum quoduis ea natura eſt, vt ſic habeat & moueatur, vt* Iuppiter *mouet impellitque. At enim qui non eſt euidens, hominem è pluribus quàm digitum, mundum quàm hominem conſtare partibus, hoc quidem ſciunt & intelligunt omnes, niſi ſi ſtoici fiant: Stoici facti, contrà dicunt atque ſentiunt non eſſe plures hominis quàm digiti, mundi quàm hominis partes.*

Oculi Lyncei.

*Sanè Lynceus ille dicitur viſu per ſaxum & quercum penetraſſe, & quidam in ſpecula Siciliæ ſedens numerauit Carthaginenſium naues è portu enauigantes, diei noctiſque curſu inde diſtantes.* Callicrates *&* Myrmecides *fabricati dicuntur eſſe currus, qui ala muſcæ & tegerentur, & in ſeſamo inſculpſiſſe verſus Homericos.*

» *Xenophanes quidem narrante quodam*
» *vidiſſe ſe anguillas quæ in calida viuerent a-*
» *qua: ergo, reſpōdit, eas in frigida elixabimus.*

*At verò illi Deum quem principium ſtatuunt, corpus aiunt eſſe mente præditum, mētémque in materia verſantem: non ſimplicē eum, neque purum, ſed ex alio & per aliud eſſe pronunciantes.*



# Ex Plutarchi libro, De Genio Socratis.

*SOcratis autem videntur in omni re incitationes ad agendum fuiſſe graues & vehementes, vtpote à recto & ſolido iudicio profectæ. Nam ſponte ſua in paupertate totā vitā exigere, cùm eſſent qui optima cum gratia & voluptate opes dare cuperent: deinde à philoſophando non deſiſtere, tot obiectis impedimētis: denique ſalute ipſi & fuga amicorum opera commodè parta, nullis precibus flecti, neque morti concedere, ſed ad eam obeundam hilari conſtantique ratione pergere: hæc non ſunt hominis qui omnibus aut ſternutationibus de ſententia ſua dimoueretur: ſed qui à maiore quodam præſidio & principio ad virtutem duceretur.*

Socratis grauitas.

*Nam ſi pulcrum eſt amicis benefacere, non eſt turpe ab amicis beneficium accipere. Gratia enim non minus accipiente quàm dante opus habet ab vtriſque perficitur ad pulcritudinem. Qui verò non accipit tanquam pilam rectè obiectam dedecorat, decidentem fruſtra. Quis autem ſcopus eſt, quem tangere ſit iucūdius, aut aberrare moleſtius, quàm ſi quis*

*virũ beneficio dignũ demereri cupit? ſed hoc intereſt, quod qui è ſcopo aberrat, ipſe culpam ſuſtinct: hic qui recuſat beneficium, iniuriam facit gratiæ eò quò tendit peruenire nequeunti.*

*Ergo quemadmodũ ſi rumore allato nos bellò peti nauigaſſes arma nobis & tela præſidio adferens, & huc delatus pacata omnia inueniſſes, non equidẽ putares danda nobis & relinquẽda arma eſſe nihil eorũ indigentibus: ita auxilio quidẽ nobis venire voluiſti aduerſus paupertatem, quòd ab ea nos infeſtari putabas, illã vero nos ferimus facilimè: & cara nobis eſt contubernalis: vt nihil ſit opus pecunia aut armis contra eam, nihil moleſtiæ nobis adferentem. Proinde amicis tuis iſthæc renunciato ipſos diuitijs optimè vti, hic amicos ipſis eſſe qui paupertate recte vtantur.*

Socrati paupertatẽ fuiſſe gratam.

*Nam ſi paupertas moleſta non eſt, viciſsim diuitiæ quoque non ita ſunt infames aut aſpernandæ.*

## Ex Plutarchi Commentario, De Herodoti malignitate.

P*Rimum ſi quis in renarranda aliqua odioſiſsimis nominibus vtitur, cùm in promptu ſint molliora: (vt ſi quis Niciam diuino furore*



*percitum dicat, cùm nimis deditum diuinationi dicere liceat: aut Cleonis ferociam & inſaniã, cum poſsit futilitatẽ.) is non equus eſt, ſed fruitur iam ſuo modo loquẽdi. Deinde ſi quid vitij ineſt aliâs, quod ad hiſtoriã nihil facit: id ſcriptor arripiens & in res nullo vſu admiſcẽs narrationem extendit & per ambages circumducit, vt calamitatem alicuius aut flagitium vel actionem illaudabilem inſerat: ſatis oſtendit ſe maledicendo oblectari.*

*Quartum ergo ſignum pono ingenij in hiſtoria ſcribenda parum æqui, cùm duo aut plures vna de re ſermones feruntur, deteriorem amplecti.*

*Qui verò hiſtoriam ſcribit, debet quæ vera ſunt ſcribere, de incertis meliora videntur rectiùs quàm peiora prodi: & hæc ſunt qui omnino prætermittant.*

*Mox ſententiã fert de pulcerrimo & maximo Græciæ facinore, ſtultè inquiens bellum Troianũ fuiſſe ſuſceptũ propter malã mulierẽ.*

Bellum Troianũ ſtultè fuiſſe ſuſceptum.

*Corcyreorum pueros 300. primarios Periander Corinthi tyrannus ad Alyatten miſit caſtrandos, hos cum in ipſorum inſulam exſcenſionem feciſſent, docuerunt Samij in fano Dianæ ſupplices ſedere, ac placentas è ſeſamo & melle ad edendum proponentes conſeruauerunt.*

*Quinetiam in his ipſis quæ pro Alcmæonidis abs te dicuntur, ſycophantã te eſſe oſtẽdis.*

Neminē ſine crimine viuere.

*Poſtea ſubijciens more ſuo aliquam tergiuerſationem, Ait nihil ſe certi de hac re ſcire, hoc ſcire, neminem ſine crimine viuere, neque Argiuos eſſe omnium deterrimos. Ego autem dicere hoc, inquit, debeo, iſque ſermo valeat in quauis re.*

Leonidas in bellū proficiſcens quid vxori mādauerit.

*Ipſe Leonidas dicenti, Perpaucos tecum ad pugnam educis, Multos verò, inquit, vtpote morituros. Vxori interroganti proficiſcentem ecquid mandaret, conuerſus, Bonis, inquit, nubere, & bonos liberos parere te iubeo.*

*Eſt verò ridiculum non velle pugnare in Hoſtem, niſi cum eo pugnare conſueueris.*

*Quid ni? Homo eſt ſcribendi gnarus oratio iucunda venuſtate & vi quadam prædita, & narrationibus ineſt elegantia, ac ſermonē, veluti cantor non quidem ſcitè, ſed tamen ſuauiter propoſuit. Verum ſicut in roſa cantharides, ita hic cauendæ ſunt calumniæ eius & inuidentia, ſub læuibus & teneris latentes figuris verborum: ne per imprudentiam abſurdas & falſas de præſtantiſſimis atque maximis Græciæ vrbibus & viris opiniones concipiamus.*

ΤΕΛΟΣ.